



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de  
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Logica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)





# CONTROVERSIÆ LOGICÆ

Auctore R.P. FRANCISCO DE OVIEDO,  
è Societate IESV.

## PROOEMIUM.

**P**RÆMITTAM Controversiam primam de Scientia in communi, ubi de obiecto materiali, & formali Scientiæ, de ratione practici, & speculativi, & Scientiarum unitate & subalternatione fu-  
sus agam, ut his semel exactè confectis, ab iisdem penitus in aliis materiis supersedeam. Sufficiat in proœmiis Physicæ, Me-  
taphysicæ & aliorum tractatum, si quæ ibi de his occurrunt, in hunc locum Lectorem meum reuocare.

## CONTROVERSIA PRIMA.

### *De proœmialibus Logicæ.*

#### PUNCTUM PRIMUM.

*Quid, & quotuplex sit obiectum Scientiæ?*

**O**MMNIS loquendi modus obiectum, & sub-  
iectum confundit, & absque vlla distinctione de  
utroque loquitur; in re tamen idem non sunt,  
obiectum enim propriè dicitur complexum  
constans subiecto, & predicato, & vtriusque connexionem;  
subiectum verò dicitur id, de quo aliquid dicitur ut di-  
stinctum ab illo, quod simul cum subiecto, & copulâ idem  
constituit obiectum. Itaque in actu scientifico ex vi cuius  
infertur: *ergo Petrus est animal*, obiectum huius conclusio-  
nis scientificæ est totum hoc complexum, & subiectum  
est *Petrus* de quo dicitur esse animal. Obiectum dicitur à  
verbo *obicio*; unde totum illud, quod mediis actibus at-  
tingit intentionalis potentia, obiectum est actuum, & ra-  
tione horum obiectum potentia elicientis tales actus ap-  
pellari consuevit. Sentiant plures communi vulgi indul-  
gentia dici obiectum potentia, quod tantum dici debet  
obiectum actus, quo tantum attingitur, non immediatè  
potentiâ, quæ ex eo tantum quod elicit actum, dicitur  
actum attingere; Ego verò censo id, quod actu attingi-  
tur non impropiè dici obiectum respectu potentia, cui  
obicitur medio actu, quæ est quasi obiectio, proprius enim  
dicitur hoc obicitur meo intellectui, quàm hoc obijci-  
tur meæ cognitioni. Neque potentia tantum habet esse  
productum actus quo attingitur obiectum, sicuti species  
impressa, aut habitus, sed constituit formaliter volentem,  
seu cognoscentem, quod non habet habitus, neque spe-  
cies impressa, respectu quorum ob hanc rationem propriè

non dicitur obiectum, quia tantum attingunt potentia  
obiectum medio actu, qui respectu illorum est purè effe-  
ctus. Ex his potentiis habentibus intentionales actus qui-  
bus propriè obiecta conveniunt, translatus est nomen ob-  
iecti ad effectus cuiuscumque potentia, quo sensu dicere  
solemus, obiectum omnipotentia esse creaturas; hæc ta-  
men loquutio est impropria, quia strictè loquendo tantum  
dicitur obiectum, quod medio aliquo actu intentionali  
potentia obicitur.

Obiectum dividitur in materiale, & formale. Obie-  
ctum formale est illud, quod primò & per se attingitur.  
Obiectum verò materiale appellatur, quod non ratione sui,  
sed ratione obiecti formalis attingitur. Vtrumque obie-  
ctum explicabit actus, quo ego amo scissionem venæ pro-  
pter sanitatem, respectu cuius sanitas se habet ut obie-  
ctum formale, propter quam appetitur venæ scissio; &  
hæc obiectum materiale dicitur, quia non propter se, sed  
propter sanitatem amatur; hæc enim causalis est vera, quia  
amo sanitatem, amo scissionem venæ, & hæc falsa, quia amo  
scissionem venæ amo sanitatem. Idem contingit in assensu  
conclusionis propter præmissas, cuius formale obiectum  
sunt præmissæ, & obiectum materiale est consequens illa-  
rum, eademque proportionem causandi verum est dicere,  
quia assentior præmissis, assentior consequenti, & hæc est falsa,  
quia assentior consequenti, assentior præmissis. Non respectu  
omnium actuum possunt assignari obiectum materiale, &  
obiectum formale realiter inter se distincta, quia sæpe  
obiectum immediatè, & per se eodem modo indivisibili-  
ter attingitur secundum omnia, quæ potentiam non sub-  
terfugiant, ut contingit in assensu terminato ad hæc com-  
plexa, quolibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte,  
&c. & alia huiusmodi principia per se nota, & in omnibus  
externis



externis sensationibus, quæ immediatè attingunt qualitates per se ipsas, & nihil aliud distinctum ab ipsis, quod possit dici attingit medio alio. Ob hanc rationem non probo definitionem obiecti formalis ab Hurtado traditam *diff. 1. sect. 1.* videlicet, id, quod cognitur, vel amatum ducit in cognitionem alterius, quia non est de ratione obiecti formalis aliud attingi medio illo, sed ipsum immediatè, & per se attingi, ut patet in colore, qui est obiectum formale visionis, & medio illo aliud non attingitur. His actibus non ego obiectum materiale assigno, quia quicquid ex vi illorum attingitur, per se attingitur, & obiectum formale dicitur, & nihil reperitur, quod ratione aliis eisdem actibus attingatur.

Sunt etiam alij actus, qui feruntur in obiecta inter se distincta, quorum hoc materiale dicitur, & illud formale appellatur tantum ratione actus, qui terminatur ad utrumque, ita ut possent inuerso ordine alium actum terminare, & fieri formale obiectum, quod modò est materiale respectu huius actus, & quod respectu eiusdem formale dicitur, materiale nuncupari: sic contingit in actu, quo quis amat cibum propter vitam conservandam, & in actu, quo potest amare vitam propter cibum, qui eadem respiciunt obiecta, inuerso tamen ordine, nam quod materiale est respectu huius, respectu illius est formale, & quod respectu huius formale, respectu illius est materiale. Idem contingit in actu, quo infero à priori dari lucem, quia datur luminosum, & in actu, quo arguo à posteriori dari luminosum, quia datur lux. Ex his inferes rationem obiecti materialis, & formalis esse denominationem desumptam ab actu, & consequenter actum non ferri in obiectum ut materiale, aut formale, quia non fertur in illud ut denominatum ab ipso actu, quod fieri non posset, nisi per actum supra se ipsum reflexivum, sed ferri in obiectum eo modo, ut illud constituitur formale, vel materiale propter distinctam rationem, quo illud attingit. Inferes similiter antecedenter ad actum nullum obiectum habere rationem obiecti formalis, aut materialis, imò neque rationem obiecti actualis, sed capacitatem ut obiciatur medio actu, quæ capacitas dici solet ratio obiectiva, & ita entitas capax se obiciendi, obiectum appellari consuevit. Habet insuper capacitatem, ut obiciatur medio actu, ex vi cuius constituitur obiectum formale, & ut obiciatur ut obiectum materiale, seu ut constituitur obiectum materiale, vel formale. Ex vi capacitatis ad utramque denominationem obiecti materialis, vel formalis non dicitur determinatè obiectum materiale, neque obiectum formale, sicuti dicitur obiectum propter capacitatem obiciendi se, quia capacitas illa est indifferens ad duas denominationes positivas contrarias, quas non potest simul habere, neque vnam præ alia, quia ad utramque æquè est indifferens. Obiectum ex se tantum capax obiciendi se medio actu, quo constituitur obiectum materiale, vel tantum capax se obiciendi medio actu ex vi cuius constituitur ut obiectum formale antecedenter ad omnem actum, licet per ordinem ad illum poterit dici obiectum formale vel materiale, sicuti dicitur obiectum quicquid potest attingi actibus alicuius potentie, etiam si actu non attingatur, neque sit obiectum in actu secundo, quia tunc capacitates se obiciendi medio actu, quo constituitur determinatè obiectum materiale, aut determinatè obiectum formale, non distinguuntur, cum eo ipso quod potentie obiciatur, debet obici per actum, ex vi cuius determinatè constituitur tale obiectum sine indifferentia ad materiale, & formale. Propter hanc rationem lux, & color etiam si actu non videantur, non tantum obiecta potentie visivæ, sed obiecta formalia dici consueverunt.

Alia est diuisio obiecti in motivum, & purè terminativum, quæ tantum locum habet respectu obiectorum, in quibus distinguitur obiectum materiale à formali, in his enim obiectum materiale dicitur obiectum terminativum, & obiectum formale dicitur obiectum motivum. Sicuti cum amo hominem propter Deum, obiectum terminativum dici solet homo, & obiectum motivum increata bonitas, propter quam Deum amo. Quando verò non datur duplex obiectum, vnum materiale, & aliud formale, hæc obiectorum distinctio locum non habet. Alij diuisiunt formale, in formale quod, & formale quo, & obiectum formale quod appellant, quod nos cum communiter entia obiectum materiale vocamus, seu terminativum tantum, & obiectum formale quo illud esse dicunt, quod

nos simpliciter obiectum formale dicimus, illudque obiectum materiale esse dicunt quod remotum vulgò dici solet, quod iam alià subdiuisione tradam n. 8.

Alij propriè non quodcumque obiectum formale motivum appellant, sed obiectum formale diuisum in *motivum*, & *purè terminativum*. Obiectum formale purè terminativum est illud, quod ratione sui attingitur actu, in quem nullum exhibet influxum actuum, neque remotum, sed tantum quasi se attingi permittit potentie actu, quin potentiam ipsam moueat, vel excitet per concursum aliquem actuum præuium, vel simultaneum, ad actum, quo obiectum attingendum est. Sic se haberet color respectu actus, ad quem producendum nullam speciem mitteret, neque immediatè concurreret, sed tantum à potentia speciebus à Deo infusus, vel immediatè à Deo adiuta produceretur. Obiectum motivum illud dicitur, quod non tantum per se terminat actum, sed actum, mediatè, vel immediatè concurrat: sic se habet obiectum visum concurrens ad visionem mediis speciebus, vel immediatè per se ipsum simul cum potentia, & obiectum amatum, quod mediis speciebus impressis producit speciem expressam excitantem, vel mouentem ad actum amoris. Itaque obiectum motivum est idem quod obiectum mouens, seu obiectum quod mouet, quod est idem ac obiectum, quod agit: quia sicut moueri, importat passionem, & id dicitur moueri, quod patitur, ita mouere importat actionem, & id dicitur mouere, quod agit.

Rursus alij obiectum formale diuisum in obiectum formale quod, & obiectum formale sub quo. Obiectum formale quod hi appellant rationem quamlibet specificam, in quam tendit actus, & obiectum formale sub quo, dicunt esse rationem communem in qua conueniunt omnia obiecta, ad quæ se potest extendere talis potentia, etiam si nullus actus potentie in rationem illam communem fertur. Sic dicitur potentiam visivam ferri in colorem album, & nigrum, non quatenus hic color est albus, & ille niger, sed quatenus præcisè color est, quia eo ipso quod color sit potentia visiva tendit in illum independentè ab eo quod sit albedo, vel nigredo. Hoc obiectum formale sub quo, quando immediatè secundum illam rationem communem abstractam non attingitur aliquo potentie actu, ut contingit in potentia visiva, cuius nullus actus fertur in rationem communem coloris, sicuti actus intellectus fertur in rationem communem entis, propriè non est obiectum, quia id, quod nullo actu potentie attingitur, neque attingi potest, nequit potentie aut alicuius actus dici obiectum, cum tota ratio formalis huius consistat in capacitate ad actus potentie terminandos. Dicitur autem potentia sub illa ratione communi tendere in hanc communem rationem tanquam in obiectum, quia quodcumque obiectum potentie illam participat, & quia reperitur in quolibet singulari obiecto, quod tantum colori ut sic conuenire dicimus, & non albedini, aut nigredini, quia actus, qui fertur in albedinem, ex parte obiecti nigredinem non respicit, neque actus, qui nigredinem attingit, illo modo fertur in albedinem, & uterque necessariò fertur in colorem. Ex quo fit hanc esse consequentiam necessariam non est color, ergo non est obiectum potentie visivæ, & hæc bona non est albedo, ergo non est obiectum potentie visivæ (omitto modò lucem, ut sine terminorum multiplicitate rem facilius explicem, & suppono colorem esse obiectum adæquatam potentie visivæ.) Insuper hæc est vera propositio: ad hoc ut aliquid videatur, necessario debet esse color, & hæc est falsa, ad hoc ut aliquid videatur necessario debet esse albedo, aut necessario debet esse nigredo. Ex quibus fundamentum desumpsimus ad dicendum, potentie visivæ obiectum videri in ratione coloris, non verò in ratione albedinis, aut nigredinis. Simili loquendi modo dici solet creaturam produci à Deo in ratione entis, non verò in ratione talis entis quo non significatur ratione talis entis à Deo non produci, sed omne ens, quodcumque illud sit, à Deo esse producendum, ita ut valeat consequentia: est ens ergo produci à Deo, quod de nulla causa creata dici potest, quia quælibet habet determinatam actiuitatis sphaeram, ultra quam sunt plura entia, ad quæ non se potest extendere. Neque hæc obiecti diuisio adhuc secundum modum à nobis explicatum respectu huius specialis actus locum habet, nam hic actus specie in hanc obiecti speciem necessariò fertur, v. g. in albedinem, ita ut neque hic numero actus, neque



que alius eiusdem speciei cum isto possit tendere in colorem specie distinctum ab albedine.

7 Denum in mea sententia, quæ asserit rationem communem pluribus entitatibus realibus nihil aliud esse, quam aggregatum omnium rationum particularium, hoc obiectum formale sub quo modo explicatum, nihil aliud est, quam aggregatum obiectorum respondentium omnibus actibus potentie collectiue sumptis, quod est obiectum adequatum potentie, hoc enim dicit rationes omnes, quæ possunt distinctis potentie actibus attingi, & obiectum formale quod: albedo v. g. aut nigredo specialiter sumpta, est obiectum inadæquatum potentie, & ita hæc distinctio obiecti in obiectum formale sub quo, & obiectum formale quod in re non distinguitur à distinctione obiecti formalis, in obiectum formale adequatum, & obiectum formale inadæquatum, quæ distinguuntur tanquam includens, & inclusum.

8 Alia est diuisio obiecti in proximum, & remotum; quod dici solet immediatum, & mediatum. Obiectum proximum, & immediatum dicitur quod per se terminat actus potentie. Obiectum verò remotum, & mediatum appellatur, quod non per se terminat actus potentie, sed tantum est subiectum illius, in quod tendunt actus potentie: sicuti partes, qui est subiectum coloris in quem immediate fertur actus potentie visus. Hæc diuisio propria non est, quia alterum membrum diuidens non proprie participat rationem diuisi, illud enim quod dicitur obiectum mediatum, & remotum proprie obiectum non est, sed tantum subiecti obiectum.

9 Item obiectum diuiditur in obiectum adequatum, seu totale, & inadæquatum, seu partiale.

Obiectum adequatum, & totale est illud vltra quod non tendit potentia, quod necessarii dicit omnia peculiariora obiecta, quæ possunt attingi ab omnibus potentie actibus.

Obiectum inadæquatum est illud vltra quod potest tendere potentia, quod tantum dicit partem quandam obiecti. Nonnulli hanc diuisionem admittere nolunt, quia vnum membrum diuidens includitur in alio, obiectum videlicet inadæquatum in obiecto adequato: verumtamen proprie potest dici diuisio, quia inadæquatum sub ratione inadæquati dicit negationem alius partis obiecti, & secundum hanc rationem non includitur in obiecto adequato, & ita est membrum diuidens formaliter ratione negationis, quam dicit ab alio condistinctum.

10 Vltimo diuiditur obiectum in obiectum attributionis, & obiectum attributi.

Obiectum attributionis est illud, ad cuius exactam cognitionem ordinantur cognitiones terminate ad alia obiecta. Obiectum attributi est illud, cuius cognitio ordinatur ad aliud obiectum magis præcipuum cognoscendum, quod diximus esse obiectum attributionis. Hæc obiecta attributionis, & attributi in potentiis præcisè sumptis non reperiuntur, quia nullum est obiectum potentie cognoscitur, aut volitur ad quod ordinentur omnes actus eiusdem potentie: reperiuntur autem huiusmodi obiecta in scientiis, quia cum scientia sit aggregatum ex pluribus cognitionibus scientificis, ex se ad aliquod vnum ordinatis, necessum est habere aliquod obiectum ad quod ordinentur alij actus ad eandem scientiam pertinentes, quod attributionis dicitur obiectum. Volunt nonnulli obiectum attributionis esse obiectum principalis, qui bene sentiunt, si per obiectum principalis illud intelligant, de quo præcipue agitur in scientia; si verò obiectum principalis secundum intrinsecam perfectionem velint intelligi, decipiuntur profectò, quia cognitiones plurium obiectorum secundum entitatem magis principalium ordinantur ad cognitionem aliorum obiectorum minus principalium.

11 Obiectum attributionis semper est obiectum inadæquatum, ac proinde si obiectum adequatum diuidatur in obiectum attributionis, & attributi, dicenda erit diuisio totius in partes, quarum nulla participat rationem adequatam diuisi, sicuti cum diuiditur totum compositum in materiam, & formam.

12 Hic nonnulli disputant de obiecto specificatio, de quo ego Controuers. 14. de anima, vbi de specificatione omnium entitatum, me vide punct. 4. in quo definitio à quibus obiectis omnes vitales actus specificantur, & punct. 3. vbi de habitu specificationis, & punct. 1. vbi definitio quid sit specificatio, & qua ratione vna ens specificetur ab alio,

quæ hic omitto, quia de his agi nequit, donec alia principia prædicta supponantur, quibus sunt dirimenda.

PUNCTVM II.

Quid sit scientia practica, & quid speculatiua?

§. I.

Definitiones practici, & speculatiui, illiusque proprietates.

**H**abitibus scientiæ practicus dicitur, qui procedit ab actibus practiciis, & in illos inclinat, similiter habitibus speculatiuis appellatur, qui ab actibus speculatiuis nascitur, & ad illos producendos inclinat, & ita tota difficultas circa naturam scientiæ practiciæ, & speculatiuæ ad actus est deuoluenda, & inquirendum, quid importet in actu scientiæ, seu in cognitione ratio practici, & speculatiui, quod in præsentiarum definiam.

Cognitio practica est illa, quæ ex se ordinatur ad praxim, seu operationem; & cognitio speculatiua appellatur, quæ non ordinatur ex se ad praxim, sed sinit in pura sui obiecti speculatione. Posui in vtraque definitione particulam illam ex se, quia quod cognitio de facto ordinetur, vel non ordinetur ad operationem à cognoscente, nihil refert ad rationem practici, vel speculatiui: exempli gratia, cognitio, quam habet Medicus de curatione faciendâ, semper est practica, etiam si Medicus non agat de curatione exhibendâ, quia ex se cognitio illa ad curationem exhibendam ordinatur. Adhuc tamen superest explicandum, quid sit cognitionem ordinari ad praxim, quod exactè præstabo paucis. Cognitio ex se ordinata ad praxim est illa, quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Per hanc definitionem exactius, clariùque cognitio practica definitur, & dicemus cognitionem practicam esse illam, quæ proponit obiectum, ita vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Similiter cognitio speculatiua definitur, quæ non ita proponit obiectum, vt ex vi illius possit voluntas imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Priorem definitionem conuenire omnibus cognitionibus, quas Scholastici practicas appellant, & non aliis, & posteriorem omnibus cognitionibus, quas auctores appellant speculatiuas, compertum erit cuicumque rem attentè inspicienti, & quas voluerit cognitiones examini: vnam vel alteram propono. Cognitio quæ noscit artifex ligna, lapidesve hac ratione esse collocanda, quæ apud omnes est practica, proponit praxim, seu operationem, ita vt ex vi ipsius cognitionis possit artifex elicere actum voluntatis, quo imperet potentie executrici lapidum lignorumve collocationem. Similiter cognitio, quæ noscit Logicus syllogismum esse construendum tribus terminis hac ratione dispositis, voluntati proponit obiectum, quod potest imperare potentie intellectui ex vi huius cognitionis, & cognitio quam Deus habet de creatura possibili, quam Theologi practicam appellant, ita proponit Deo creaturam possibilem, vt ex vi illius cognitionis voluntas diuina possit imperare omnipotentie productionem eiusdem creaturæ, & illam de facto imperet, quando creatura, à Deo producenda est.

Explicat insuper illa definitio illud, quod vulgò dicitur, videlicet, cognitionem practicam debere esse de re operabili modo operabili, quia esse cognitionem modo operabili, quando illius obiectum operabile est, nihil aliud importat, quam ita tendere cognitionem illam in illud obiectum, vt ex vi talis cognitionis obiectum effici possit. Insuper explicat aliam conditionem, quam Doctores assignant cognitioni practiciæ, in quibus P. Valsq. 1. part. disp. 8. c. 9. videlicet non tantum in rem operabilem tanquam in obiectum, sed etiam tendere in illam tanquam in finem, quia hæc tendentia cognitionis in obiectum tanquam in finem, vt Smigletius dandus n. 5. tantum importat cognitionem talem esse vt ex vi illius effectus possit produci: cognitio enim ex se intrinsecè finem non respicit, & tantum dicitur tendere in obiectum tanquam in finem, cum obiectum aliquo modo potest esse illius effectus, eo sensu quo dicimus causam ordinari ad suos effectus tanquam ad finem.

Ex



Ex hoc inferes non esse practicam cognitionem, quam Deus habet de peccatis ab homine commissis, etiam si ex hac cognitione moueatur ad hominem puniendum, quia hæc cognitio non dirigit Deum ad exequendum obiectum cognitum, sed tantum proponit peccatum mouens ad poenam intelligendam distinctam ab ipso peccato. Inferes similiter cognitionem non dici practicam ex eo quod moueat ad operationem voluntatis, videlicet ad amorem, vel odium circa obiectum cognitum, quando talis actus amoris, vel odij efficac non est respectu obiecti, alias omnis cognitio esset practica, quia nulla est cognitio, quam naturaliter non possit sequi amor, vel odium circa obiectum, quod proponit.

Nonnullæ conditiones solent assignari ad praxim, seu ad obiectum scientiæ practicæ, quas breuiter percurram. P. Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 44. sect. 13. n. 20. adducit definitionem quamdam Scoti, asserentis praxim debere esse operationem alijs potentie, pro qua sententia refert Scotum num. 22. quam etiam amplexi sunt vniuersim Scotistæ: ex recentioribus Rada 1. part. Controv. 3. Faber super prolog. disput. 2. Smigletius quest. 4. num. 144. Merinero disp. vnica proem. quest. 6. sect. 1. quibus è nostris adhuc Smigletius in Logica disp. 17. quest. 4. Alij apud eundem Suarez num. 23. ad actum necessarium sententiam Scoti limitant ex Capreolo, quia si actus sit liber, recte poterit esse praxis ad quamcumque potentiam pertineat, quia omnis actus liber cadit sub electionem, ac proinde poterit dirigi ab intellectu ut fiat, vel non fiat. Alij recentiores apud Arriagam disp. 1. sect. 4. subsect. 1. asserunt non sufficere obiectum esse liberum libertate contradictionis, sed requiri libertatem contrarietatis, ex vi cuius possit bene vel male fieri, ut possit dici praxis, seu obiectum practicæ cognitionis. Hurtadus disp. 11. de anima sect. 2. docet ad rationem scientiæ practicæ non requiri libertatem contrarietatis, neque contradictionis. Hunc sequitur Arriaga supra: ibid. subsect. 3. In quaestionem ab alijs vocatur, an cognitio tantum dicatur practica respectu obiecti, quod representat, an etiam respectu aliorum similium, quibus omnibus, nonnullis conclusionibus satisfaciam.

Dico primo cum P. Suariorum supra. P. Molin. 1. part. quest. 1. art. 4. disput. 2. P. Vazquez ibid. disput. 8. Rub. in proem. quest. 5. Hurtad. & Arriag. ad cognitionem practicam non requiri hanc versari circa actum alijs potentie. Moueor ad hanc conclusionem, quia sine fundamento talis conditio requiritur. Deinde quia praxis est idem, quod operatio cognitione directâ. Sed operatio intellectus est simpliciter operatio, & potest dirigi operatione aliâ reflexâ præscribente naturam illius: ergo poterit esse praxis, & cognitio, quæ versatur circa illam, poterit dici practica.

Arguit Scotus: Intellectus solâ extensione fit practicus: sed hic non extenditur, quando non versatur circa operationem alijs potentie: ergo non potest fieri practicus nisi per ordinem ad alijs potentie operationem. Respondeo Maiorem omni fundamento destitutam esse; hac tamen gratis admissâ, Minorem esse negandam, quia quando intellectus transit de vno actu ad alium, extenditur intra suum obiectum proprium, quam quando versatur circa actus aliarum potentiarum, qui ad illum non pertinent.

Obiicies secundo. Actus intellectus quando versatur circa actum eiusdem potentie, versatur circa speculationem, quia omnis actus potentie intellectus est speculatio. Sed speculatio non est praxis, potius opponitur cum ista: ergo actus, qui respicit ut obiectum alium actum potentie intellectus, non respicit praxim, sed speculationem: ergo non est practicus sed speculatiuus. Respondeo verum esse omnem actum intellectus esse praxim, falsum tamen praxim, & speculationem ita opponi, ut id, quod respectu vnius obiecti est speculatio, non possit esse praxis respectu alijs actus reflexi, quem terminet, quia id, quod est cognitio respectu vnius obiecti, potest esse obiectum respectu alijs cognitionis reflexæ in ordine ad quam dicitur praxis. Exemplum sit in hac demonstratione: *Omne animal est sensitiuum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus*, quæ demonstratio speculatio est respectu hominis, & animalis, & est praxis, & obiectum respectu cognitionis, quâ dirigitur intellectus ad hanc demonstrationem faciendam, & quâ præscribitur rectitudo ipsius demonstrationis.

Obiicit Smigletius: Cognitio huius obiecti dirigit intellectum in cognitionem alijs obiecti, & cognitio præmissarum dirigit eundem intellectum in cognitionem conclusionis, & tamen cognitio conclusionis non dicitur praxis, neque cognitio obiecti procedens ex cognitione obiecti similis: ergo actus intellectus non potest esse praxis, etiam si sit directus alio actu. Respondeo hanc directionem non esse per modum dictaminis proponentis modum, seu naturam cognitionis directæ, in qua directione consistit ratio formalis practicæ cognitionis.

Dico secundo. Quotiescumque effectus producitur dependenter ab actu voluntatis, siue libero, vel necessario, talis effectus praxis dicitur respectu cognitionis, quæ dirigit talem actum voluntatis, seu quæ proponit actui voluntatis ipsum effectum, qui sit dependenter ab illo, & talis cognitio in ordine ad illum effectum practica denominatur. Probo hanc conclusionem. Cognitionem esse practicam nihil aliud est quam ita obiectum proponere ut ex vi illius voluntas possit imperare ipsius obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio. Sed omnis cognitio dirigens actum voluntatis, siue liberum, siue necessarium, à quo producit effectus, ita obiectum proponit, ut ex vi illius voluntas possit imperare obiecti executionem potentie, cui incumbit talis obiecti productio: ergo omnis cognitio dirigens actum voluntatis siue liberum, siue necessarium à quo producit effectus, est cognitio practica. Confirmatur: cognitionem esse practicam est cognitionem esse causam obiecti, quod attingit: sed omnis cognitio dirigens actum voluntatis siue liberum, siue voluntarium à quo producit effectus, habet omnem causalitatem, quam potest habere in suum obiectum: ergo est cognitio practica. Maior est omnino certa, quia praxis idem sonat, quod operatio, & practicum idem quod operatiuum: ergo cognitio practica nihil aliud est quam cognitio operatiua. Minorem probo: omnis cognitio quæ dirigit actum siue liberum, siue necessarium habet totum influxum, quem potest habere actus intellectus in actum voluntatis, quia actus intellectus nullo alio modo inluit in actum voluntatis quam illum dirigendo, seu proponendo obiectum in quod fertur actus voluntatis, & non minus inluit cognitio proponens obiectum in actum liberum, ac in actum necessarium. Deinde actus voluntatis imperans actionem externam eo ipso, quod illam imperet habet totum influxum, quem potest habere in talem actionem, quia actus voluntatis tantum inluit determinando potentiam externam per sympathiam, quam habet cum illa ad externam actionem, & omnis actus voluntatis siue liber, siue necessarius eodem modo inluit in obiectum ad quod determinat, & eodem modo illud determinat, cum actus voluntatis non determinet ad suum obiectum efficiendum per libertatem illi extrinsecam, sed per suammet entitatem coexistentem effectui, qui ad illum non supponitur: ergo eo ipso quod cognitio dirigat actum voluntatis siue liberum, siue necessarium, ex vi cuius imperatur suum obiectum, præstat in illum totum influxum, quem præstare potest cognitio in suum obiectum: ergo in illum exercet totam operationem, quam potest exercere actus intellectus in suum obiectum: ergo hoc erit praxis illius actus, qui practicus dicitur in ordine ad tale obiectum.

Ex hac conclusione aliæ inferuntur, de quibus inter autores est controuersia. Prima est non requiri ad cognitionem in obiecto libertatem contrarietatis, sed sufficere libertatem contradictionis, quæ ex præcedenti facile deducitur. Obiectum liberum libertate contradictionis dependet medio actu voluntatis à cognitione illud proponente, & dirigente talem actum voluntatis: ergo obiectum illud est praxis, & in ordine ad illud talis cognitio practica dicitur. Eandem conclusionem explico: duplex est directio, vna, quæ gubernat potentiam ne declinet in actum oppositum illi, quem elicere debet ad quam directionem requiritur libertas contrarietatis. Alia directio est directio ex vi cuius potentie proponitur via quâ eundem est ad talem actionem efficiendam, & ad hanc directionem non requiritur libertas contrarietatis, sed tantum dependentia effectus ab actu voluntatis cognitione directo. Constat eadem conclusio ex communi sententia Theologorum, qui in Deo scientiam simpliciter intelligentiam practicam appellant, etiam si circa obiectum producendum non possit aliquis error à Deo committi. A priori eandem



eamdem conclusionem efficaciter probat. Cogitatio, à qua medio actu voluntatis aliquis effectus, eodem modo influit, siue altera cognitio, quæ retrahit voluntatem ab illo effectu producendo inclinaret ad opus contrarium, siue tantum voluntatem ab hoc effectu producendo intendat removere, eodem modo influit in suum obiectum: sed quando cogitatio alia inclinat voluntatem ad opus oppositum, voluntas est libera libertate contrarietatis; quando tantum intendit cogitatio removere voluntatem ab hoc opere producendo, voluntas est libera libertate contradictionis: ergo eodem modo influit cogitatio à qua medio voluntatis dependet effectus, siue voluntas sit libera libertate contrarietatis, siue tantum libertate contradictionis: ergo eodem modo in utroque casu practica dicitur. Maiorem probat: cetera patent. Cogitatio inclinans ad hunc effectum producendum non influit virtute aliis cognitionis, ex vi cuius voluntas constituitur libera libertate contrarietatis, vel contradictionis, quia hæc omnis intendit impedire influxum cognitionis inuitant voluntatem ad effectum producendum, sed per se ipsam: ergo permanente eadem cogitatione, & eodem effectu eodem modo influit: imò si aliquando magis influeret, hoc accideret quando voluntas tantum est libera libertate contradictionis, quia tunc cogitatio illa habet minus contrarium; quo intendatur retrahi, quam cum voluntas est libera libertate contrarietatis; quia quando est libertas contrarietatis cogitatio contraria intendit voluntatem removere ab effectu producendo ad quem inclinat alia cogitatio, & allicere ad alium producendum; quando vero est libertas tantum contradictionis, tunc cogitatio contraria tantum intendit voluntatem removere ab effectu producendo, & per se loquendo eademmet virtus magis influit, dum minus adest contrarium retrahens ab effectu producendo, & minorem præstat influxum, dum adest contrarium maius.

Inferitur etiam ex secunda conclusione supra tradita omnem effectum necessariò productum cuius necessitas oritur ex ipsa cognitione esse praxim talis cognitionis, & per ordinem ad illum cognitionem esse practica. Ratio est perspicua ex conclusione supra tradita: effectus ille dependet medio actu voluntatis à cognitione dirigente talè actum voluntatis, & inferente necessitatem eiusdem actus: ergo cognitio illa est practica in ordine ad illum effectum. A priorieandem conclusionem probat, ratione, quæ nuper vixit. Non minus influit cogitatio in effectum medio actu libero: ergo non minori iure dicitur practica, ex eo quod influit medio actu necessario, quam diceretur, si influeret medio actu libero. Antecedens probat: tunc influit medio actu necessario quado influit nulla alia cogitatione retrahente, tunc influit medio actu libero, quando influit retrahente alia cogitatione. Sed ex eo quod dicitur hæc cogitatio retrahens non magis influit, cum influit per se ipsam, & non per cogitationem retrahentem, quæ non iuvat ad influxum, sed potius illum intendit impedire: ergo cogitatio non minus influit medio actu necessario orto ab ipsa cogitatione, quam medio actu libero ab eadem orto: ergo non minus dicitur practica medio actu necessario, quam medio actu libero. Ex hoc concludo, omnem cognitionem per se requisitam ad actum voluntatis esse practica respectu effectus, quem imperat voluntatis actus, etiam si physica aliqua præmotione, vel ex alio capite actus euadat necessarius, quia tunc cognitio illa requisita ad actum influit in illum eo modo, quo cognitio influit in volitionem, & volitio influit in effectum quem imperat: ergo cognitio illa medio actu voluntatis influit in effectum: ergo est practica, cum tota ratio practici consistat in influxu cognitionis in effectum medio actu voluntatis.

Infero similiter quod si voluntati iam in actu primo sufficienter constituta, & prædeterminata ad actum voluntatis cum cognitione ad illum prærequisita, antecedenter seu non consequenter ad actum voluntatis elicientem superueniat alia cogitatio inclinans ex se, & inuitans ad eundem actum, ad quem voluntas erat iam prædeterminata, talem cogitationem superuenientem practica esse respectu effectus quem talis voluntatis actus imperaret. Ratio est: cogitatio illa ex se inuitans ad actum voluntatis superueniens voluntati prædeterminata ad talem actum, influeret in actum voluntatis, dum non esset posterior actu, seu dependens

Franc. de Quirado, Philosoph. Tom. I.

ab existentia actus, quam supponeret: ergo medio actu influeret in effectum, quem imperaret talis actus. Tota difficultas argumenti sita est in hoc antecedenti quod constabit ex dicendis Controu. 8. de anima punct. 5. ubi probabo omnem cogitationem proponentem obiectum in quod fertur voluntatis actus in illum influit eo præcise quod illi coexistat, & non sit illo posterior, etiam si voluntas aliunde sit sufficienter in actu primo constituta, & antecedenter prædeterminata ad talem actum.

Infero vltimò: omnem cogitationem influentem in actum voluntatis ex se imperantem effectum, practica esse, dummodò talis actus voluntatis non sit posterior effectu, quem potest imperare, etiam si ad hanc cogitationem, & ad actum voluntatis ad quem ipsa supponitur, supponatur alius actus voluntatis, ex vi cuius efficaciter imperetur effectus. Probat hanc conclusionem: etiam si hoc imperium efficax ex se ad hunc effectum producendum supponat aliud imperium efficax ad eundem effectum, dummodò non sit posterior effectu, seu dum ab illo non dependeat, influit in effectum simul cum alio imperio, & effectus imperatus dependebit ab utroque imperio, seu ab utroque actu voluntatis; ergo mediis his imperiis, seu mediis his actibus voluntatis effectus dependebit à cogitationibus, à quibus uterque actus dependet: ergo omnes cogitationes, à quibus dependet vnus, & alter actus voluntatis, influent mediis actibus in illum effectum: ergo erunt practica respectu illius. Discursus est legitimus supposito primo antecedenti, quod probat Cont. 7. Physic. Punct. 7. ubi statuo posse eundem actum dependere à duplici fine adæquato, medio duplici actu voluntatis, à quorum quolibet adæquate dependeat, & Controu. 8. de anima Punct. 5. ubi probat omne imperium, seu omnem actum ex se potentem imperare effectum, illum in actu secundo imperare, eo ipso quod illi coexistat, & ab eo non dependeat.

Dico tertio: nulla cognitio potest esse practica respectu effectus, qui ex se non subditur imperio voluntatis. Hæc conclusio inconcussa est apud omnes, quia cognitio representans obiectum, tantum potest in illud influere medio actu voluntatis: ergo si effectus talis est nature, ut in illum actus voluntatis influere non possit, nullo modo poterit cognitio in illum influere: ergo effectus ille praxis non erit, neque respectu illius cognitio practica dici poterit. Ex hoc fit cognitionem propriæ nutritionis in ipso homine, qui actiue se nutrit, speculatiuum esse, quia immediata actio nutritionis neque ab actu voluntatis, neque ab illius cognitione dependet, nemo enim cogitans potest adire ad naturam suam cubitum vnus.

Dico quarto: scientia ex se in actu primo tantum proprie dicitur practica respectu effectus, quem representat. Probat facile: scientia eatenus dicitur practica quatenus proponit voluntati obiectum, quod imperet, & cuius executionem dirigat. Sed tantum proponit voluntati obiectum, quod representat, & tantum potest dirigere executionem, quam attingit: ergo tantum respectu huius potest dici practica in actu primo. Dixi, tantum scientiam dici practica respectu effectus, quem representat, qui raro aut nunquam est vnus indiuiduus effectus determinatus, ab omni alio conditinctus, vix enim vnquam artifex distinctè percipit vltimam indiuiduationem obiecti, quod intendit deprimere, sed tantum sibi proponit quemdam effectum huius rationis, quem confundit ex vi cognitionis cum aliis similibus, quos instat vnus absque vlla discretionem percipit. Sic contingere necesse est quando intellectus proponit syllogismum in Barbara construendum, quem voluntas imperat non determinando indiuiduationem illius, quam nunquam intellectus cognouit, sed tantum speciem, hoc est, vnus ex innumeris eiusdem rationis ad quem in indiuiduo producendum determinat causa prima, aut conditiones extrinsecæ ut alij volunt. Est ergo in actu primo cognitio practica respectu omnium effectuum, quos per modum vnus confusè attingit, quia illorum quilibet ex vi illius cognitionis æquè bene potest produci.

Dico quinto: Cognitio in actu secundo tantum proprie practica respectu effectus, qui de facto producit ex illis, respectu quorum in actu primo practica dicebatur; quod si alius produceretur distinctus ab illis, respectu quorum in actu primo proprie practica dicebatur,

D respectu



respectu illius in actu secundo propriè non esset practica. Posterior pars probatur: implicat praxis propria in actu secundo respectu cognitionis, quæ in actu primo non est propriè practica in ordine ad illam: sicuti implicat effectum produci à causa, quæ propriè illum producere non potest: negatione enim potentia rectè valet ad actus negationem. Sed cognitio propriè tantum est practica in actu primo respectu effectus, quem attingit; ergo hic tantum, & non alius in actu secundo potest esse praxis respectu illius. Priorem partem conclusionis, videlicet cognitionem in actu secundo esse practicam respectu effectus producti ex his, in ordine ad quos practica supponitur in actu primo facilius probatur: posito actu primo ad effectum, & posito effectui, effectus actui primo tribuitur: ergo supposito effectui producti, & supposita cognitione practica, à qua potest produci, effectus iste illi cognitioni tribuendus est, & praxis est dicendus respectu cognitionis, & hæc in actu secundo practica respectu illius.

18 Dico sexto: Cognitio potest dici practica in actu secundo per accidens, & per quasi monstruosam productionem respectu effectus distincti ab illo, circa quod versatur. Ratio est, quia etsi cognitio tantum per se dirigat ad productionem sui obiecti, poterit potentia inferior non exequi opus illud, quod præscribit cognitio eo modo, quo præscribitur: ergo tunc effectus ille productus in actu secundo distinctus erit ab obiecto cognitionis, qui dicitur praxis monstruosa, quia est præter intentionem agentis. Potentiam inferiorem posse exequi effectum distinctum ab illo, quem præscribit cognitio, & quem imperat voluntas mediâ cognitione monstrat manifesta experientia. Sæpe enim postquam pictor apprimè concipit imaginem Cæsaris, & modum, quo illam est in tabula expressurus, ex intentione optimæ imaginis modo optimo efficiendæ, aliam valde imperfectam depingit: & ego litteram A, verbi gratia perfectissimam concipio, & ex intentione illam exprimendi eodem modo, quo illam concipio propter manus titubationem aliam valde imperfectam scribo.

19 Dices in his casibus artificem non solum concipere opus perfectum, quod non exprimit, sed etiam opus imperfectum, quod exprimit tanquam praxim dictaminis, quod illud opus imperfectum apprehendit, & non aliud dictaminis, quo apprehendit opus perfectum. Huic solutioni experientia & ratio refragatur; Experientia, quia quilibet artifex sæpe experitur efformare effectum, quem nunquam apprehendit, ex intentione alium valde perfectum conficiendi, & sæpe nos ex manus imbecillitate dum rectos characteres conficere intendimus, alios informes valde, quos nunquam concepimus in charta delineatos inuenimus. Ratio, quia sine fundamento tribuitur potentia exequutrici tanta conformitas cum regula præscribente id, quod est factura, ut nunquam possit ab illa declinare, imò à priori constat sæpe declinaturam, cum non dependeat essentialiter in operando ab apprehensione obiecti, seu ab obiecto apprehenso eadem ratione, quâ faciendum est.

20 Dices secundo, intellectum tunc nullo regi dictamine ac proinde hunc effectum non dici praxim respectu dictaminis, quod hunc alio modo faciendum, vel alium effectum repræsentat. Contrà: quando ego conficio opus aliud ab illo quod intendebam facere, constat me moveri ad operandum ex doctrina, & dictamine quod habeo operis exequendi, cui dictamini volo conformari opus à me faciendum; & cui fidens aggredior operis effectum, non ita facturus si dictamine illo carerem, quia si nunquam opus artificiosum apprehendissem, non illud exequi intenderem: ergo saltem dictamen illud est occasio, ut tale opus quod nunquam apprehendi efformem, loco aliud quod apprehenderam & intendebam efficere, quod sufficit, ut dicatur praxis, & operatio monstruosa respectu illius.

21 Vltimò respondebis ratione suprâ traditâ probari praxim posse esse diuersam secundum modum ab obiecto apprehenso, non verò posse esse diuersam secundum substantiam. Contrà: in omni opere artificioso siue intentionali, siue reali variato modo variatur substantia, quia opus artificiosum constituitur tale formaliter per modum, & dispositionem, & aliam non habet formam, per quam constituitur: ergo implicat variari modum substantiæ operis artificiosi non variatâ. Antecedens patet in syllogismo facti in *Barbara*, quia ita constat hac terminorum disposi-

tionem, ut si aliter termini disponantur, iam non erit idem, sed alius syllogismus; hic enim specie syllogismus; hanc dispositionem terminorum in specie, & hic syllogismus numero hos numero terminos hoc modo dispositos importat. Idem videre est in opere artificioso externo, videlicet in hac pictura, quæ ita dicit colores hoc modo dispositos, quod si alio modo iidem colores disponantur, iam non erit eadem, sed alia diuersa pictura.

## §. II.

*Extrema specificatio cognitionis practicae, & speculatiue assignantur.*

Cognitio practica dicit essentialiter esse representationem obiecti, quod principium cognoscens possit medio actu voluntatis producere, ex quo inferitur cognitionem practicam formaliter ut talem dicere ordinem ad principium potens producere obiectum, & obiectum potens produci ab hoc principio: non enim à principio tantum potest desumi ratio practici, quia cum hæc importet ordinem ad principium potens producere non utrumque, sed potens producere obiectum cognitione repræsentatum, non potest percipi ratio practici, quin percipiat cognitionem repræsentare tale obiectum, & principium cognoscens esse productiuum eiusdem obiecti repræsentati.

Ex hoc infero in quacunque cognitione rationem practici desumi formaliter ex principio, & ex obiecto, quod repræsentat, quia ad hoc ut principium cognoscens possit ex vi huius cognitionis efficaciter imperare obiectum cognitum, requiritur ex parte principii cognoscens virtus productiua effectus, & ex parte effectus non repugnantia ut producat: quantumvis enim artifex haberet virtutem effectiuam operis artificiosi, si ipsum opus in se repugnaret, non posset illud efficaciter imperare: ergo duo essentialiter requiruntur ad hoc ut cognitio sit practica, virtus productiua obiecti cogniti in obiecto producente, & non repugnantia in ipso obiecto ut producat, & utrumque dicit essentialiter ratio practici. Quod si dicas, non repugnantiam obiecti ut producat, necessariò comitari virtutem actiuam illud producendi: hoc admissio adhuc verum erit rationem practici desumi ex his duobus, videlicet non repugnantia effectus, & ex virtute productiua ad illum producendum in principio cognoscente, quæ duo semper distinguuntur, etsi per locum intrinsecum separari repugnaret.

De ratione formali speculatiui non eadem ratione iudicium fero, existimo enim posse sumi adæquatè ex principio; & adæquatè simul ex obiecto; & adæquatè ex obiecto, & non ex principio; non tamen adæquatè ex principio & non ex obiecto. Posse sumi adæquatè ex principio sic probo. Ratio speculatiui dicit principium cognoscens non posse efficaciter imperare obiectum cognitum, ex vi illius cognitionis. Sed eo ipso quod principium cognoscens non sit physicè potens, non poterit ex vi cognitionis imperare tale obiectum siue obiectum repugnet, siue non repugnet: ergo hæc cognitio poterit à suo principio habere totam rationem speculatiui independentem ab obiecto. Dico cognitionem desumere posse rationem speculatiui adæquatè à principio independentem ab obiecto, non quia ratio ista non semper intelligatur in ordine ad obiectum, sed quia ita dicit ordinem ad obiectum, ut ex alio capite independentem ab ipso obiecto intelligatur iam habens principium, ex vi cuius cognitio circa tale obiectum speculatiua necessariò euadat.

Simili ratione probo rationem speculatiui posse sumi adæquatè ab obiecto. Eo ipso quod hæc cognitio terminetur ad chimæram, à quocunque principio procedat, necessariò est speculatiua: ergo ratio speculatiui in hac cognitione adæquatè sumitur ab obiecto. Antecedens probo. Chimæra à nullo principio cognoscitiuo est producibilis: ergo repugnat hanc efficaciter imperari ab aliquo principio cognoscitiuo, etiâsi supponatur principium cognoscitiuum, quatenus est ex se, cum virtute sufficienti ad producendâ chimæram: ergo eo ipso quod cognitio terminetur ad chimæram, terminatur ad obiectum efficaciter imperari repugnans à cognoscere, etiâsi hoc quatenus est ex se, virtutem habeat producendi chimæram, quam in esse omnipotentia fert communis Theologorum opinio: ergo eo ipso quod



quod cognitio terminetur ad chimeram in se repugnantem erit speculativa, etiam si principium cognoscens sit Deus ex se habens quiddam reperiuntur ex parte principij actui ad quemcumque effectum producendum, ita ut si per impossibile chimera fieret non repugnans, nulla addita virtute ex parte principij actui, Deus ex vi eiusdem omnipotentia, quam modo habet, valeret illam producere.

26 Rationem speculativi posse simul sumi à principio activo, & ab obiecto facillime ex dictis probatur. Cognitio quam habet homo de chimera procedit à principio non potente producere chimera, ergo ex hoc capite, mente præciso quocumque alio, intelligitur adequatè speculativa: fertur etiam in obiectum repugnans: ergo ex hoc capite similiter præcisà impotentia principij ad chimera producendam intelligitur adequatè speculativa: ergo tam ex principio, quam ex obiecto, cognitio ista intelligitur adequatè speculativa. Ratio est, quia cognitionem non posse regere actum voluntatis imperantem productionem chimera, est quid negatium quod potest ex multis capitibus adequatè procedere, quia possunt plura impedimenta adequata reperiiri ad eundem positivum effectum.

27 Difficilius probatu est rationem speculativi posse sumi ex obiecto tantum, & non ex principio: ad quod supponendum est id, quod latè probo Controu. 10. Metaph. Punct. 4. videlicet virtutem productivam effectus, siue creatam, siue increatam, non habere connexionem cum possibilitate effectus, ita ut si per impossibile modò fieret calor repugnans, maneret in igne virtus productiva caloris ex se sufficiens calorem producere, licet repugnaret ignem à calore produci, non ex defectu virtutis in igne, sed ex repugnantia ipsius productionis. His positis sic arguo. Si per impossibile modo fieret repugnans syllogismus à me faciendus, in me maneret eadem virtus intellectiva ex se potens producere syllogismum: insuper maneret idem dictamen de modo quo faciendus erat syllogismus, idemque iudicium, quo iudicaretur syllogismus posse ex omni capite fieri à me, vel alius actus, quo id iudicaretur, si velis veritatem esse intrinsecam actui: ergo tunc haberem cognitionem, quæ posset regere actum voluntatis, quo dicerem, *volo syllogismum eliciere*, qui actus esset inefficax, non ratione principij intellectivi, quia hoc ex se potens erat producere syllogismum, sed ratione ipsius syllogismi, qui in se repugnaret: ergo tunc cognitio illa esset speculativa tantum ratione obiecti, & non ratione principij, quia si obiectum non repugnaret actui voluntatis, efficaciter syllogismum imperaret, & cognitio haberet quiddam ex parte principij requiritur, ut effectus ex vi illius produceret, & tantum hæc productio non posset à cognitione dependere propter intrinsecam repugnantiam ipsius cognitionis. Ex hac hypothesi ad statum absolutum procedo. Non repugnat Deum producere principium ex se potens producere effectum ex se repugnantem, & cognoscens modum quo esset producendus, casu quo talis effectus repugnaret, non solum per iudicium verum, quo dicat, effectus iste repugnans hoc modo esset producendus, si non repugnaret, sed etiam per iudicium falsum quod dicat, effectus iste non est repugnans, & absolutè potest hoc modo produci: ergo non repugnat Deum producere principium habens cognitionem effectus speculativam tantum ratione obiecti, & non ratione principij. Non repugnare Deum producere principium ex se potens producere effectum repugnantem, supposui supra, & probo loco citato: principium illud iam productum posse habere falsum illud iudicium difficultate vacat, quia principium illud capax esset erroris, & ex nullo capite illi repugnaret. Consequentiam probo: Cognitio, quam haberet tale principium de modo producendi obiectum, quod in se repugnaret, se haberet eodem modo respectu principij, & respectu obiecti, quo se haberet cognitio, quam ego habeo modò de syllogismo, quem de facto possum facere, casu quo syllogismus ille fieret repugnans. Sed mea cognitio in hoc casu esset speculativa tantum ratione obiecti, & non ratione principij, ut modò probabam: ergo cognitio illa esset speculativa tantum ratione obiecti, & non ratione principij.

28 Ad probandum repugnare actionem speculativam tantum ratione principij, & non ratione obiecti, supponendum est, quod communis Doctorum admittit sententia, & ego probabo Controu. 10. Metaph. §. 5. videlicet omnem

Franc. de Quædo, Philosoph. Tom. I.

actionem essentialiter esse connexam cum principio productivo, ita ut repugnante principio productivo repugnet actio, & consequenter repugnet actio ex se potens dependere à principio, quod illam non potest elicere, quia supponit essentialiter principium ex se potens, quod tantum dicitur absolute principium. Aduertendum est etiam cognitionem practicam non tantum tendere in effectum, sed in actionem, seu productionem effectus. Ex his principiis argumentum conficio, & facile conclusionem depromo. Cognitio speculativa ex principio supponit in principio cognoscens impotentiam ut ex illo oriatur actio, ad quam terminatur cognitio. Sed eo ipso quod principium sit impotens ad actionem eliciendam repugnat non solum extrinsecè ex defectu principij, sed intrinsecè, & in se ipsa actio præcisè ex se potens procedere ab hoc principio: ergo eo ipso quod cognitio supponat principium impotentem elicere actionem, ad quam terminatur, dicit ex parte obiecti actionem intrinsecè repugnantem, quia omnis actio ut non repugnans intrinsecè supponit ex parte principij virtutem eliciendi talè actionem: ergo eo ipso quod cognitio sit speculativa ex principio, est speculativa ex obiecto: ergo repugnat actio speculativa ex principio, & non ex obiecto.

29 Adde de facto omnem cognitionem creatam speculativam ratione obiecti in se repugnantis esse speculativam ratione principij, quia nullum datur principium creatum potens producere adhuc quatenus est ex se effectum in se repugnantem, ac proinde eo ipso quod hæc cognitio terminetur ad effectum repugnantem, seu ad actionem repugnantem procedere ab hoc principio, procedit à principio non habente virtutem ex se ad eliciendam actionem circa talem effectum.

30 Circa cognitionem quam Deus habet de chimera productione posset dubitari, an sit speculativa tantum ratione obiecti, & non ratione principij. Ratio affirmativa posset suaderi, quia principium cognoscens videlicet Deus, ex se est potens producere chimera, & tantum repugnat illam producere ex repugnantia chimera, quæ ablata, Deus chimera valeret absolute producere ex vi eiusdem omnipotentia quam modò habet. Censeo nihilominus nullam dari cognitionem in Deo, quæ tantum sit speculativa ex repugnantia intrinsecà chimera, extrinsecà cognitioni, sed omnem cognitionem divinam de facto existentem circa chimera esse speculativam non solum ratione obiecti extrinseci, sed ex modo tendendi circa tale obiectum, quod sic probo. Ad hoc ut cognitio sit practica respectu obiecti, debet ferri in illius absolutam possibilitatem per iudicium, quo dicat, hæc entitas est possibilis, vel saltem per apprehensionem, quæ possibilitas obiciatur sine aliquo iudicio, quo dicat intellectus, hæc possibilitas seu hæc entitas repugnat; cognitio enim quæ quis dicat, hoc obiectum repugnat, non potest esse practica respectu illius obiecti, neque potest actum voluntatis regere, quo quis dicat, volo producere hanc entitatem. Sed in Deo nulla datur cognitio circa possibilitatē absolutam chimera, quæ non sit dissensus circa illam: ergo nulla datur cognitio, quæ ex se apta sit, ut ex vi illius imperetur productio chimera, seu ex vi cuius chimera posset imperari à Deo, casu quo non repugnaret: ergo ex modo tendendi, quem habet omnis cognitio divina per dissensum, actu quo dicit possibilitas chimera non datur, seu chimera est repugnans, vel conditionatè tantum (si velis) quam cognitionem in Deo contemplari circa chimera, quæ non sit dissensus actu quo dicit si chimera non repugnaret hoc modo esset producenda, in quo actu adhuc est imbibitus dissensus circa possibilitatem absolutam, ut explicabo Contr. 6. de Anima Punct. 6. §. 1. cognitio divina est purè speculativa, quia cognitio practica debet ferri & non per dissensum in obiectum ut possibile. Hic cognoscendi modus potest reduci in principium cognoscitivum, quia Deus ex se est determinatus ad non habendam puram simplicem apprehensionem circa aliquod obiectum, neque assensum circa possibilitatem obiecti in se repugnantis. Hæc cognitio quam Deus habet modò de chimera, posset dici speculativa non solum ratione obiecti, sed ratione principij cognoscens, non quia Deus principium cognoscens ex se non habeat virtutem requisitam ad producendam chimera, sed quia supposita illius repugnantia est determinatus ad habendam cognitionem circa chimera, quæ ex modo tendendi non possit esse practica, sed tantum speculativa, & nullam habendam,

P 2 quæ



quæ ex modo tendendi practica esse possit perseverante chimæ impossibilitate.

31

Ad rationem dubitandi suprà adductam, respondeo, casu quo modò chimæ fieret possibilis, fore ut Deus posset chimæram producere ex vi assensus, quem tunc haberet circa possibilitatem chimæ, non verò ex vi alicuius cognitionis quam modò habet, ac proinde nunc nullam dari cognitionem in Deo, ex vi cuius Deus in aliquo casu posset producere chimæram, quia hæc debet esse actus quo Deus iudicat chimæram esse possibilem, qui repugnat dum chimæra possibilis non est, ut necessariò daretur in Deo, casu quo chimæra esset possibilis, quia repugnat in Deo falsum iudicium, & necessariò datur in ipso Deo verum iudicium de quocumque obiecto.

## §. III.

*Formalitates extremorum, in ordine ad quæ sumitur ratio cognitionis practica, & speculativa, assignantur.*

32

**D**iximus rationem practici semper sumi ex principio, & obiecto, & non nisi ab utroque simul posse adequatè sumi, & ratione speculativi ab illorū quolibet posse adequatè sumi, & de facto ita adequatè desumi, licet nō repugnet desumi in aliqua cognitione ex obiecto tantum, & non ex principio, et si repugnet desumi ex principio & non ex obiecto. Ceterum cum in principio, & in obiecto sint quædam prædicata essentialia, alia individualia, superest sciendum à quibus prædicatis obiecti, & principij desumatur, ut possimus agnoscere an cognitio practica vel speculativa dicatur in ordine ad aliquod essentialia vel individualia principij vel obiecti, ex quo principio inferemus an ratio practici & speculativi sit cognitionis essentialis, necne, & quomodo hæc differentie opponantur.

33

Censeo rationem practici in quacumque cognitione nō posse sumi ab vno vel altero prædicato obiecti, sed necessariò desumendam esse ab omnibus formalitatibus quæ in illo sunt, à suprema ratione entis usque ad ultimam differentiam individualement illius. Ratio est, quia ex parte obiecti cognitionis practica requiritur obiectum contineri in virtute productiva principij cognoscentis. Sed non sufficit contineri ratione prædicati specifici, sed necessum est contineri ratione omnium prædicatorum, ut cognitio terminata ad tale obiectum sit practica: ergo ratio practici desumitur in cognitione ex omnibus prædicatis quæ sunt in obiecto. Minorem probo: cognitio practica debet tendere circa obiectum quod physicè possit produci à cognoscente: sed eo ipso quod obiectum cognitum secundum aliquam rationem secum identificatam non continetur in virtute cognoscentis; non poterit physicè ab illo produci, quia ad hoc ut ego possim effectum producere non sufficit effectum non habere repugnantiam ex prædicato generico, aut specifico ut à me producat, si illam habet ex alio prædicato inferiori, quia eo ipso quod ex aliquo prædicato repugnet produci à me, nullā ratione potero illum producere; ut patet in cognitione Petri eiusdem speciei cum alia cognitione, quam ego produco de eodem obiecto, quæ præcisè ex prædicato specifico posset à me produci: sicuti producit propria cognitio; quia tamen ex prædicato individuali repugnat illam à me produci, absolute illam producere non possum: ergo ratio practici quæ importat obiectum posse physicè produci à cognoscente desumenda est ex omnibus prædicatis, seu ex omnibus formalitatibus, quæ in obiecto reperiuntur.

34

Ex ratione suprà dicta inferitur rationem speculativi posse sumi adequatè ex vno vel altero prædicato obiecti ratione cuius repugnet productio illius ab hoc principio, siue hoc prædicatum sit specificum siue individuale: exempli gratia, cognitio, quam ego habeo syllogismi qui potest fieri à Petro, & non à me desumit rationem speculativi ex ratione individua effectus, ratione cuius repugnat à me produci, & non ex ratione specifica, ratione cuius præcisè sumpta nō repugnat à me produci, quia alius syllogismus eiusdem speciei potest à me produci; cognitio verò, quam ego habeo de creatione Angeli, speculativa est ratione prædicati specifici, quia eo ipso quod talis actio in specie repugnat à me procedere, imò ex ratione generica creationis, quia eo ipso quod sit creatio, non potest à me neque ab aliqua potentia creata dependere, quapropter

prædicta cognitio ex ratione generica obiecti, videlicet ex prædicato creationis imbibito in obiecto adequatè erit speculativa, & similiter ex ratione specifica talis creationis, necnon ex prædicato individuali huius numero creationis, habebit rationem cognitionis speculativæ ex quocumque adequatè, quia quodcumque prædicatum sufficiens impedimentum est per se sumptum, ut obiectum huius cognitionis procedat tanquam è principio activo à principio cognoscente.

35

Vnum in hac rescire oportet, quod quotiescumque ratio speculativi desumitur ex aliquo prædicato superiori obiecti, ex omnibus illo inferioribus desumi necesse est: ratio est, quia quotiescumque actio ex prædicato generico repugnat produci ab aliquo principio, eandem repugnantiam habet ex differentia specifica contrahente tale prædicatum genericum ad certam speciem; & quotiescumque habet hanc repugnantiam ex prædicato specifico, eandem habet ex prædicato individuali, quia nequit prædicatum inferius contineri in virtute causæ, in qua non continetur prædicatum superius cum illo identificatum, nec potest dari virtus productiva Petreitatis, & non hominis, neque virtus productiva rationalis, & non animalis. Sic licet argui: cognitio desumit rationem speculativi ex prædicato specifico: ergo ex individuali, & similiter ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: Cognitio non sumit rationem speculativi à prædicato individuali obiecti: ergo neque ab specifico: & sic de aliis.

36

Iam si rationem speculativi in ordine ad principium inspicimus, eodem modo de illa iudicium ferendum est, ac in ordine ad obiectum; potest enim desumi ex prædicato specifico, & ex prædicato individuali adequatè ex quocumque illorum & tantum ex prædicato individuali, & non ex specifico. Sic cognitio, quam habet homo de Angeli creatione eo ipso, quod est cognitio hominis est speculativa, quia implicat ab homine Angelum produci, & similiter eo ipso quod est cognitio talis hominis, eodem modo ac de ratione specifica & individuali dicebamus, & cognitio quam ego habeo de syllogismo, qui potest fieri à Petro, non habet ex prædicato specifico principij esse speculativam, quia aliud principium cognoscitivum eiusdem speciei mediā aliā cognitione specifica eiusdem speciei potest illum syllogismum producere, sed ex prædicato individuali principij cognoscentis, quod ex eo quod si talis homo non potest illum syllogismum producere, quem ex prædicato hominis præcisè sumpto non repugnabat ab illo principio produci.

37

Ultimò de ratione practici in ordine ad principium eodem modo iudicium fero, ac de eadē ratione in ordine ad obiectum; censeo enim desumendam esse adequatè ab omnibus prædicatis, quæ sunt in principio simul sumptis usque ad ultimam differentiam individualement, quia hæc numero actio quæ est praxis, respicit hoc numero principium, in quo sunt contractæ omnes rationes superiores; Exempli gratia: hic syllogismus in quem fertur cognitio practica supponit hunc numero intellectum, in quo est inclusa ratio intellectui, & intellectum includit rationem viventis, & ratio viventis prædicata alia superiora usque ad supremum genus. Ultimò quia ad hoc ut cognitio sit practica requiritur necessariò nullum esse prædicatum in principio cognoscente, ratione cuius repugnet obiectum ab illo produci: ergo ratio practici necessariò desumenda est ex omnibus formalitatibus, quæ sunt in principio cognoscitivum.

## §. IV.

*An ratio practici & speculativi sumatur ab extremis tantum tanquam ab extrinsecis specificativis vel etiam tanquam à constitutis per se.*

38

**D**iximus iam rationem practici & speculativi desumi ab obiecto & principio, & explicuimus formalitates obiecti, & principij à quibus formalitates istæ desumantur, nunc superest sciendum, an ab eisdem formalitatibus desumantur prædictæ rationes tanquam ab specificativis tantum extrinsecis, ex quibus in ipsas cognitiones deriventur rationes intrinsecæ practici & speculativi, vel etiam tanquam à formis, ex vi quarum formaliter cognitio in ratione practica, vel speculativa constituitur, quod est idem ac inquirere, an ratio practici, vel speculativi sit adequatè



adequatè intrinsecam cognitioni, an verò constituitur per cognitionem, & per aliquid ab illa distinctum.

39 Dico primò. Quilibet cognitio practica præter intrinsecum respectum, quem dicit ad principium, & obiectum identificatum cum ipsa cognitione, dicit formaliter possibilitatem obiecti distinctam ab ipsa cognitione. Probo facillè: Cognitio practica, quam modò habet artifex de opere artificio, quod potest conficere, eo præcisè quod opus illud, quod est cognitionis obiectum fieret repugnans, non esset practica, neque ex vi illius posset opus efficaciter imperari à voluntate artificis: ergo cognitio illa formaliter ut practica importat formaliter possibilitatem intrinsecam obiecti, quam ab ipsa cognitione distinctam certum est.

40 Dico secundò. Cognitio practica includit formaliter potentiam actuum principij cognoscitivi ad producendum suum obiectum, quod eadem ratione probò: Cognitio constituitur formaliter practica ex eo quod illius principium possit medio actu voluntatis ab ipsa cognitione directo efficere suum obiectum. Sed hæc ratio importat formaliter potentiam actuum in principio cognoscente ad obiectum producendum: ergo ratio practici constituitur formaliter per hanc potentiam actuum principij cognoscitivi in ordine ad obiectum. Confirmatur: cognitio secundum se tantum est quædam applicatio obiecti ad principium cognoscens, quæ formaliter nihil aliud præstat: ergo ex eo potest dici applicatio practica seu deferens ad operationem, quia in principio, cui obiectum applicatur, insidet activa virtus ad producendum obiectum media illa applicatione; sic enim contingit in applicatione locali agentis ad passum, quæ per potentiam agentis formaliter constituitur cõditio ad operandum, & practica applicatio, non enim ex alio capite dicimus applicationem inter ignem & lignum practicam esse, & conditionè ad operandum, nisi quia in igne reperitur virtus ad agendum in lignum; & applicationem inter duo alba non esse practicam, neque conditionem ad operandum, nisi quia neutrum illorum potest agere in alterum; quod si alteri virtus activa superveniret ad agendum in aliud, eadem applicatio, quæ antea non erat cõditio ad operandum, diceretur practica, & cõditio ad operandum. Ultimò etiam si per impossibile permaneret eadem cognitio, quam modò habeo de syllogismo faciendo, eo præcisè quod deficeret in me virtus activa ad talem syllogismum faciendum, cognitio illa non esset practica: ergo cognitio in ratione practice dicit formaliter in principio cognoscente virtutem in ordine ad suum principium.

Dico tertio. Omnis cognitio practica creata habet connexionem cum principio activo, ex vi cuius formaliter constituitur practica. Ratio prælo adest: Cognitio constituitur practica per virtutem activam in ordine ad obiectum identificatum cum principio cognoscente: sed habet intrinsecam connexionem cum principio cognoscente à quo per se ipsam dependet: ergo habet intrinsecam connexionem cum virtute activa identificata cum tem actuali principio.

41 Dico quarto. In communi sententia quæ asserit virtutem productivam esse connexam cum possibilitate effectus, cognitio quæ defecto est practica, habet connexionem intrinsecam cum possibilitate sui obiecti. Probo facillè: cognitio habet connexionem cum principio productivo sui obiecti: principium productivum habet connexionem cum possibilitate eiusdem obiecti, quod potest producere: ergo cognitio quæ de facto est practica, habet connexionem mediatam cum possibilitate obiecti; non præcisè quia hæc possibilitas est obiectum cognitionis, sed quia est terminus relationis, quam dicit ad illam principium productivum, cum quo cognitio practica per se ipsam coniungitur. Ob hanc intrinsecam connexionem, quam habet cognitio practica secundum hæc principia cum principio activo, & obiecto, ex vi quorum formaliter constituitur practica, vulgò dicitur rationem practici esse intrinsecam cognitioni, & cum illa identificatam, non tamen ita res se habet, aliud enim est cognitionem per se ipsam esse connexam cum extremis, ex vi quorum constituitur practica, & per se ipsam habere nõ posse non esse practica; aliud per se ipsam practica constitui, ut in simili dicitur *Ca. 1. 6. de anima, Punct. 1. de cognitione divina*, quæ per se ipsam habet connexionem cum obiecto creato, ex vi cui vera constituitur, & per se ipsam habet non posse

non esse veram, & tamen non constituitur adequatè per se vera formaliter, sed per se ipsam, & per obiectum ab illa distinctum, cum quo habet connexionem.

42 Dico quinto. In mea sententia, quæ non admittit connexionem inter principium productivum, & possibilitatem effectus, cognitio practica creata non habet ex se seu per locum intrinsecum connexionem cum possibilitate sui obiecti, per quam practica constituitur, quia si per impossibile obiectum fieret repugnans, eadem cognitio permaneret, ut latè probò *Controu. 6. de anima, Punct. 1.* ubi adhuc cognitiones intuitivas creatas affirmo non esse connexas cum suis obiectis, nisi hæc obiecta supponantur in alio genere, ut principia ipsarum cognitionum. Dixi cognitiones non habere ex se seu per locum intrinsecum connexionem cum possibilitate obiecti, quia etiam si per impossibile deficeret obiectum, permaneret cognitio, quod est cognitionem per locum intrinsecum non esse connexam cum obiecto, licet cum illo connectatur propter necessitatem, quam in se habet possibilitas obiecti, quæ indefectibilis est, ac proinde quotiescumque existit cognitio, cuius obiectum aliquando est possibile, semper necessariò coexistit possibilitati obiecti, non necessitate ortà ex ipsa cognitione, sed ex obiecti necessitate, ut dicam citato loco de veritate propositionum, quæ feruntur in obiecta necessaria.

43 Dico sexto. Quilibet cognitio practica in Deo non solum est connexa, sed identificata cum virtute productiva obiecti per quam constituitur practica, & est connexa cum possibilitate obiecti per quam etiam formaliter practica constituitur. Vtraque pars conclusionis est omnino certa, prior quia in Deo cognoscente obiectum, & potente illud producere, cognitio, & virtus productiva realiter sunt idem; posterior, quia cognitio practica Dei est assensus circa obiecti possibilitatem, cui essentialiter repugnat falsitas, & ita ex eo quod hic assensus existat in Deo per locum intrinsecum inferitur dari illius obiectum eà ratione, quæ repræsentatur.

44 Dico septimò. Cognitio speculativa non necessariò constituitur speculativa formaliter adhuc inadquatè per impossibilitatem obiecti, neque per impotentiam principij ad illud producendum, sed potest adequatè constitui speculativa, ex modo tendendi, quem habet in obiecto: ut patet in scientia visionis, quam habet Deus de effectu iam producto, quæ fertur in obiectum non repugnans, & dicit principium cognoscitivum potens producere tale obiectum, & nihilominus non est cognitio practica, sed speculativa. Similiter cognitio quilibet creata, quæ repræsentatur productio obiecti ut mala, & disconveniens cognoscenti, quod illud potest producere, supponit in principio potentiam ad producendum tale obiectum, & connotat obiectum non repugnans, & nihilominus respectu illius productionis speculativa est, quia ex vi talis cognitionis non potest voluntas imperare productionem, quæ obicitur ut disconveniens, quod si imperet fugam, seu non productionem obiecti, cognitio erit practica respectu fugæ, seu non productionis, non tamen respectu productionis. Idem contingit in cognitione, quæ credit artifex repugnantiam involvere opus artificiosum, quod absque vlla repugnantia posset ab ipso fieri, quod iudiciu necessariò est speculativu, & tamen in obiecto nulla est repugnantia, sed tantum in mente falsò apprehendente, & in principio cognoscente est potentia ad tale opus producendum.

45 Dico octavò: Impotentia principij cognoscentis ad producendum obiectum cognitum, & repugnantia ipsius obiecti sufficiunt ad constituendam adequatè cognitionem speculativam, quia illarum quilibet sufficiens est ut obiectum non producat ex vi cognitionis, & ita illarum quilibet sufficiens est ut adequatè constituat cognitionem purè speculativam, & non practicam.

46 Ex his concluditur cognitionem constitui practicam adequatè per modum, quo repræsentat obiectum identificatum cum cognitione, & per non repugnantiam obiecti distinctam ab omni cognitione, quam essentialiter supponit cognitio practica increata, & cum qua cognitio creata nullam habet connexionem, & per virtutem productivam principij cognoscentis respectu obiecti cogniti, quæ in Deo identificatur cum ipsa cognitione, & cum qua cognitio creata essentialiter est connexa, quæ omnia simul sumpta essentialiter requiruntur, ut cognitio sit practica. Eadem ratione concluditur cognitionem posse adequatè con-



stitui speculatiuam ex defectu cuiuscumque ex his, quæ ad cognitionem practicam constituendam requiruntur, eo enim ipso quod illorum aliquod deficiat, cognitio non erit practica, sed pura obiecti speculatio, quod est formaliter cognitionem esse speculatiuam.

## S. V.

*Quomodo opponantur cognitio practica, & speculatiua.*

**P**robat Hurt. disp. 11. de anima sect. 4. § 24. rationem practici, & speculatiui non esse differentias oppositas, quia idem habitus, & idem intellectus potest dici simul practicus, & speculatiuus. Displicet ratio, quia idem intellectus est simul assentiens, & dissentiens circa diuersa obiecta, & tamen assensus, & dissensus, quantumvis sint circa diuersa obiecta essentialiter differunt, ratio est quia intellectus non constituitur formaliter assentiens, & dissentiens per se ipsum, sed per actus superadditos, & inter se distinctos, & ita potest habere à formis essentialiter differentibus has diuersas denominationes, quæ essentialiter opponuntur in ordine ad eundem actum, & extrinsecè possunt idem denominare principium. Sic dici potest de cognitione practica, & speculatiua, quia intellectus & habitus non sunt practici neque speculatiui per se formaliter, sed tantum desumunt has denominationes ab actibus, unde etiam si essentialiter differant, sicut assensus, & dissensus, amor & odium possunt eundem intellectum, & eundem habitum denominare.

**S**oluenda est hæc quæstio ex alio capite, videlicet ex ipsa natura practici, & speculatiui, & ex ipsis formalitatibus, per quas cognitio constituitur practica, vel speculatiua, quas assignauimus Puncto præcedenti, ubi statui rationem practici desumi ex modo tendendi per ordinem ad differentias indiuiduales, & specificas principij, & obiecti, & ex ipsis rationibus formalibus specificis, & indiuidualibus obiecti, ex quo inferitur rationem practici semper importare rationem specificam & indiuidualem cognitionis. Diximus etiam rationem speculatiui aliquando sumi tantum ex differentiis indiuidualibus; aliquando verò ex differentiis specificis; ex quibus infero in his cognitionibus, in quibus ratio speculatiui desumitur ex differentia specifica, rationem speculatiui essentialiter differre à ratione practici reperta in alia cognitione; in his verò, in quibus ratio speculatiui desumitur tantum ex differentiis indiuidualibus, rationem speculatiui non differre essentialiter à ratione practici in alia cognitione reperta. Eo enim modo quo differunt duæ differentie indiuiduales, different ratio practici & speculatiui formaliter sumptæ, & eadem ratione differt hæc cognitio practica ab illa speculatiua, sicut differt hoc indiuiduum ab alio.

**R**em, exemplis explico: cognoscit homo motum progressiuium, quem ipse elicere potest; cognoscit Angelus eundem motum progressiuium: cognitio Angeli est speculatiua eo præcisè quod sit cognitio Angeli, ac proinde ex differentia essentiali; cognitio hominis circa idem obiectum est practica ex eo quod sit cognitio hominis, & talis hominis, qui potest hunc motum progressiuium præstare, quod dicitur non solum differentiam indiuidualem cognitionis, sed specificam. In his cognitionibus ratio practici, & ratio speculatiui essentialiter differunt, quia sumuntur ex differentiis essentialiter oppositis. Cognoscit Petrus syllogismum quem potest elicere, cognoscit Ioannes eundem syllogismum; cognitio Petri est practica, cognitio Ioannis est speculatiua præcisè ex differentia indiuiduali: in his cognitionibus ratio practici & speculatiui essentialiter non differunt, sed tantum indiuidualiter. Similiter in eadem potentia potest esse duplex cognitio eiusdem speciei circa obiecta numero distincta, quarum una sit practica, & altera speculatiua præcisè ex differentia indiuiduali, in quibus ratio practici & speculatiui non importabunt rationes specificas essentialiter oppositas sed tantum indiuiduales. Exhibeo exemplum; cognosco ego per hanc cognitionem syllogismum, qui potest fieri à me cognitione practica, & cognosco syllogismum eiusdem speciei, quem potest elicere Petrus, quæ cognitio erit speculatiua, & tamen cognitiones secundum se, illarumque principia & obiecta tantum indiuidualiter differunt. Ex quibus inferitur in his cognitionibus rationem practici & speculatiui non pos-

se importare differentias specificas essentialiter oppositas, sed totam illarum oppositionem in differentiis indiuidualibus contrahentibus eandem rationem specificam esse constitutam.

Tandem concludo in aliquibus cognitionibus rationem practici, & speculatiui importare oppositionem secundum differentias specificas, in aliis verò tantum secundum differentias indiuiduales, & ex se rationes istas abstractas non magis dicere hanc rationem quam illam, quia ratio practici dicit cognitionem dependentem à principio & terminatam non per dissensum, sed saltem per apprehensionem, aut per assensum ad productionem effectus, qui non repugnet produci à principio; & principium, quod ex se virtutem habeat ad producendum effectum, & cognitio speculatiua constituitur per earentiam cuiuscumque ex requisitis. Sed hoc principium non posse producere hunc effectum, & illud posse eundem producere, aliquando procedit ex differentia specifica, ut in homine, & equo, quorum equus ex conceptu specifico potest equum producere; & homo similiter ex conceptu specifico non potest producere equum; & in homine & Angelo cognoscuntur eundem discursum, qui potest produci ab homine ex conceptu specifico & indiuiduali, & non potest produci ab Angelo ex conceptu specifico Angeli, & ita cognitio practica hominis, & cognitio speculatiua Angeli dicunt rationes practici & speculatiui essentialiter oppositas: in cognitionibus verò Petri & Ioannis de syllogismo eodem, qui potest fieri à Petro & non à Ioanne, cognitio Petri quatenus practica solum differt à cognitione Ioannis quatenus speculatiua secundum differentiam indiuidualem, quia cognitiones ipsæ inter se tantum differunt indiuidualiter, & ex indiuiduatione principiorum prouenit hoc non posse producere hunc effectum, quem aliud principium producere potest.

**O**biicies: Cognitio semper constituitur speculatiua per respectum ad principium & obiectum, sed respectus ad hæc extrema est essentialis: ergo constituitur speculatiua per respectum essentialem cognitioni: ergo ratio speculatiui semper dicit conceptum essentialem cognitioni. Respondeo essentialis esse actui dicere respectum ad principium, & ad obiectum, non tamen omnis respectus, quem actus dicit ad hæc extrema est illi essentialis, quia in actu reperitur respectus ad rationes essentielles principij & obiecti, & hic est essentialis actui, & reperitur respectus ad rationes indiuiduas principij & obiecti, & hic respectus est indiuidualis actui, per quem adequatè plures actus speculatiui constituntur.

**P**osse eandem cognitionem ferri in duplex obiectum & esse practicam respectu vnius, & speculatiuam respectu alterius (mihi dubium non est, quia potest vnum obiectum esse operabile, & in illud ferri modo operabili, & aliud non esse operabile, vel etiam si operabile sit, non ferri in illud modo operabili ex modo illud proponendi, vel defectu virtutis in principio, aut possibilitatis in obiecto).

**D**isputant Hurt. & Arriaga, an respectu eiusdem obiecti possint esse duo actus inhærentes eidem potentie, quorum vnus sit practicus & alter speculatiuus. Negat Hurt. disp. 1. §. 16. affirmat Arriaga disp. 1. §. 69. Ego cum distinctione respondeo, vtrumque practicum, vel vtrumque speculatiuum esse futurum, si vterque eodem modo versetur circa obiectum, si verò diuerso modo versentur, vnum esse practicum & alterum speculatiuum poterit contingere; ut videre est in scientia visionis & scientia simplicis intelligentiæ, de eodem obiecto existente, & possibili, quarum scientia simplicis intelligentiæ est practica, & scientia visionis est speculatiua, & vtraque respicit idem obiectum formaliter abique formalitate in aliquo distincta.

## PUNCTVM III.

*De scientiarum unitate.*

**V**ellem me paucis ab hac quæstione expedire, & meam in hac re mentem clarè explicare, quia illam apud plures valde confusam lego, & apud paucos aliquod fixum inuenio, quo quæstionem definiant, ita vt de illo modo mente non possit alia suboriri prolixior.



## §. I.

*Difficultas proponitur, statuiturque scientiam non esse  
vnam simplicem qualitatem.*

2 **D**ividitur quaecumque scientia in actualem, & habitua-  
lem; Scientia actualis dicuntur omnes actus,  
quos ad vnam spectare dicimus: Scientia habitualis vo-  
catur habitus à quo procedunt actus, siue talis habi-  
tus sit vnus indiuisibilis, siue vnus integraliter composi-  
tus ex pluribus partibus, quorum quilibet ad diuersam  
conclusionem spectat: siue plures realiter non vniti, ex  
quibus vna scientia constari dicitur, quia omnes ordi-  
nantur ad idem obiectum formale, quod respiciunt me-  
diis actibus. Actus qui dicuntur ad eandem scientiam  
pertinere, nullam in se habere vniionem realem & phy-  
sicam per se notum est: nunquam enim simul coexistunt,  
& quilibet illorum est integer conceptus, & integra  
cognitio, quæ non ordinatur ad vniionem cum alio extre-  
mo eiusdem rationis, potius illam respicit, cum actus quàm  
plures sub eadem scientia constituti specie differant. Diffi-  
cultas est quod obiectum commune habeant, quæmve or-  
dinem, seu rationem cuius ad eandem scientiam pertineant,  
de quo postea dicam.

3 **H**abitus intellectus ab speciebus non distingui dicam  
Controu. 14. de anima Punct. 7. ex quo inferitur iuxta mea  
principia nullam scientiam includere eundem habitum,  
neque simplicem, neque compositum ex partibus inte-  
grantibus: quia certum est nullam habere vniionem spe-  
cies, quibus diuersi actus ad eandem scientiam spectantes  
producantur. Dicam insuper eadem Controu. 13. Punct. 5.  
in opinione, quæ admittit habitus distinctos ab specie-  
bus hos esse multiplicandos pro distinctis actibus, etiam si  
ad eandem scientiam spectare dicantur. Tenent eandem  
sententiam Scot. in 3. distinct. 25. quest. 2. *S. ad secundum  
questionem*: hunc sui sequuntur qui consentiunt Nomin. in  
1. quest. 1. Greg. q. 3. art. 1. Gabriel q. 8. suffragantur ex  
nostris P. Suarez tom. 2. Metaph. disp. 44. sect. 11. à n. 45.  
P. Molina 1. part. quest. 1. artic. 3. P. Fonseca lib. 1. Met.  
quest. 5. sect. 2. & lib. 6. cap. 2. question. 2. sect. 2. Tolet.  
in Logica, q. 3. proœmial. Hurt. disp. 1. Met. sect. 6. Arriaga.  
disp. 1. sect. 3. subsect. 4.

4 **H**abemus ex his neque scientiam actualem, neque habi-  
tualem esse simplicem qualitatem, sed scientiam actualem  
includere plures actus, & scientiam habituaalem, di-  
cere plures habitus, & ex his fieri vnam scientiam totalem  
habituaalem, ex illisque vnam scientiam totalem actua-  
lem: quivse ordo, quæve dependentia, aut quæ similitudo  
debeat intercedere inter actus, & habitus distinctos, vt  
dicantur ad eandem scientiam pertinere, hoc opus, hic  
labor est. Neque ex diuersis capitibus, sed ex hoc tan-  
tum, vnitatem, & distinctionem scientiarum debemus  
colligere, postquam enim illud inuenimus ratione cui-  
us hæc actuum collectio ad eandem scientiam pertinere  
dicatur, omnis actus, cui non inest eadem vnitatis ratio,  
seu idem respectus cum actibus in hac collectione consti-  
tutis, dicetur non pertinere ad hanc scientiam, sed  
aliam constituere cum reliquis omnibus, in ordi-  
ne ad quos habuerit similem respectum, seu vnitatem,  
ex quibus omnibus fiet alia actuum collectio, quæ erit  
scientia alia adæquata ab ista distincta. Postquam verò  
difficultatem hanc in actibus superauerimus, in habiti-  
bus nulla supererit; illi enim habitus qui pertinent ad  
actus, ex quibus constituitur vna scientia adæquata  
totalis, vnam scientiam habituaalem totalem compo-  
nent, & illi qui spectant ad actus constituentes di-  
stinctas scientias totales, distinctas scientias habituales  
constituent.

5 **A**ssumant ferè omnes Doctores scientias distingui per  
objecta formalia ipsarum, & distinctas scientias distin-  
ctum obiectum formale competere; sed adhuc lis integra,  
quomodo distinguenda sint objecta formalia adæquata  
scientiarum totalium; reperiuntur enim in quacumque  
scientia plures actus procedentes à præmissis specie di-  
stinctis, & consequenter habentes objecta formalia spe-  
cie distincta, quia præmissa sunt obiectum formale con-  
clusionis, dicuntur tamen pertinere ad vnam scientiam,  
& præmissa cuiuscumque conclusionis specie distincta à  
præmissis aliarum conclusionum dicuntur obiectum for-

male adæquatum scientiæ, etsi sint obiectum formale adæ-  
quatum talis conclusionis, quia obiectum formale adæ-  
quatum scientiæ includit omnia obiecta formalia om-  
nium actuum, qui ad eandem pertinent scientiam, quo-  
rum quodlibet est adæquatum respectu actus, cui tri-  
buit speciem, & cuius dicitur formale obiectum, &  
inadæquatum respectu totius scientiæ. Hinc oritur  
difficultas, quæ multitudo obiectorum formalium di-  
stinctorum in specie actuum, quorum quodlibet re-  
spectu proprii actus est adæquatum, sit assignanda ad  
designandum obiectum adæquatum formale scientiæ  
totalis, curvæ hæc multitudo obiectorum formalium  
huius multitudinis actuum dicatur vnum obiectum  
adæquatum formale vnius scientiæ, & alia similis mul-  
titudo sit obiectum adæquatum aliis scientiæ, & non  
ex vtraque multitudine fiat vnum obiectum adæqua-  
tum vtriusque scientiæ totalis completentis omnes  
actus, quorum specificatiua obiecta formalia in vtra-  
que multitudine continentur; seu cur obiecta formalia  
contenta in hac multitudine non fuerint subdivisa in  
duplicem multitudinem, quarum quælibet constitue-  
ret vnum obiectum formale adæquatum condistin-  
ctum ab alio vnius scientiæ adæquate ab alia con-  
distincta.

6 **R**espondebis obiecta formalia distinctorum actuum  
pertinentium ad eandem scientiam totalem habere con-  
uenientiam aliquam, ratione cuius ex illis fiat vnum ob-  
iectum adæquatum totale vnius scientiæ, quam non hab-  
ent cum aliis obiectis formalibus constituentibus aliud  
aliud obiectum adæquatum scientiæ distincta. Adhuc in-  
tegra permanet nostra difficultas: fateor ego semper in  
obiectis formalibus constituentibus obiectum adæquatum  
huius scientiæ, esse aliquam conuenientiam, quæ non  
inest illis in ordine ad obiecta formalia distinctorum actuum  
constituentia obiectum adæquatum aliis scientiæ, verum-  
tamen cum conuenientia, quæ est inter obiecta forma-  
lia actuum constituentia obiectum adæquatum vnius scien-  
tiæ non sit secundum speciem infimam, facile esset om-  
nia illa obiecta, quæ dicuntur constituere vnum ob-  
iectum adæquatum subdividere in duplicem multitudinem,  
& ad quamcumque reducere obiecta, quæ inter se habe-  
rent conuenientiam aliquam, quam non haberent in or-  
dine ad alia obiecta formalia in alia multitudine conten-  
ta, & ita propter conuenientiam obiectorum pertinen-  
tium ad hanc multitudinem, & disconuenientiam ipso-  
rum cum obiectis pertinentibus ad multitudinem aliam,  
posset dici obiecta formalia pertinentia ad hanc multi-  
tudinem constituere vnum obiectum adæquatum scientiæ  
condistinctum ab alio, quod constituerent obiecta forma-  
lia pertinentia ad aliam multitudinem. Secundo cum di-  
conuenientia obiectorum formalium, quæ constituunt  
obiecta adæquata distinctarum scientiarum, non sit se-  
cundum duo genera suprema, facile esse ab his obiectis  
disconuenientibus secundum hanc rationem aliam superio-  
rem abstrahere, ratione cuius dicerentur posse constituere  
obiectum vnum adæquatum vnius scientiæ, quia ad hoc  
constituendum non requiritur conuenientia secundum ali-  
quam rationem infimam, quæ in plures rationes specie di-  
stinctas diuisibilis non sit.

7 **M**ultò post primam huius operis editionem, nuper li-  
brum edidit, cui titulus est, Controversiæ Metaphysicales *Prado 1. part.*  
Magister quidam Complutensis Dominicanus, in quo fre-  
quenter valde meas sententias intendit impugnare, & con-  
tra hic traditum scribit 1. part. contr. 2. art. 1. num. 5. neque  
proprio nomine in margine refert, & in corpore honorat  
titulo scriptoris à Societate Iesu; postea vero in toto ope-  
ris decursu, Iesu, & propriæ professionis oblitus se totum  
tradit meis opinionibus corrodendis, & sinistrè interpretan-  
dis, de quibus cum frequenter sermonem instituat, tam de-  
siderabis bona verba, quam argumenta, omnia missa fa-  
cere decreueram, sed quia ex suis alijs non semel nostrum  
silentium modestiæ sanè opus in victoriam propriam, quasi  
iam de nostris sententiis omnino actum esset, retulerunt;  
huic suspicioni occurrens, de his agam, non quæ verba,  
sed argumenta, si quæ sunt, postulare videantur.

8 **A**rguit iste art. 1. citato n. 1. vt probet scientiam specifi-  
cari ex obiectis. Scientia essentialiter dicit ordinem ad  
obiectum, & tota illius quidditas est propter obiectum:  
ergo ab illo specificatur. Probat consequentiam: eadem  
sunt principia essendi, & distinguendi, & sicut definiti ne-  
quit,



quit, quin obiectum intret definitionem, ita neque specificari nisi in ordine ad illud. Additque hoc intendere auctores, cum dicunt actus specificari per actus, & actus per obiecta. In hoc argumento admissum conuenio principium, ex quo infero actus à priori non specificari ab obiectis, sed tantum à posteriori, quod tantum importet ex obiectorum diuersitate recte colligi diuersitatem actuum. Afferit iste eadem esse principia essendi, ac distinguendi, sed obiecta ea, quæ mediis speciebus non influunt in actus qualia plurima reperiuntur non sunt principia illorum, sicuti actus supernaturales habituum infusorum principia non sunt, nisi latissime principium sumatur pro eo, vnde aliquid est, sit, aut cognoscitur: ergo hæc obiecta, quæ respectu actuum tantum sunt vnde actus cognoscuntur, & actus, qui tantum sunt vnde habitus cognoscuntur, & non vnde sunt, aut fiunt, sicuti non sunt principia essendi, ita nec distinguendi, nec specificandi. Deinde obiecta, quæ mediis speciebus in actus influunt, & sunt illorum principia illos specificabunt mediis speciebus, & ita specificatio procedit à principio actiuo, quod ego intendo à speciebus immediatè, tanquam à principio actiuo immediato, ab obiectis mediatè, tanquam à principio actiuo mediato, non vero tanquam à puro obiecto.

Quod autem in definitione scientiæ intret obiectum, probat non posse cognosci scientiam sine obiecto, non vero suadet hoc esse specificatum illius. Tandem vltima consequentia, quam deducit hic author, videlicet actus specificari per ordinem ad obiectum, nec contra me negantem actus specificari ab obiectis, neque ad rem est, aliud enim est actum specificari per ordinem ad obiectum, aliud specificari ab obiecto, cum enim actus per se ipsum dicat ordinem ad obiectum, & hic ordo non distinguatur ab ipso actu, dicere specificari per ordinem ad obiectum, est dicere specificari per se ipsum, qui est ordo ad obiectum: specificari autem ab obiecto, dicit obiectum esse principium, & determinatum specificationis formalis, & intrinsecæ, quam per se ipsum habet actus, sicuti quilibet alia entitas per se ipsum formaliter est suum specificationem formalem, per quod in sua specie constituitur, & ab omnibus aliis distinguitur.

Vigentiorum rationem contra meam sententiam, nec refert, nec habet hic author, in sua autem explicanda longior, sed non difficilior exiit. Defendit: scientiam suam vnitatem, & specificationem ab obiectis desumi, & à diuersa abstractione à materia; cumque sibi obiceret obiectum adequatum vnius scientiæ nullam habere unitatem in se, quam possit in scientiam refundere, distinguit obiectum in esse rei, & esse scibilis; atque obiectum vnius scientiæ, videlicet Metaphysicæ nullam unitatem habere in esse rei, illam tamen habere in esse scibilis. Addit insuper hanc unitatem in esse scibilis, non solum esse extrinsecam denominationem à scientia desumptam, sed præter hanc dari in ipso obiecto aliam unitatem in esse scibilis, in qua sumitur extrinsecam denominatio à scientia desumpta.

Si probasset hic author obiectum in se habere hanc unitatem in esse scibilis distinctam ab extrinsecam denominationem desumptam, non parum promoueret suam sententiam; verum ad eam probandum, nec rationem inueniret, nec de illa querenda curauit. Frequens est apud hunc, dum se omni ratione destitutum inuenit pro sua sententia probanda ad auctoritatem Diui Thomæ recurrere, & nullam aliā rationem reddere, quasi ea, quæ Angelicus Doctor tradidit fide tantum credenda sint, eorumque ratio penitus ignoranda. Oportet forsitan Diuum Thomam referre, qui quacumque dixerint, volunt illius auctoritate fulcire, quod præstare non possent si illius ratione adducta mens Angelici Doctoris non haberet. Fateor Angelicum Doctorem distinguere obiectum in esse rei, & in esse scibilis, nego tamen in esse scibilis includere præter denominationem extrinsecam desumptam à scientia formalitatem aliquam distinctam ab ea, quorum habet in esse rei, neque talem formalitatem tradidit Diuus Thomas, & ita sicuti in esse rei nullam unitatem habet obiectum scientiæ, ita in esse scibilis nullam entitatem importat; præter extrinsecam à scientia desumptam. Obiectum in esse scibilis præter denominationem extrinsecam à scientia desumptam, nihil importare supra rationem formalissimam entis probo contr. 3. Metaphysicæ, Punct. 3. Ex quo concludi obiectum in esse rei, & in esse scibilis solum distinguui per extrinsecam denominationem à scientia desum-

ptam, & ita unitatem, quam habet in esse scibilis, & non in esse rei formaliter desumi à scientia, in eaque consistere nullo modo prius in obiecto, quam in scientia reperi.

Est etiam ficta abstractio, quædam obiectiua, quam vult hic author in obiectis reperi distinctam ab abstractione facta per actum intellectus, & extrinsecam denominationem ab actu intellectus desumpta: hoc enim, quod est abstrahere solum est intellectum propriis actibus rationes communes cognoscere, non cognitis rationibus differentialibus, & ab huiusmodi cognitione obiecta extrinsecam, & non alio modo abstracta dicuntur.

Dixi eum, qui assereret libros de Generatione, vel de Anima continere vnam scientiā distinctā à libris Physicorum, sola tantum Doctorum auctoritate, & non ratione aliqua conuincendam esse. Oppositum censet iste, cum quo ago, euidenter demonstrari, demonstrationem his tantum verbis instruit, & illustrat, quia sine communibus principis particularia sciri non possunt. Quid hoc ad intentum demonstrandum? Videant mediocriter docti, tantum vellem, ut recordaretur iste dari scientias subalternas.

Confirmare intendunt suum intentum ex eo, quod in re hac diuersæ sunt opiniones, & mens Angelici Doctoris dubia. Videat qualis sit euentia in re opinionibus subiecta, & circa quam de vnius Angelici Doctoris mente dubitatur. Deinde, & si aliquid dem arbitrio Principum scientiarum in scientiis diuidendis, rationem formalem subiecti, ex vi cuius, quælibet totalis scientia ab aliis distinguitur ex ipsa rei natura desumi asserui conel. Cur igitur de naturis rerum, seu de auctoritate ipsarum attenda sit, ut non permittat ad vnam scientiam reuocari, & de diuisionibus scientiarum, quas asserui rerum naturam earum scientiarum Principes fecerunt. Dubia, & opiniones oriri non possunt, sicuti ipse asseruit oriri de mente Diui Thomæ in hac materia?

Dicit hic author scientias inter se distingui specie. Non me cogent id concedere rationes illius, quas adhuc in re clarissima desidero, visum tamen nemo in dubium vertet, actus, & habitus ad Metaphysicam pertinentes specie distingui ab actibus, & habitibus ad Mathematicam spectantibus, & ego, qui in quacumque scientia plures actus, & habitus, specie distinctos agnosco, nunquam reculare potero ex duabus, quibuscumque scientiis designatis vnam includere actus, & habitus specie distinctos ab actibus, & habitibus alterius. Tantum assero in unitate ordinis plurium actuum, & habituum specie distinctorum, in qua scientiæ unitas consistit, aliquid dandum esse arbitrio Principum scientiarum, attentis semper naturis subiectorum scientiarum, ne inter se valde disparatæ ad vnam scientiam quis intendat reducere.

## §. II.

### Impugnatur Thomistarum sententia.

Communis Thomistarum opinio fert scientias distinguui per obiecta adequata, & hæc per distinctas abstractiones; assignant enim triplicem abstractionem, ex vi cuius triplex obiectum scientiæ constituitur. Prima est vi cuius abstrahitur natura specifica ab indiuiduatione, non tamen à materia scibilis, ut cum per intellectum abstrahatur rationem hominis à Petro & Ioanne, per quam dicor abstrahere ab indiuiduatione, quia conceptus ille, ex vi cuius hominem cognosco non terminatur ad indiuiduationem, & non dicor abstrahere à materia scibilis, quia homo secundum se indiuiduatione seclusa scibilis est. Alia abstractio est à materia scibilis, & non à materia intelligibili; ut cum concipio ipsam materiam secundum se, abstraho, à materia scibilis, quia materia secundum se scibilis non est, & non à materia intelligibili, quia materiam ipsam ex vi illius conceptus intelligo. Alia abstractio est à materia scibilis, & intelligibili, ut cum concipio ens, aut substantiam, præcisam, quæ secundum se non dicunt materialitatem, ac proinde ex vi conceptus, quo abstraho has rationes, materiam non intelligo. Iuxta has abstractiones distinctas triplicem scientiam Thomistæ distinguunt, Metaphysicam, quæ abstrahit à materia scibilis & intelligibili; Mathematicam quæ abstrahit à materia scibilis & non intelligibili; & Physicam seu Philosophiam quæ abstrahit ab indiuiduatione, non tamen à materia scibilis.



sensibili, neque à materia intelligibili. Alij asserunt omnem scientiam debere abstrahere à materia, quia intellectus spiritualis est, & immaterialis, & ita non potest obiecta attingere nisi à materia abstracta, & ita primam abstractionem à differentia individuali vocant abstractionem à materia tantum singulari, secundam à materia singulari, & sensibili tantum, tertiam à materia singulari sensibili, & intelligibili.

17 Contra hæc abstractionum genera primo occurrit non levis, nec facile soluenda difficultas, cur videlicet prima abstractio ex vi cuius concipitur homo, non sit abstractio à materia sensibili: & secunda per quam concipitur materia ut sic, sit abstractio à materia sensibili, non enim mihi minus sensibilis est homo ut sic quam materia ut sic, sicut enim implicat materiam ut sic sentiri, sic implicat sentiri hominem ut sic; tantum enim sentimus hæc accidentia individua physicè existentia, & non rationem aliquam abstractam ab ultimis differentiis individualibus. Quod si dicas, hominem ut sic non abstrahere à materia sensibili, quia includit conceptum materiale necessarib. contrahendum per rationes individuas materiales sensibiles, idem dicam ego de materia ut sic quæ ultimò contrahenda est ad individua sensibilia. Secundo: illud quod potest contrahi per rationes individuas ab illis dicitur abstrahere: ergo homo ut sic potens contrahi per individua, quibus conveniat sensibilitas, seu capacitas terminandi sensationes contractione seclusa rectè dicitur abstrahere à materia sensibili. Secundo sicuti constituunt Thomistæ quamdam abstractionem à materia individua & abstractionem à differentiis individualibus vocant abstractionem à materia individua, cur non constituunt abstractionem aliam à ratione corruptibilis, quam vocent abstractionem à materia corruptibili, & ratione illius constituunt aliam scientiam de ente incorruptibili, seu abstrahente à corruptibilitate. Tercio in Metaphysica triplex abstractio inveniuntur prima est transcendentium, quæ abstrahunt à materia præcisè, quia illam non dicunt, non tamen negatiue, quia cum his transcendentibus ratio materie non opponitur, potius prædicata, quæ transcendentia dicuntur, de quibus agit Metaphysica, reperiuntur in quocumque materiali individuo, & hæc abstractionem permittimus appellat P. Suar. disp. 1. Metaph. sect. 2.

Alia est abstractio, quam dicunt intelligentiæ, eorum quæ negatiue abstrahunt à materia, quia illis repugnat materiale subiectum, ex quo simul & ex forma componentur, non tamen abstrahunt ab omni compositione physica, quia dicunt compositionem ex substantia & accidenti. Tertia abstractio omnium perfectissima reperitur in Deo, ex vi cuius negatiue abstrahitur ab omni compositione, etiam ex substantia & accidenti, quia Deus est ens simplicissimum; ergo si obiecta scientiarum, & scientiæ multiplicarentur per diversas abstractiones, in vna Metaphysica tres possemus scientias diuidere. Scio nonnullos existimasse consequens vi illationis admittendum esse, in quibus Smigletius illud satis probabile esse affirmat disput. 17. quæst. 2. verumtamen Thomistæ, & ferè omnes authores qui asserunt vnam Metaphysicam completi Deum, & intelligentias, hac solutione vti non poterunt.

18 Quartò de rebus spiritualibus habentibus eundem gradum abstractionis à materia agunt distinctæ scientiæ: ergo hæ scientiæ distingui non possunt per distinctas abstractiones à materia. Probo anteceden: Scientia animalica, seu Philosophia agit de operationibus intellectus quatenus sunt spirituales, quatenus important actionem, ex vi cuius ab intellectu procedunt, & quatenus dicunt qualitatem, in qua verbum mentis constituitur, & quatenus per actionem, vel qualitatem formaliter constituuntur in ratione intellectuum, & quatenus sunt vitales, & secundum alias huiusmodi formalitates, Logica seu Dialectica agit de eisdem operationibus quatenus dicunt directionem formalem formali sciendi instrumenti, videlicet definitionis, propositionis, & syllogismi mentalis; & quatenus ex vi illarum formaliter, vel quasi efficienter constituuntur genus, & differentia, superius, & inferius. Sed operationes intellectus quatenus habent proprietates illas de quibus Philosophia disputat, & quatenus obeunt hæc munera de quibus disputat Logica, sunt in eodem gradu separationis, seu præcisionis à materia, & in eodem vniuersalitatis gradu: ergo hæ scientiæ non distinguuntur per distinctas præcisiones à materia.

Rursus eundem modum distinguendi scientias per hanc abstractionem à materia impugno. In his diuersis abstractionibus tantum reperiuntur actus intellectus, illorum obiecta, & denominationes, quæ ex actibus deriuantur in obiecta: sed Scientiæ non distingui dicuntur per actus, aliàs dicerentur distingui per se ipsas, & si hoc diceretur, procederet difficultas de ipsis actibus, de illis enim inquiramus, quid speciale habeant, ratione cuius hanc scientiam constituent distinctam ab illa, & ratione cuius horum collectio ad hanc scientiam spectet, & nullus alius ab his distinctus ad eandem pertineat. Si dicas distingui per obiecta horum actuum per quos formaliter, aut quasi effectiuè obiecta abstracta dicuntur, incidit in communem sententiam asserentem scientiam distingui per obiecta, cuius difficultatem expendi supra, nullum enim apparet caput, ex quo possumus cognoscere, quod sit obiectum adæquatum huius scientiæ totalis ut distinctum ab illa. Per denominationes ex actibus in obiecta resultantes non audebis dicere scientias inter se distingui, quia distinctæ denominationes supponunt distinctionem actuum, per quos denominationes constituuntur, vel à quibus resultant tales denominationes.

### §. III.

Reiciuntur alij dicendi modi.

20 Respondent alij scientias distingui per distincta attributionis obiecta, quia omni scientiæ distinctum ab alia conuenit vnum attributionis obiectum distinctum ab obiecto attributionis reliquarum scientiarum. Admitto in quacumque scientia reperi vnum attributionis obiectum, ad quod omnia, quæ in illa scientia disputantur, diriguntur; verumtamen per hoc non posse scientias inter se distingui, sic probo. Respectus ad obiectum attributionis distinctum debet supponere ipsum obiectum attributionis distinctum ab obiecto attributionis aliis scientiæ: ergo aliud assignandum est caput, per quod distinguatur obiectum attributionis huius scientiæ ab obiectis attributionis aliarum scientiarum, quod æquè difficile erit, ac esset assignare sine ordine ad hoc attributionis obiectum, obiectum adæquatum formale huius scientiæ condistinctum ab obiectis adæquatis formalibus reliquarum scientiarum. Deinde assignato obiecto attributionis huius scientiæ superest difficultas in assignandis reliquis obiectis attributi pertinentibus ad eandem scientiam, quia etiam omnia obiecta attributi spectantia ad hanc scientiam debeant ordinari ad illius attributionis obiectum, non tamen omnia obiecta, quæ ad illud obiectum attributionis possunt ordinari, necessarib. dicuntur ad eandem scientiam pertinere, aliàs scientia quæ haberet pro obiecto attributionis Deum complecteretur tanquam obiecta attributi omnia obiecta creata, quia hæ omnia possunt ordinari ad vnum obiectum attributionis increatum tanquam effectus ad causam, à qua procedunt. Eademque ratione ad obiectum attributionis ad quod ordinantur operationes intellectus, quatenus sunt spirituales, actus vitales, & dicunt qualitatem vel actionem, possent ordinari, quatenus constituunt formalem definitionem, syllogismum, genus, speciem, superius, & inferius; quia directio operationum intellectus indistincta ab ipsis rectè poterit ordinari ad ipsas operationes secundum se constituendas, & ad cognoscendum principium ratiocinandi, & animam, à qua procedunt, & consequenter ad idem attributionis obiectum, ad quod ordinantur ipsæ operationes, quatenus vitales, spirituales, &c. ergo pertinebunt ad eandem scientiam secundum se sumptæ & ut habentes directionem, quam præscribit Logica.

21 Vltimò in Metaphysica cui plerique Deum assignant tanquam attributionis obiectum, nulla poterit ratio ex hoc attributionis obiecto assignari, cur tantum se extendat tanquam ad obiecta attributi ad illa entia, quæ præcise ad illa materia, & non se extendat ad alia plura, quæ etiam possent ut obiecta attributi ordinari ad Deum tanquam ad obiectum attributionis, æquè enim ordinantur ad Deum alia entia, quæ à materia non abstrahunt, quam entia abstrahentia à materia.

22 Alij, in quibus nostri Conimbricenses quæst. 1. procijs Physic. asserunt scientias distingui per distinctas scibilitates obiectorum, quia quæcumque scientia distincta includit



cludit obiectum cum distincta scibilitate formali, seu distinctum formaliter ut scibile. Hic dicendi modus haud difficiliter precedentibus impugnatur, quia si per obiectum ut scibile intelligatur, obiectum ut denominatum actu scientiæ, distincta scibilitas obiecti procedet à distincta scientia, & ita supponetur distinctio huius ad distinctionem illius; & non poterit scientia per scibilitatem distinguui, sed potius scibilitas distinguetur per scientiam. Si verò per scibilitatem intelligatur capacitas, quæ est in obiecto ad terminandos actus scientiæ, hæc non distinguatur ab ipsa ratione formali obiecti; ac proinde idem est dicere scientias distinguui per distinctas scibilitates, ac asserere distinguui per distincta obiecta formalia, contra quem dicendi modum non leues difficultates supra expendi.

23 Sotus & alij referunt Nominales asserentes in Logica, Physica, & Metaphysica tot reperiri scientias, quot sunt conclusiones, quæ demonstrantur. Horum ratio esse poterat nullum reperiri modum, quo conclusiones illæ vniarentur ad vnam scientiam constituendam. Verumtamen P. Suarez Doctorum veterum scrutator affirmat 12. Met. disp. 44. sect. 11. num. 60. se non potuisse sententiam hanc apud Nominales reperire, quod mihi firmissimum fundamentum est ad asserendum nusquam id docuisse Nominales; fundamentum, quo hæc sententia his Doctoribus tribuitur, forsitan erit, illos docuisse habitus eiusdem scientiæ nullâ physicâ vniione annecti, sed tot dari habitus distinctos, quot conclusiones specie diuersæ; qui per aliquem extrinsecum respectum scientiam vnam component, & sæpè asserunt scientiam non esse vnam in esse rei, seu in esse qualitatis, esse tamen vnam in esse scibilis seu in esse scientiæ.

24 Picus Mirandulanus apud Nostros Conimbr. quæst. 1. Proœm. Physic. asseruit omnes conclusiones ad vnam scientiam ordinari, neque plures scientias adequatas reperiri, sed vnam tantum ordinatam ad intellectum perficiendum, quæ diuiditur in distinctas scientias partiales Physicam, Dialecticam, Metaphysicam, Mathematicam, & Theologiam, quod probat ex Aristotele 5. Ethicor. integrante vnam iustitiam ex distinctis scientiis moralibus, quia omnes ordinantur ad componendos mores: ergo habitus omnes, quos nos in scientias distinctas distribuimus, quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, vnam scientiam adequatam constituent.

25 Picus Mirandulanus ad vnam scientiam reuocauit conclusiones omnes, quas nos in scientias distinctas distribuimus, & Metaphysicam, & Theologiam reliquasque scientias, quas nos scientias adequatas appellamus, partes vnius scientiæ vocauit, distinguendo enim scientiam adequatam tanquam in membra diuidentia, in illas quas nos adequatas vocamus. Sententiam hanc referunt Nostri Conimbr. quæst. 1. Proœm. Physic. art. 2. in quam toto impetu inuehantur, in primis quia nulli vnquam Philosophorum in mentem venit; vbi cumque enim de scientiis meminere, de illis ut de rebus naturæ specieque distinctis mentionem faciunt. Secundo quia hic dicendi modus scientiarum splendorem non mediocriter obscurat, dum omnes in vnius corporis concretionem coniicit. Deinde quia fieri nequit ut tanta rerum dissidentium diuersitas, & tam vasta diuersarum naturarum sylua in vnius corporis vnitatem veniat. Deinde quia eadem ratione dici posset virtutum omnium materiam, & obiecta ad vnam tantum virtutem pertinere, quo nihil absurdius in doctrina Morali.

26 Expenis omnibus quæ in Mirandulani sententiam Conimbricenses congerunt, & reliquis, quæ in illam mihi potuere occurrere, illam tantum damnare audebo, ex eo quod discedit à communi loquendi modo, quem nostri scientiarum principes præscripserunt, neque aliquid ex ipsa rerum natura desumptum in illam apud authores lego, neque à me inueniendum esse præsumo. Ratio est, quia vnitatem, quam tribuit Mirandulanus scientiis omnibus non est realis, aut physica, sed tantum respectus quidam ad vnum intellectum, cuius omnes sunt perfectiones, quem respectum negare nobis non licet, omnes enim fateri tenemur ex obiectis distinctarum scientiarum constari vnius intellectus obiectum vnum adequatum, quod sufficere ait Mirandulanus, ut has omnes scientias, vnam adequatam appellemus, quam distribuimus in Metaphysicam, Theologiam, & reliquas scientias, quas nos adequatas appellamus. Neque hic dicendi modus negat distin-

ctionem specificam inter Metaphysicam, & Theologiam, & reliquas scientias, etiam si asserat omnes esse partes vnius scientiæ adequatas, quia in his totis, quæ non physicâ aliâ vniione partes habent connexas, non repugnat has inter se specie esse distinctas: exercitus enim est totum quoddam constans partibus inter se valde specie dissidentibus. Neque propter hanc scientiarum vniionem in ordine ad vnam tantum componendam illarum pulchritudo, quæ in distinctione ipsarum sita est, deperditur, sed tantum dicuntur distinguui ut partes, quæ antea ut tota distinguui dicebantur, potius illis accrescet noua pulchritudo ex vniione ipsarum ad aliud totum componendum. Exemplum de virtutibus moralibus potius sententiæ Mirandulani fauet, quia sicuti ex virtutibus moralibus inter se distinctis vnam iustitiam, 5. Ethicor. constituit Aristoteles, quia omnes ordinantur ad mores componendos, sic ex Metaphysica, Theologia, & reliquis scientiis, quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, potest aliud totum componi, quod scientia totalis dici poterit. Sic in aliis totis moralibus contingit, ex multis enim capitibus fit domus vna; ex multis domibus vna familia, seu genus vnum; ex multis familiis vnus populus; ex multis populis vna Prouincia; ex multis prouinciis Regnum vnum. Neque ex eo quod hæc omnia ad vnum totum redigantur aliquid distinctionis amittunt; duplex enim prouincia eandem habebit distinctionem siue ad regnum vnum utraque reuocetur, siue vltimò diuise maneant, & ut proprius desumamus exempla, eandem distinctionem, quam nunc habent, haberent omnia prædicamenta accidentium, quantitatis videlicet, qualitatis & cætera, etiam si ad vnum Accidentis prædicamentum reuocarentur, quod postea in nouem accidentium prædicamenta diuideretur.

27 Hurtadus disp. 1. Metaph. sect. subsect. 2. & Arriaga disp. 1. Logicæ sect. 3. subsect. 8. volunt vnitatem scientiæ constituere propter connexionem actuum inter se, licet Hurtadus non admodum clare loquatur tantum enim asserit 5. 186. aliquos habitus habere inter se naturale aliquod vinculum, quo nectantur in ordine ad aliquam scientiam, quod oritur ex dependentia actuum, à quibus procedunt, quia scientiæ à priori de homine per essentiam demonstrantur, prima passio, & per primam passionem passio secunda, & sic passionis reliquæ, quarum cognitiones dependent ab vna essentia cognitione, quam dependentiam habent illarum habitus in radice, seu in actibus à quibus procedunt. Similis dependentia reperitur in scientia à posteriori hominis, in qua cognitio primæ passionis dependet à cognitione secundæ, & cognitio essentia à cognitione primæ, quod ego verum esse existimo, non tamen probat Hurtadus similem connexionem reperiri in omnibus actibus, qui ad eandem scientiam pertinere dicuntur, quod difficile poterit defendi, & difficilior posset probari, quæ enim connexio poterit inesse inter conclusionem, quæ infert Physicus dari materiam primam, & conclusionem, quæ infert idem Physicus motum resiliencie impediri quiete negatiuâ, aut positiuâ in puncto reflexionis? Quæve connexio reperiri poterit inter conclusionem, quæ infertur ex principiis philosophicis dari vniionem superadditam inter materiam & formam, & conclusionem, quæ ex principiis ad eandem Philosophiam spectantibus deducitur motum successiuum potuisse, aut non potuisse esse ab æterno; aut motu alterationis præsentem contrariio fieri successiuè, & contrario absente fieri in instanti? Ego quidem quomodo conclusiones inter se adeò disparatæ allui possint, penitus ignoro, ni recurramus ad vnitatem obiecti, quia omnes prædictæ conclusiones versantur circa ens mobile, quod est vnum obiectum vnius Philosophiæ, quo dicendi modo incidimus in primam difficultatem, quæ exigebat rationem propter quam ens mobile fit vnum obiectum adequatum vnius scientiæ condistinctæ ab alijs, & ens corruptibile, aut ens corporeum, seu vniens non dicantur obiecta adequata aliarum scientiarum.

#### §. IV.

##### Propria sententia.

28 **L**egenda, vel supponenda sunt, quæ trado Controu. 15. de Anima, Punct. 4. vbi affirmo actus vitales non solum specificari ab obiectis formalibus, sed etiam ab obiectis materialibus, seu terminatiuis, quæ per se attingunt actus.



actus. Renocandum est etiam in memoriā, quod dicebam Punct. 1. videlicet aliud esse obiectum formale, quod tribuit speciem ultimam actui; aliud obiectum, ratione cuius actus formaliter pertinet ad hanc scientiam: obiectum enim formale conclusionis sunt praemissae, ex quibus deducitur; & obiectum formale ratione cuius actus pertinet ad hanc scientiam, ad Logicam v. g. est subiectum de quo verificatur praedicatum conclusionis, quatenus de illo tale praedicatum verificatur, quod proprius dicere subiectum formale, iam tamen vulgo subiectum, & obiectum confunduntur: his praemissis

29

Sit PRIMA CONCLUSIO. Fides diuina ut distincta ab aliis scientiis non potest distingui per subiectum formale, seu per obiectum terminatum actionis, sed tantum per obiectum formale ultimo specificas rationis actus. Per hoc optime distingui, sic probatur. Omnis actus fidei diuinae respicit tanquam obiectum formale motum diuinā reuelationē, cui innititur actus fidei, siue fides sit discursiua siue non, quod nullus negat, & nulli conclusioni aliis scientiarum Theologiae conuenit, quia actus reliquarum scientiarum Theologiae dempta nituntur praemissis non reuelatis: conclusio verò Theologica etsi resoluitur in reuelationem, tamen non nititur immediate in ipsa reuelatione, etiam si utraque praemissa sit reuelata. Rem exemplum explicet. Supponito Deum reuelasse omnem hominem esse rationalem, & hunc syllogismum conficito. Omnis homo est rationalis, Christus est homo, ergo Christus est rationalis. Obiectum formale huius conclusionis Theologicae non sunt praemissae formales, quae sunt duo actus fidei, sed praemissae obiectiuae, videlicet *omnem hominem esse rationalem*, & *Christum esse hominem*, quas etsi ego crediderim propter reuelationes, reuelationes non sunt, sed obiecta reuelata, propter quae assentior ego conclusioni Theologicae, quae non est actus fidei, sed assensus qui innititur in praemissis applicatis per actus fidei. Ex quo inferes actum illum, ergo est rationalis deductum ex illis praemissis, non esse actum fidei, etsi illius obiectum sit de fide, non solum, quia in se reuelatum est, sicuti de facto contingit, sed etiam in se reuelatum non esset; ex eo quod praemissae essent reuelatae, obiectum conclusionis esset reuelatum in praemissis, cum quibus identitatem habet, ac proinde postquam quis nouit reuelatum esse omnem hominem esse rationalem, & Christum esse hominem, poterat inferre: ergo reuelatum est Christum esse rationalem, & postea propter reuelationem immediate assentiri per actum fidei obiecto illius conclusionis, & actu fidei iudicare Christum esse rationalem. Itaque actus fidei semper innititur reuelationi tanquam obiecto formali, tanquam praemissae obiectiuae, si fides sit discursiua; vel tanquam puro formali motui si fides sit discursiua non sit.

30

SECUNDA CONCLUSIO: Theologia differt à reliquis scientiis ex eo, quod illius conclusio saltem inferatur ex una praemissa obiectiua reuelata, siue applicata per actum fidei, qui sit praemissa formalis conclusionis Theologicae. Per quod differt à reliquis scientiis, quae independentes à reuelatione & ab actu fidei applicante praemissas obiectiuas suas inferunt conclusiones, ad quas nulla praemissa supponitur, quae sit formaliter actus fidei. Differt etiam ab actu fidei, quia ut supra dicebam, obiectum formale actus fidei non est obiectum reuelatum, sed ipsa reuelatio. Differt etiam, si fides non sit discursiua, ex eo quod actus fidei ex nullis praemissis deducatur, conclusio autem Theologica semper ex praemissis inferitur. Quod si fides discursiua sit, in eo different, quod actus fidei, non supponit aliquam praemissam formalem, quae sit actus fidei, eo enim ipso, quod naturae lumine assentiar huic principio *quidquid Deus dicit est verum*, & actu fidei humanae, vel alio quocumque naturali assensu huic obiecto *Deus dicit esse Verbum incarnatum*, actu fidei credam Verbum esse incarnatum propter reuelationem, quae est praemissa obiectiua in syllogismo expressa. Conclusio verò Theologica praeterquam quod non supponit aliquam praemissam obiectiuam, quae reuelatio sit, supponit praemissam formalem quae sit actus fidei, ex vi cuius applicanda est aliqua ex praemissis obiectiuis. Ex his inferes, quod si quis tantum ex principiis lumine naturae notis demonstrat Deum esse infinitum, immensum, omnipotentem, omniscientem, liberum, absque ulla mutatione, & ostendat etiam modum, quo sint constituenda decreta Dei, ut illi possint liberè absque ulla sui mutatione conuenire, nul-

lam conclusionem ex illis esse Theologicam, sed omnes ad Metaphysicam spectare.

TERTIA CONCLUSIO. In reliquis scientiis ex praemissis formalibus, & obiectiuis nulla potest certa regula illis praescribi, per quam constitutur unitas adaequata totius scientiae, neque distinctio huius scientiae ab illa. Ratio est quia praemissae obiectiuae actuum pertinentium ad eandem scientiam adeo inter se sunt diuersae, ut nulla possit illis communis assignari ratio. Exemplum appono in duabus conclusionibus Logicis: *Diuisum latius patet membro diuidente*: *Definitio debet esse clarius definitio*. Praemissae prioris sunt: *Omne totum latius patet suis partibus*. *Diuisum est totum respectu membri diuidentis*, ex quibus inferitur: ergo *diuisum latius patet membro diuidente*. Praemissae posterioris sunt: *Omne quod deseruit ad explicandum debet esse clarius re explicanda*. *Definitio deseruit ad explicandum*, ex quibus inferitur: ergo *definitio debet esse clarius re explicanda* videlicet definitio. Quae ratio vniuersa poterit assignari in his praemissis? profecto ego nullam inuenio, quod si in his illam inuenire praesumpseris, recurre praemissas, quibus probat Philosophus primas qualitates attingere, & non excedere numerum octonarium, & illis rationem communem dato, quae inueniri non possit in praemissis ad distinctas scientias spectantibus. Idem dico de praemissis formalibus, non enim formales praemissae minorem inter se diuersitatem habent, quam obiectiuae.

31

QUARTA CONCLUSIO: Scientia totalis quatenus dicit aggregatum omnium actuum, qui eandem scientiam constituere dicuntur, distinguitur ab omni alia scientia per subiectum formale illius, de quo sub tali ratione communi demonstrat passiones, & proprietates, causas, & effectus inquirat. Hanc conclusionem ex ultimo doceri ab omnibus Philosophis afferentibus scientias distingui per suum obiectum formale, quod cum subiecto confundunt hoc tantum intendentes significare, quod ex eo patet, quod cum definiunt obiectum à quo afferunt scientias speciem desumere, dicunt esse illud cuius passiones & proprietates demonstrantur, effectus, & principia inquiruntur, quod non est scientiae obiectum strictè loquendo, sed illius subiectum. Deinde quia quoties ego praedico, seu ostendo aliquid de operationibus intellectus illis conueniens quatenus sunt sciendi instrumenta formalia, actus ille ad Logicam pertinere dicitur, & quoties praedico aliquid de homine, aut equo, aut de quocumque alio subiecto, quod illi conuenit, quatenus est ens naturale seu mobile, actus ille ad Philosophiam pertinere dicitur, & non inquirimus, ex quibus praemissis formalibus aut obiectiuis inferatur, hi enim actus, *Totum materiale compositum constat materia, forma & unione*. *Totum materiale compositum constituitur in loco per praesentiam superadditam*, eo ipso quod non innituntur reuelationi, aut principio reuelato, & ex parte subiecti dicant totum ut ens naturale, seu ut ens mobile pertinent ad Philosophiam, & hi actus, *definitio est clarius definitio*: *syllogismus constare debet tribus terminis*, exclusa reuelatione, & obiecto reuelato, cui innituntur, pertinent ad Logicam: ergo actus constituitur pertinet ad talem scientiam, quatenus dicit ordinem ad subiectum formale, de quo ex vi illius aliquid enuntiatur, quod dicitur scientia ostendere de obiecto formali, sumpto obiecti nomine ad subiectum significandum. Dixi eo ipso, quod hi actus non innituntur reuelationi, aut obiecto reuelato, quia reuelatio extrahere potest quodlibet subiectum à propria scientia; potest enim quacumque ratione consideretur quodvis obiectum reuelari, & propter illius reuelationem actu fidei credi. Similiter ex illo actu fidei credito potest inferri conclusio, quae erit Theologica, in quacumque materia contingat. Quod si velis ad hanc Theologiam, quam Doctores tractant tantum spectare ea quae de Deo inferuntur, ex his quae specialius ad Deum spectant, sicuti virtutes, quibus Deo moraliter coniungimur, & virtutes quibus ab illo separamur, & alia huiusmodi, conclusiones circa alias materias innitentes praemissis reuelatis ad hanc Theologiam reducto, aut dicto pro his ratione materiae Theologiae aliam instituendam esse.

32

QUINTA CONCLUSIO: Ratio illa formalis subiecti, ex vi cuius qualibet totalis scientia ab aliis distinguitur, sumitur ex ipsa rei natura iuxta quam rectè instituitur scientia adaequata de hoc formali subiecto sub hac extensione, seu vniuersalitate, & non sub alia maiori vel minori, quia hac ratione rectè scientiae distribuuntur, & aptè ut possumus

33



possimus conclusiones omnes ad aliquam illarum reducere, & hanc scientiam ab alia distinguere. Si enim quis vellet ad eandem scientiam reducere conclusiones Logice, & Mathematicæ incongruè satis coniungeret res, quæ ex natura sua, adeo inter se sunt diuersæ, non tamen hæc vniuersalis ratio subiecti formalis tribuentis scientiæ vnitatem, ita naturæ legibus præscribentibus, vt aliter non potuerit à scientiarum principibus taxari, attentâ etiam ipsarum rerum conuenientiâ, & disconuenientiâ. Tradit hanc conclusionem Smigietius disp. 17. sect. 2. vbi postquam dixerat scientias ex natura rei distinctionem habere, subdit: *Non tamen ita existimasse ex natura rei, quasi non potuerit saluâ rei naturâ, alia distinctio scientiarum institui. Si enim exercitus secundum varios ordines variè ordinari, & distinguere poterant, & quidem conuenienter ex natura rei, ita & scientiarum particularium multitudo in varios veluti ordines distribui poterat, spectando varios fines formarum, & varios modos, in quibus conuenire possunt. Nullus tamen melior, & conuenientior inuentus est quam iste, &c.* Pro eadem sententia refero Nominales, & omnes qui asserunt scientiam non habere vnitatem in esse entis, sed in esse scibilis, quibus terminis significari intenditur, scientiam non esse vnum ens, sed plura, quæ simul sumpta dicuntur vna scientia, & vniuersim omnes Doctores asserentes distinguere per obiecta, quæ illis ex ipsa rei natura conueniunt, qui nomine obiecti subiectum intelligunt, quod iuxta rei naturam conuenienter fit ex tali ratione cum tanta vniuersalitate, & non cum alia maiori, aut minori, etiamsi non inconuenienter ex alia, non tamen ex quacumque fieri possit: sicuti exercitus fit ex militibus, & ex his ducibus, qui possent ex paucioribus pluribusve fieri, non tamen ex quacumque alia multitudine minori, & maiori, quia licet multitudo ex qua exercitus fieri potest latitudinem patiatur, & indiuisibiles non habeat terminos, aliquos tamen magnitudinis, & paruitatis, quos non possit attingere debet habere, quia tanta potest esse hominum multitudo, vt nullâ militari disciplinâ possit gubernari, nullâque ciborum ali copia; & adeo exigua, vt nec minimum hostis impetum possit sustinere. Sic possent obiectum scientiæ adeo vniuersale, & extensum institui; vt nullis possit principiis comprehendere, & adeo exiguum, & inextensum, vt tantum intra illud possent intellectus vnam vel alteram elicere conclusionem, ita vt necessum esset innumeras scientias designari, quibus comprehenderetur totum obiectum, per quod intellectus variis discursibus diuagatur. Conclusio hæc probanda est ex rationibus, quibus omnes modos scientiam diuidendi ab isto distinctos impugnauimus; & ex argumentis adductis contra sententiam, quæ scientiam diuidit per obiectum, seu formale subiectum, quæ tantum probat obiectum formale vniuersumque scientia potuisse cum alia aliquantulum maiori, minorive latitudine desumi attentâ præcisè naturâ rerum, etiamsi iuxta hanc congruenter satis subiecta cum illa latitudine, quæ illis scientiarum Principes designarunt, distributa fuerunt, sicuti rectè attentâ naturâ rerum, quæ in Logica tractantur aptè ab hoc auctore in duodecim disputationes diuiduntur, & non minus aptè in quatuordecim ab alio tota Logicæ materies distribuitur, & ineptè in duas tantum, seu in centum disputationes alius eandem Logicam partiretur, ipsa enim Logicæ natura, seu earum rerum, quæ in Logica tractantur exposcit vt intra certam capitum latitudinem tota interficeretur Logica.

34

Sententiam hanc verissimam esse tibi persuadebis, si tibi fingas sententiam asserentem libros de generatione, & corruptione adquatam, totalemque scientiam continere, cuius obiectum est ens generabile, ad quod ordinantur omnia, quæ de natura qualitatum illarum, productione, & corruptione; de nutritione, & accretione; de rarefactione, & mixtione in his libris disputat Aristoteles, & hanc scientiam distinguere ab illa, ad quam pertinent reliqua omnia, quæ nos ad vnam Philosophiam reducimus, cuius obiectum esset ens naturale abstrahens præcisè à generatione, & corruptione, distinguere ab obiecto huius scientiæ instituta ex his, quæ in libris de generatione disputantur, cuius obiectum esset ens generabile & corruptibile; & hanc sententiam ita compositam seclis omnium auctoritate Philosophi, & reliquorum Doctorum impugnandam suscipias. Profecto nec mediocrem rationem contra illam meditaberis. Ex quo infero, non ita ex ipsa

rerum natura distinctis scientiis obiecta esse designata, vt aliter non potuerint obiecta distribui, & scientiæ ordinari, & inter se distinguere: vbi enim nulla est physica actuum aut habituum connexio, aut dependentia, strictior alia vnio non poterit excogitari.

Suadet etiam eandem sententiam dissertatio quæ inter Doctores de eadem Dialectica, An pertineat ad Philosophiam, an ad Metaphysicam, an specialis scientia sit dicenda: & de eadem Metaphysica an triplicem specie scientiam distinctam contineat, quas quæstiones non ex aliis principiis, quàm ex auctoritate Philosophi præscribente his scientiis propria obiecta vllus rectè definiat: postquam enim omnes conuenierint, scientias per obiecta distinguere, mensura singulorum obiectorum desumenda erit ex Philosopho, seu ex Principe cuiusvis scientiæ, quæ illi obiectum cum tanta latitudine, & vniuersalitate, & non cum alia maiori, minorive designauit. Lege si placeat circa prædictas quæstiones P. Suar. disp. 1. Metaphys. & PP. Conimbr. quæst. 1. Proem. Physica.

Obiicitur: Scientiæ distinctæ habent distincta principia, ex quibus suas inferant conclusiones: ergo per hæc principia poterunt scientiæ inter se distinguere. Respondeo concedendo antecedens, negando consequentem, quia principia specialia cuiuscumque scientiæ adeo inter se sunt disparata, vt sæpe nulla possint ratione vniuerbâ, quâ omnia inter se conueniant, fecerint à principiis aliarum scientiarum. Secundo quia distinctæ scientiæ distinctis vtuntur principiis, quia illis indigent ad distincta prædicata de subiectis formaliter distinctis inferendis, ac proinde prior est in quacumque scientia distinctio sui obiecti ab obiectis reliquarum scientiarum, quàm distinctio suorum principiorum ab aliarum scientiarum principiis. Demum noto, quod etiamsi per principia distincta scientiæ inter se distinguerentur, eadem latitudine distinguenda esse, quæ per obiecta distinguuntur, possent enim ex natura rei ex pluribus paucioribusve principiis distinctæ institui scientiæ, licet attentâ eiusdem rei naturæ, rectè ex principiis, quibus de facto vtuntur essent institutæ.

## PUNCTVM IV.

## De scientiarum subalternatione.

DE scientiarum subalternatione agit Aristoteles 1. Poster. cap. 9. text. 23. ex quo ferè omnes Doctores triplicem modum subalternationis in scientiis assignant. Primus est ratione finis, quia scientia hæc respicit illius obiectum tanquam proprium finem, sicuti ars frænefactoria respicit equestrem; & equestris respicit militarem, in quo sensu ars frænefactoria & equestris militari subordinari dicuntur, & artes seruiles architectonicæ arti. Secundus est ratione principiorum, quando principia vnius scientiæ sunt conclusiones alterius: tunc enim sicuti principia vnius scientiæ sunt sub alterius principiis, sic vna scientia dicitur esse sub altera. Tertius ratione obiecti, quando vnius obiectum est sub obiecto alterius contractum per differentiam accidentalem, sicuti se habet Perspectiua respectu Geometriæ, quia id quod Geometria probat de linea, Perspectiua probat de linea visuali. Ex his scientiis subalternatis illa proprie dicitur subalternata, quæ subalternationem habet ratione obiecti contracti per differentiam accidentalem, hanc definiuit Aristoteles 1. Poster. cap. 7. & 9. Constituit enim Philosophus subalternationem in eo, quod scientia inferior, seu subalternata à subalternante dependeat, illiusque demonstrationes sub eadem ratione formali ad se deriuat, quod fit quando scientia inferior accipit obiectum formale superioris, & illi tantum addit accidentalem differentiam. ratio est quia scientia, & demonstratio sequitur suum formale obiectum, ac proinde, vt scientia subalternata assumat demonstrationes subalternantis, debet suum obiectum desumere, non contractum per differentiam aliquam essentialem, quia iam non esset idem obiectum formale, sed contractum per aliquam differentiam accidentalem, quæ non extrahat obiectum à sua ratione formali, & illi aliquam adhibeat differentiam, vt aliquomodo saltem accidentaliter scientia subalternata à subalternante discrepet.

Ex hac doctrina tres proprietates agnoscunt ferè omnes auctores

35

36

I

2



authores in scientia subalternata respectu subalternantis. Prima est ut principia subalternatae probentur à subalternante. Hanc conditionem apposuit Philosophus 1. Poster. tex. 13. vel 69. ubi ait principia Harmoniae seu Musicae probari ab Arithmetica, cui Musica subalternatur. Ratione probatur proprietatem illam inseparabilem esse à scientia subalternata. Si principia vniuersae scientiae non dependeant ex principiis alterius, illae scientiae essent omnino diuersae, & nulla in illis reperiretur dependentia: ergo nec subordinationis, quae dicit dependentiam vniuersae scientiae ab alia: ergo ad rationem subordinationis seu subalternationis scientiarum requiritur ut principia scientiae inferioris, seu subalternatae, dependeant à subalternantis principiis. Secunda proprietas est, ut obiectum subalternatae contineatur sub obiecto subalternantis, ita ut ab illo debeat intrinsecè in esse & cognosci à priori. Conditionem hanc expressit Aristoteles 1. Poster. tex. 100. aliàs 300. dicens subalternatam habere quia, & subalternantem habere propter quia, hoc est, subalternantem probare à priori obiectum, quod subalternata tantum probat, à posteriori; ergo non potest perfectè sciri obiectum scientiae subalternatae, quovis obiectum subalternantis, sub quo continetur demonstratur propter quia, seu à priori, non enim perfectè res cognoscitur quovis à priori, qui est perfectissimus cognoscendi modus, innotescat. Secundò probatur inductione facta in omnibus obiectis subalternatis, & subalternantibus, in quibus semper subalternatum ab obiecto subalternantis dependet: cognitio enim linearis visualis dependet à cognitione linearis, & cognitio corporis humani fanabilis dependet à cognitione corporis humani. Ratione probatur, quia ideo datur transitus à subalternante ad subalternatam, ut quae sunt cognita in subalternante deferantur ad cognitionem perfectam eorum, quae sunt in subalternata, si cognitio à priori habenda sit: ergo obiectum subalternatae ut à priori cognoscatur dependet à cognitione obiecti subalternantis. Tertia conditio est ut obiectum subalternantis sit aliquo modo idem cum obiecto subalternatae, & aliquo modo diuersum ab illo. Explicuit hanc proprietatem Aristoteles 1. Poster. tex. 20. aliàs 58. 59. & 60. docens subiectum subalternantis debere esse alterum à subiecto subalternatae, quo modo loquendi significatur obiectum subalternatae accidentaliter differre, & non essentialiter, quia id cui essentialis differentia conuenit aliud dicitur, & id cui tantum accidentaliter alterum appellatur. Proprietatem hanc probauit supra num. 1. quae potissima est scientiae subalternatae, ex qua reliquae dimanant, cum enim scientia sequatur suum obiectum, eo ipso quòd scientia inferior sumat obiectum scientiae superioris, debet accipere cum obiecto principia, & demonstrationes scientiae superioris, & sibi applicare in obiecto superioris per differentiam accidentalem contracto, quia ratione sunt propriae demonstrationes illae quas scientia superior de eodem obiecto non contracto per talem differentiam exhibuit.

3 Ex hoc fit primum subalternationis genus ratione finis proprium non esse, & artem frænefactoriam non subordinari militari, neque artes seruiles arti architectonicae, quia huiusmodi artes, quae respiciunt alias, tanquam fines ad quos ordinantur, non ex illis desumunt obiectum, neque illarum principiis vtuntur, ars enim frænefactoria obiectum habet adequatè distinctum ab equestre, & equestre à militari; & ars sciendi lapides non habet pro obiecto obiectum architectonicae contractum, per aliquam differentiam accidentalem, neque ars frænefactoria vtitur principiis artis equestris, aut equestre desumit principia artis militaris, sed quilibet habet principia inter se diuersa, absque eo quod propria vniuersae artis possint deferre ad inferendas conclusiones alterius, neque vniuersae artis conclusionibus potest alia uti tanquam principiis ad proprias conclusiones inferendas.

4 Inferitur similiter reliquas scientias non subordinari Metaphysicæ, etiam si Metaphysica agat de ente in tota sua latitudine, & reliquae scientiae de ente contracto contento sub ratione communi entis, quia reliquae scientiae agunt de ente contracto per differentiam essentialem, quod diuersam scientiam sibi vendicat, ac ens abstractum ab illa differentia. Eadem ratione scientia de homine non subalternatur scientiae animalis, quia scientia de homine est scientia de animali contracto per differentiam essentialem. Ratio à priori est, quia illa, quae demonstrantur

Franc. de Oueda, Philosoph. Tom. I.

de ente, seu de quocumque predicato communi essentialiter contracto, non possunt demonstrari ex principiis, quibus demonstrantur illa, quae de illo predicato abstracto enunciantur, cum nullam connexionem habeant cum illo, sed specialiter oriuntur ex differentia contrahente, & propter eandem rationem nulla conclusio pertinet ad scientiam de illo predicato communi potest esse antecedens ad illa inferenda, quae de illo predicato iam contracto, seu de specie ad quam contrahitur enunciantur. Exempli gratia: demonstrat scientia de homine hominem esse admiratum, hoc inferri non poterat ex nulla conclusione, quam habeat scientia de animali, neque ex aliquibus principiis, quibus scientia de animali de illo disputet, quia esse admiratum oritur ex differentia rationalis inclusa in homine, de qua scientia de animali non agit, & cum qua nihil eorum, quae de animali abstractè sumpto predicantur connexionem habent, quia animal abstractè sumptum cum omnibus quae de illo possunt enuncitari secundum conceptum abstractum indifferens est ut coniungatur cum rationali, vel cum irrationali.

5 Ob eandem rationem scientia, quae agit de obiecto aliquo contracto per differentiam accidentalem in esse rei, respectu obiecti, essentialiter tamen in esse obiecti respectu talis scientiae, quia obiectum illud consideratur sub tali accidenti tanquam sub ratione formali obiectiua, ratione cuius subiecto conueniunt illa, quae scientia enunciat de tali subiecto, subalternata non erit respectu scientiae, quae agit de illo obiecto non contracto per illam differentiam, sed alia scientia essentialiter distincta, quia scientia illa non uti poterit demonstrationibus, neque conclusionibus scientiae de obiecto non contracto, ad inferenda illa, quae conueniunt obiecto contracto ratione differentiae, ad quam contrahitur, cum qua nullam habet connexionem. Ratio est quia scientiae differunt per rationem formalem subiecti de quo disputant, ratione cuius subiecto conueniunt illa, quae de illo enunciantur: ergo quotiescumque scientia agit de subiecto sub diuersa ratione formali, etiam si haec accidentalis sit subiecto; dummodo ratione illius conueniant subiecto illa, quae de illa scientia demonstrantur, scientia erit essentialiter distincta, & principiis essentialiter distinctis indigebit, & distinctis demonstrationibus. Confirmatur: scientia de homine albo formaliter ut albo, in ordine ad illa, quae homini conueniunt ratione albedinis, non minus differt à scientia de homine secundum se sumpto, quam differt scientia de homine à scientia de animali, quia sicut conclusiones, quae inferuntur in scientia de animali deferre non possunt ad inferenda illa, quae homini conueniunt, quatenus homo est, ita conclusiones, quae inferuntur in scientia de homine secundum se sumpto deferre non possunt ad inferenda illa, quae homini albo formaliter ratione albedinis conueniunt; quia nihil eorum, quae conueniunt homini quatenus homo est, connexionem habet cum aliquo illorum, quae conueniunt homini albo formaliter ratione albedinis.

6 Debet ergo scientia subalternata, quae agit de subiecto contracto per differentiam accidentalem, demonstrare passionem, quae illi subiecto conueniant ratione sui, & non ratione differentiae, praecise applicando subiecto contracto, id quod de eodem subiecto dicitur independenter à tali contractione, applicando demonstrationes propriae materiae, quas scientia subalternata in materia non contracta per differentiam accidentalem conficiebat, & non considerando differentiam contrahentem ut rationem formalem obiecti, ob quam rationem dicebat Aristoteles 13. Metaphys. summ. 1. cap. 3. Harmonicam non considerare vocem prout est vox, sed prout est numerus, & Perspectiuam non considerare visum, ut visus est, sed ut lineam; etiam si huius obiectum sit visualis linea, seu linea contracta per differentiam visualis, & illius obiectum sit numerus vocum. Cum ergo dicimus Perspectiuam respicere tanquam obiectum lineam ut in visu, non reduplicamus ibi rationem formalem obiecti, sed assignamus conditionem accidentalem, seu materiam, in qua linea consideratur à Perspectiuo. Ex quo etiam fieret, quod si illa conditio accidentalis ad rationem formalem obiecti scientiae subalternae pertineret, iam talis scientia subalternata non esset, quia in illa ratione formali esset independentes à subalternante scientia, habere enim principia

E

propria



propria, & proprietates illius rationis formalis demonstraret propriis demonstrationibus, & subalternantis scientiæ demonstrationibus.

7 Aduerto insuper, quod etiam si demonstrationes scientiæ subalternæ diuersæ videantur à demonstrationibus subalternantis ratione principiorum, quia subalternata vti-  
tus conclusione subalternantis tanquam principio, & ratione conclusionis, quia in Medicina conclusio est: *Vulnere circulari difficile sanatur*, quam nullo modo Geometria infert; nihilominus demonstrationes vtriusque scientiæ accidentaliter tantum differunt ratione materiæ affectæ differentiæ accidentali in demonstratione scientiæ subalternatæ, quæ non afficitur materia in demonstratione scientiæ subalternantis. Rem explicet exemplum. Conclusio illa *Vulnus circulare difficile sanatur*, hoc est, partes carnis à quibus vulnere circulari portio fuit auulsa, ex cuius defectu figuram circuli faciunt, difficilius vniuntur, quam vniuntur, si triangularem, aliamve figuram redderent, est purè Geometrica, quia difficultas illa vniionis non conuenit vulnere circulari, quia vulnus est, sed præcisè quia figuram retinet circularem, eadem enim esset difficultas in quacumque alia materia, in qua figura circularis contingeret, ac proinde probatio illius conclusionis non Medico, sed Geometrà incumbit, cuius est dicere, *omnis figura circularis habet partes inter se maximè distantes, quæ difficultius vniuntur*. Ex quo infero demonstrationem, in qua infert Geometra; ergo partes figuræ circularis maximè distant, & demonstrationem, in qua infertur; ergo vulnus circulare habet partes maximè distantes, tantum differre ex eo quod prior demonstratio abstrahit à materia; posterior verò fit in materia speciali, quæ differentia accidentaliter est, ac proinde demonstratio formaliter est eadem, & ex eisdem principiis, ex quibus fuit illatum hoc consequens, *figura circularis habet partes maximè distantes* potuit immediatè inferri consequens, quod infertur in demonstratione scientiæ subalternantis, videlicet, *vulnus circulare habet partes maximè distantes*, licet frequentius prius inferamus, ergo *figura circularis habet partes maximè distantes*, deinde ex hoc consequenti illato tanquam ex principio iterum subinferamus, ergo *vulnus circulare habet partes maximè distantes*, quæ illationes in re non differunt, posterior enim consequens in priori formaliter erat inclulum, sicuti in hanc vniuersali, *Omnis homo est animal* includitur hæc propositio, *Omnis homo albus est animal*, quia differentia accidentaliter albedinis non extrahit subiectum à ratione hominis, neque ratione talis differentie conuenit homini, qui est albus esse animal, sed præcisè ratione hominis, quod eodem prorsus modo contingit in vulnere circulari; ratio enim vulneris non extrahit circulum à propria ratione circuli, neque circulus, qui est in materia vulneris habet partes maximè distantes; quia est in hac materia, sed præcisè, quia circulus est.

8 Ex his infero, scientiam subalternatam distingui à subalternante inadæquatè & accidentaliter tantum ratione differentie non pertinentis ad rationem formalem scientiæ, ex eo videlicet, quod id, quod scientia subalternans inferebat abstrahens à materia, scientia subalternata infert in hac speciali materia, vel ex eo, quod id quod scientia subalternans inferebat in materia vniuersaliter sumptâ, scientia subalternata infert ex eisdem principiis in materia contracta per differentiam accidentalem, absque eo, quod ratione talis differentie prædicatum talis conclusionis inferatur de subiecto, sed præcisè ratione subiecti, quatenus ad talem contractionem supponebatur.

9 Ex his infero, nullam cognitionem practicam subordinari cognitioni speculatiuæ aliis scientiæ, quia cognitio practica respicit ex parte obiecti formalis factibilitatem, quam non respicit cognitio speculatiua, ac proinde cognitiones istæ differunt inter se ex obiecto, seu ex modo illud respiciendi, quæ differentia maior est, quam illa, quæ reperitur inter conclusionem scientiæ subalternatæ & subalternantis. Quod si communiter feratur multas scientias practicas subalternari speculatiuis vt Nauticam Astrologiæ; Musicam practicam Musicæ speculatiuæ; Medicinam Physicæ, ideo est, quia scientiæ practicæ in multis dependent à scientiis speculatiuis, quæ ita conducunt ad cognoscendum obiectum, circa quod tanquam circa materiam scientiæ practicæ versantur, vt absque illarum directione scientiæ practicæ procedere nequeant. Rem declarat exemplum. Nauticus cognoscit modum, quo nauius du-

cenda est, & quæ ratione debeat vela pandere, & remos inflectere, cognoscit etiam non oportere nauim mari credere, nisi quando tempus est tranquillum, quæ cognitiones practicæ sunt, & ad nauticam spectantes, verumtamen cognitiones illæ Nautico inutiles erunt, & nunquam opportunum effectum habere poterunt, absque alia Astrologica: ex vi cuius cognoscat tempus fore tranquillum, & mare pacatum, quod ex syderum coniunctione deducit Astrologia: duplicem ergo cognitionem debet habere Nauticus, quamdam merè speculatiuam, ex vi cuius cognoscat syderum conjunctionem, quodve tempus hæc, & illa syderum coniunctio portendat; aliam, quæ ratione debet expandere vela, remos flectere, nauimque ducere; prior illa cognitio speculatiua est non practica, nec propria artis Nauticæ, posterior practica propriissimæque artis Nauticæ, verum quia Nauticus vtræque indiget, & posterior priori regitur, & Astrologus nunquam indiget cognitionibus practiciis, quæ ad Nauticam propriè spectant, Astrologia dicitur scientia subalternans; & Nautica, scientia subalternata, etiam si conclusiones practicæ artis Nauticæ in principia propria resoluuntur, & non dependant à conclusionibus Astrologiæ, quod propriè requiritur ad scientiam subalternatam.

10 Similiter Medicus duplicem cognitionem habet quædam est de humorum natura, de illorum complexione, de herbarum qualitate, & virtute sanatiua simplicium, atque mixtorum, quorum obiectum cognitio speculatiua est, & ad Philosophiam spectat; poterat autem cognitio de humorum natura, & de illorum incomplexione in corpore sanabili dici cognitio Medici subalternata Philosophiæ, quia tantum attingit in subiecto differentia accidentaliter contracta, quod Philosophia attingit in omni corpore, vtræque tamen cognitio tam subalternans, quam subalternata speculatiua est, & secundum has cognitiones, quibus agnoscit Medicus complexionem humorum, & qualitatem naturam, & oppositionem cum aliis in corpore sanabili, verum est medicinam subalternari Philosophiæ, hoc tamen non est scientiam practicam speculatiuam subordinari, quia vt dixi tam cognitio subalternans, quam subalternata speculatiua est. Alia est cognitio practica, quæ attingit modum medendi, hoc est, applicandi medicinas, & alia media ad sanitatem inducendam, & vtendi herbis illis, quas ex Philosophia nouit Medicus habere virtutem sanatiuam, quæ cognitio non subalternatur cognitioni speculatiuæ de virtute herbarum, humorum complexione & qualitatum naturâ, & oppositione, sed quælibet cognitio in principia propria resoluitur, dicitur tamè posterior hæc cognitio priori subalternata, quia Medicus non poterit opportunè applicare hanc herbam corpori medendo, si prius non cognouerit naturam herbe, & corporis medendi naturam. Neque ex eo quod moueatur Medicus ex cognitione complexionis huius corporis, & virtutis sanatiuæ huius medicinæ ad applicandam hanc medicinam huic corpori, infertur cognitionem complexionis huius corporis, aut cognitionem Medicinæ esse practicam, quia Medicus neque producit ex vi huius cognitionis complexionem corporis, aut Medicinam, sed mouetur ad applicandam medicinam corpori, sicuti mouetur Deus ex cognitione peccati ad infligendam poenam, & tamen cognitio de peccato in Deo practica non est, quia ad cognitionem practicam vt dicebam Punct. 2. non sufficit quod ex vi illius alius effectus producat, sed requiritur, quod ex vi illius medio voluntatis actu producat obiectum terminans talem cognitionem.

11 Obiiciès primò: Principia aliarum scientiarum probantur à Metaphysica teste Aristotele 1. Physic. text. 8. & ad illam tanquam ad scientiâ vniuersalissimam pertinere probare omnium principia: ergo scientiæ omnes subalternantur Metaphysicæ. Respondeo Metaphysicam probare aliarum scientiarum principia demonstratione deducente ad impossibile deducendo ad duo contradictoria, negantes talia principia per principium vniuersalissimum quodlibet, est, vel non est, non verò demonstratione ostensiuâ, quæ demonstrat scientia subalternans principia subalternata, quando principia ista ex illius conclusione inferuntur.

12 Obiiciès secundò: Theologiam subordinari Metaphysicæ, quia hæc agit de Deo, illa verò de Deo contracto per differentia accidentalem extrinsecam, videlicet de Deo reuelato. Respondeo



Respondeo subiectum Theologia non esse Deum reuelatum, quia Theologia non infert: ergo Deus reuelatus est immensus, aut aternus: sed Deus secundum se, qui in Theologia applicatur intellectui per actum fidei innitens reuelationi. Addo, quod etiam Deus reuelatus esset obiectum Theologiae, non ideo Theologia esset subalternata Metaphysica, quia differentia illa non se haberet per accidens respectu scientiae Theologicae, cum plura de Deo propter reuelationem demonstraret Theologia, quae Metaphysica non assequitur.

13 Obiicies tertio: Scientia Animastica agit de operationibus intellectus; Logica agit de eisdem operationibus ut directis: ergo Logica agit de obiecto scientiae Animasticae contracto per differentiam accidentalem: ergo Logica subordinatur scientiae animasticae. Respondeo Logicae agere de operationibus ut directis respectu tantam rationem formalem obiectum ipsam directionem, ac proinde respectu Logicae directio differentia accidentalis non est, sed essentialis siue respectu operationum secundum se accidentalis sit, siue essentialis.

14 Obiicies quarto: Aristoteles 1. Poster. cap. 9. ait scientiam subalternantem demonstrare propter quid, & scientiam subalternatam demonstrare quia: ergo demonstrationes scientiae subalternantis, & scientiae subalternatae non possunt eadem esse, neque in eadem principia ultimam resolui, cum demonstratio propter quid sit a causis, & demonstratio quia ab effectibus. Respondeo saepe Aristotelem vocare tantum demonstrationem propter quid omnium perfectissimam de subiecto adequato totius scientiae, & reliquis omnes demonstrationes quia, etiam si in eadem principia illarum conclusiones resoluantur, & in hoc sensu dixit scientiam subalternantem demonstrare propter quid, quia demonstrat primam passionem de subiecto adequato totius scientiae, & scientiam subalternatam demonstrare quia, ex eo quod nihil demonstrat de subiecto adequato totius scientiae, semper enim agit de subiecto contracto per aliquam differentiam accidentalem.

PUNCTUM V.

De distinctione habitus in intellectu, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem.

1 Aristoteles 6. Ethicor. cap. 3. habitus animae diuinit in Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem; quae diuinit in praesentiarum breuiter exponenda, ut singula membra diuinit nobis innotescant. Diuinit, quod in hac membra partitur, non comprehendit habitum intellectus quatenus se extendit ad facultatem, & virtutem, sed tantum Aristoteles definiuit habitum intellectus, quo anima afirmando, vel negando verum dicitur: ipse habitus in cognitionem veram in se inclinantis, qui habitus ab Aristotele virtus appellatur. Cum enim virtus sit dispositio perfecti & optimi, & in intellectu verum sit optimum, hinc est quod habitus qui disponit ad cognitionem veram virtus appellatur. Ex hoc fit in hanc diuisionem non venire opinionem neque fidem humanam, qui habitus ex se indifferentes sunt ad cognitionem veram, & falsam, utriusque enim actibus falsitas potest contingere. Dicuntur habitus quorum actibus potest veritas, falsitas contingere, facultates, quia ex vi illorum facultatem habet intellectus ad verum, & falsum, & quasi liber est ad utramque partem. Sic sentiunt Alexander initio Topicor. ubi ait facultatem in utramque partem disputare, & circa utramque partem disputationis versari, & Niphus cum Petro Victorino 1. Rhetor. cap. 1. ubi asserunt facultatem esse idem, ac vim, vel potestatem, quae versatur circa utramque partem de omni materia, vel probabiliter ut facit Topica, vel ornate ut Rhetorica, vel sophistice ut facit Sophistica, necessarii aut euidenter versari non potest, quia necessitas & euidentia dari non possunt circa duplicem partem contradictionis. Neque audiendi sunt Rhetores quidam quos refert Alexander in principio Topicorum, qui ut suam facultatem extollerent inanis gloriae cupidi, absque ullo fundamento dixerunt Aristotelem 1. Rhetor. c. 4. Rhetoricam facultatem appellasse eo quod hominem in facultate constituat, ut illum reliqui colant & admirentur. Habitus erroris facultas non est, quia non est indifferens ad verum, & falsum, sed ex se ad falsum inclinatur, ex eo tamen potiori ratione ab hac diuisione reiiciendus, quia magis opponitur cum virtute, quam facultas. Et haec de toto diuinit.

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. 1.

& falsum, sed ex se ad falsum inclinatur, ex eo tamen potiori ratione ab hac diuisione reiiciendus, quia magis opponitur cum virtute, quam facultas. Et haec de toto diuinit.

2 Primum membrum diuinit quod est Intellectus aliqui a potentia intellectiva non distinguunt, verumtamen cum haec non sit habitus acquisitus, de quo agit Philosophus immerito in praesenti loco nomine intellectus potentia intellectiva desumitur. Melius sentit Albertus 6. Ethicor. tract. 2. cap. 18. ubi asserit intellectum significare habitum primorum principiorum, hoc est habitum, quo intellectus disponitur, & redditur promptus, ut bene versetur circa principia vniuersalissima, quae sunt intellectui euidentissima. Qui habitus iure optimo propter suam vniuersalitatem intellectus dicuntur, quia sicuti potentia intellectiva influit in actus omnium scientiarum, ab illa omnes isti dependent, sic aliquo modo habitus isti influunt in omnes actus cuiusvis scientiae, & ab illis horum veritas aliquo modo dependet, quia postquam quis illa, quae euidenter sunt nota proterius negat ad actus horum habituum reducitur, totaque res vsque ad haec prima principia resoluitur, & contra huiusmodi principia negantes infertur idem simul esse & non esse, quod contradicit principium illud vniuersalissimum implicat idem esse & non esse.

3 Nominem Scientiam non quaecumque demonstrationem, seu cognitionem euidentem intelligit Philosophus, sed illam quae speculatiue versatur circa obiectum, quod non potest sic, & aliter fieri, sed circa obiectum necessarium incorruptibile, & aeternum, ideo ab hoc membro diuinit excluditur conclusio euidentis procedens ex aliquo principio sensuum euidentia praecognito, quod potuit aliter contingere, & non ita percipi; excluduntur etiam omnes scientiae practicae, quod ostendam inter explicandum ultimum distinctionis membrum. Quod explicat Albertus tract. 2. cap. 2. in 6. Ethic. ubi ait in vera scientia omnes arbitrari id, quod scimus non posse aliter se habere, hoc est ad veram scientiam necessarium esse ut obiectum non possit aliter se habere, quod idcirco est necessarium ad veram, & perfectam scientiam, quia ea quae sunt contingentia, habent esse ita debile, ut quando fiunt, non possimus alio modo cognoscere utrum sint, vel non sint, nisi per sensum, neque possimus illa cognoscere in suis causis, quia cum causae possint illa producere & non producere nescimus utrum illa produxerint necne, nisi per sensum, non autem per veram & propriam scientiam: propterea non potest esse obiectum scientiae, quod debet esse tale ut non possit aliter se habere.

4 Tertium membrum diuinit est Sapientia quae secundum varias acceptiones solet intelligi. Primum pro congerie plurium, vel omnium scientiarum, quae in eodem homine reperiuntur, quae ratione hominem his scientiis instructum sapientem appellare solemus. Quomodo Arist. 1. Metaphys. cap. 2. vult hominem sapientem omnia eo modo, quo possibile est, scire. In hoc sensu videtur sumpsisse sapientiam Cicero in 4. Tuscul. & lib. 2. de officiis, quando dixit sapientiam esse rerum diuinarum, & humanarum causarumque, quibus haec res continentur, scientiam. Et hoc eodem modo videntur sumpsisse Philosophi, quando dicebant esse cognitionem rerum omnium, etiam vsque ad ultimas proprietates, quod vna tantum scientia praestare non potest, sed tantum omnium collectio.

5 Secundo sumitur Sapientia pro excellentia cuiuscumque scientiae vel artis, quo modo solemus vocare sapientem illum, qui ultra vulgarem modum alicuius facultatis notitiam assequutus est. Quo sensu videtur sapientiam accepisse Philosophus 6. Ethic. c. 7. quando dixit, sapientia in artificibus illis attribui solemus, qui absolutissimi sunt, unde Phidiam sapientissimum marmorarium, & Polyctum sapientissimum statuarium dicere solemus. Huius acceptionis meminit S. Thom. 1. part. quaest. 1. art. 6. ubi inquit in vnoquoque genere sapientem illum appellari, qui altissimam illius rei causam considerat, ut in genere artifex qui formam domus disponit, dicitur sapiens Architectus respectu artificum inferiorum, qui dolant ligna, vel parant lapides. Et de hac sapientia videtur loquutus S. Paul. 1. Corinth. 3. dicens ut sapiens Architectus fundamentum posuit.

6 Tertio sumitur Sapientia pro scientia omnium perfectissima, secundum quam acceptionem illa in hac diuisione adduxit Aristoteles, qui eodem lib. 6. Ethic. c. 7. dicit sapientiam

E 2. tiam



tiam esse perfectissimam quandam scientiam, quæ non solum ea, quæ ex principiis sunt cognoscit & per vniuersalissimas causas, sed etiam de aliarum scientiarum principiis iudicat, quam idem Aristoteles in principio Metaph. dicit esse Metaphysicam, & lib. 3. Met. tex. 15. dicit ex his, quæ ab antiquis determinata sunt apparere, quænam scientia sapientia nomine donanda sit; vnaqueque enim scientia potest hoc nomine appellari, sed si propriè loqui velimus, illa est verè sapientia, quæ & principalissima, & honorabilissima est, & cui reliquæ scientiæ tanquam ancillæ contradicere non debent, & quæ est ipsarum finis, quia huius causâ sunt cætera omnia. Quæ omnia approbat S. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. & inde infert sapientiam tantum esse vnam, quia etsi plures sint scientiæ, vni tantum principatus, & excellentia inter omnes potest competere, hancque Theologiam esse affirmat, etsi Aristoteles Metaphysicam esse existimauerit, quia nostram Theologiam non cognouit.

7 Huius sapientia sex conditiones deducit Suarez disp. 1. Metaphys. sect. 3. num. 8. ex Aristotele 1. Metaphys. cap. 2. Prima est vt versetur circa omnia, & sit eo modo quo potest, omnium rerum scientia. Secunda est vt in rebus difficilioribus, & à sensibus remotioribus versetur, ex his quæ intra humanæ scientiæ spheram, & intra naturalem hominis capacitatem continentur. Tertia conditio est, vt sit cognitio certissima. Quarta, vt sit aptior ad docendum, ad reddendas causas rerum, quarum est ipsa scientia seu sapientia, quam conditionem tradidit Philosophus 1. Metaphys. vbi dixit, signum scientiæ esse, posse docere, & ad sapientiam pertinere causas rerum cognoscere, & tradere, & in quacumque scientia illum sapientiore existimari, qui rerum causas intimius, & vniuersalius comprehendit. Quinta conditio est, vt propter seipsam, & sciendi causâ sapientia appetatur, hoc est, vt speculatiua, quod ad scientiæ dignitatem pertinet. Sexta conditio est, vt sapientia aliis scientiis pro sit potius, quam ministret. Harum conditiones nonnullæ aliis scientiis à Metaphysica distinctis conueniunt, omnes tamen perfectissimo, & eminentiori quodam modo Metaphysicæ competere probat P. Suarez supra citatus.

8 Tertium hoc membrum in re adequatè non differt à secundo, quia scientia omnium perfectissima intra reliquarum numerum continetur; differt tamen inadæquatè, quia secundum membrum extenditur ad plures scientias, hoc autem tantum ad vnam, etsi contentam in scientiis, quæ continentur in secundo membro diuidente. Differt etiam ratione, quia idem habitus potest dici scientia, quatenus cognoscit conclusiones per sua principia; & potest dici sapientia, quatenus procedit per altissimas causas & de aliarum scientiarum principiis iudicat. Vtramque distinctionis rationem attigit S. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 1. vbi dixit non esse absurdum vnum & eundem habitum habere duas rationes formales específicas, & constituere duplex membrum diuidens huius diuisionis; addiditque hanc diuisionem similem esse illi, quia diuiditur anima in sensitivam, vegetatiuam, & rationalem, & cuius diuisionis rationes omnes diuidentes eadem numero animæ physicè competere possunt.

9 Quartum membrum diuidens est *Prudentia*, quam definit Aristot. 6. Ethic. cap. 5. *Habitus cum vera ratione altissimus circa ea quæ bona, & mala homini sunt.* Dixerat enim prius prudentis viri esse consulere de his, quæ sibi ipsi bona sunt, atque vtilia. Distinguit S. Thom. 1. 2. quæst. 52. art. 4. artem à prudentia, quod ars dat facultatem operandi, prudentia verò dat vsum illius facultatis, ideo ars non præsupponit neque requirit rectitudinem appetitus, quam requirit prudentia, quia prudentia requirit hominem esse bene affectum circa finem, quod fit per appetitus rectitudinem. Hac de causa artifex magis laudatur quando sciens & volens facit opus disconforme regulis artis, quam si hoc faciat nesciens, & nolens, quia in primo casu non est malè affectus in habitu artis, sed in habitu appetitus, qui non pertinet ad artem; quicumque enim excellentissimus artifex potest pro sua voluntate in artem peccare, & non ideo dicitur minus conscius eorum quæ ad artem spectant: in secundo verò casu est malè affectus circa habitum artis, & minus conscius eorum, quæ ad artem pertinent, siquidem non ex prauo voluntatis affectu, sed ex ignorantia procedit disconformitas operis cum regulis artis.

Aliter in prudentia contingit, quia si artifex peccat non volens, & nesciens, minus peccat, quam si peccaret sciens, & volens: cuius ratio est, quia rectitudo appetitus, & voluntatis est de ratione prudentiæ, non verò de ratione artis. Sic in vniuersum homines, qui ex ignorantia, seu nescientia peccant, potius ignaros, & inscios, quam imprudentes appellamus; illos verò qui ex praua intentione delinquant, & fines sibi à ratione aberrantes proponunt, non inscios, sed imprudentes appellamus.

Hic prudentiæ habitus est recta ratio de rebus agendis, & in intellectu practico residet, quia ad hunc pertinet tractare de rebus agendis; aliquo modo esse in æstimatione docuit S. Thom. supra, quia ad hanc pertinet cognitio singularium, de quibus prudentiæ habitus fert iudicium, quomodo hic & hunc fieri debeant. Sub hac virtute prudentiæ tres alia solent constitui: *Eubulia* seu virtus, quæ nobis, & aliis recta consulimus: *Syneſis*, quæ in casibus extraordinariis qui non possunt ratione communi comprehendendi, iudicamus; & *Gnome*, quæ post rationem, & consilium iudicat quid agendum sit; quibus alij addunt virtutem perceptiuam, cuius proprius actus est imperium, & in hac virtute plures Thomistæ virtutem prudentiæ vltimò constituunt, & tres alios habitus ad hanc præsupponi affirmant, & ideo eodem prudentiæ nomine omnes appellari. At verò admittendi sunt quatuor habitus, vel tantum tribus tota prudentiæ ratio contineatur, parum ad rem nostram refert; cui sufficienter satisfacimus afferentes ad prudentiam pertinere tres illos habitus prius annumeratos, & quartum, si deus de imperij actu dicam Controu. 11. de anima Punct. 5. Circa distinctionem horum habituum in mea sententia vix potest aliqua reperiri difficultas: defendo enim Controu. 13. de anima Punct. 2. habitus intellectus non distingui ab intellectu speciebus, & ita facile est pro distinctione quorumcumque actuum habitus distinguere. De omnibus quæ ad Prudentiam spectant legendus est S. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 6.

Quintum membrum diuidens est *Ars*; artem autem definit Aristot. 6. Ethic. cap. 4. *habitus cum vera ratione efficiens*, & ideo ait artem versari circa ea, quæ esse, & non esse possunt, quorum principium est in eo, qui facit, non verò in eo quod efficitur, & ideo addit artem non versari circa actionem, sed circa factionem. Verum tamen difficultas est quomodo differant *factio*, & *actio*. S. Thom. 1. 2. quæst. 57. artic. 4. existimat factionem dici ab Aristotele actionem quæ transit in externam materiam, quam transeuntem appellare solemus; ex cuius mente solæ artes quarum actiones externæ sunt, comprehenduntur nomine artis in diuisione ab Aristotele adducta, & artes alias, quarum actiones sunt internæ, vt Grammaticam & Poësim, (quas solemus appellare artes *liberales*, seu liberales, ad distinctionem illarum, quarum actiones externæ sunt, quas *seruiles* dicimus, quatenus illarum exercitio corpus seruilius animo subditur,) ad scientiam reducit, quia sunt habitus cum ratione actiui distincti ab habitu prudentiæ. Ceterum etsi habitus isti aliquam similitudinem habeant cum scientia quia illorum actiones internæ sunt, nihilominus negari nequit magnam similitudinem habere cum aliis artibus, quatenus præscribunt modum, quo obiectum faciendum est, & à scientiis maximopere recedunt, quatenus plures exhibent demonstrationes circa suum obiectum deductas ex principiis legitimis; Grammatica verò & alia huiusmodi artes nihil demonstrant, neque aliquid ex principiis certis & euidentibus deducunt. Ob hanc rationem censeo dicendum ad hoc membrum diuidens reuocasse Aristotelem omnes artes liberales, quarum actiones internæ sunt, & has dici habitus cum vera ratione factiuos. Confirmatur ex ipso Aristotele, qui loco citato duas requirit condiciones ad rationem artis. Prima est, vt versetur circa aliquid singulare factibile, quod nūquam ex solis naturalibus principiis per se fiat (nisi forte casu contingat) sed operâ humanæ rationis, & ex his quæ præscribit habitus, ac proinde sit opus in se artificiale, cuius principium sit in ipso efficiente, & in intellectu humano per quandam illius operationem, quem aliqui vel proprio labore inuenerint. Secunda conditio est, vt tali operatione ratio, & intellectus operantis intendat rectitudinem ipsius operationis secundum se, siue illa operatio sit immanens, siue transiens; & his duabus conditionibus



conditionibus positis, distinguetur sufficienter ars liberalis à prudentia, quod intendere videtur Aristoteles cap. 4. citato, quem in hunc sensum interpretantur Valentinus 1.2. disp. 9. quæst. 3. Punct. 1.

13 Secundum hanc interpretationem dicendum est Aristotelem intellexisse nomine factionis quamcumque operationem suæ immanentem, siue transluentem distinctam ab operationibus ipsius appetitus, ita ut dependeat à voluntate, & appetitu quoad imperium, & non quoad efficientiam, sed ab alia potentia physice elicatur. Differt autem Ars à Prudentia, quia ars in actione seu in factione non attendit rectitudinem operantis, sed tantum ipsius operis, ita ut si opus sit iuxta artis præcepta, etiam si turpiter efficiatur ab operante propter finistram intentionem à qua imperatur opus artificiosum, habeat totam rectitudinem, quam exposcit ars. Prudentia verò versatur circa ipsas operationes immanentes, quatenus recte sunt moraliter, & recte ab homine exercentur, & ex honesta intentione procedunt, ita ut nunquam opus, quod peccaminosè sit quantumvis sit iuxta præscripta cuiusvis artis, seu scientiæ, possit dici factum iuxta veram prudentiam, cuius est ita voluntatem gubernare, ut ab illa peccatum omne remoueat.

14 Secundum hanc acceptionem ad hoc membrum reuocantur omnes scientiæ practiciæ, quæ sunt habitus cum ratione factiui, etiam si versentur circa operationes intellectus, sicut Logica, & ob hanc rationem huiusmodi scientiæ excludit Philosophus 1. Poster. tex. 5. aliis 7. & 2. Metaphys. tex. 3. à vera ratione scientiæ, ubi tantum scientiam purè speculatiuam, scientiam simpliciter appellauit, quam definiuit 6. Ethic. cap. 3. Hoc sibi volebat Aristoteles 6. Ethic. cap. 4. docens scientiam esse circa ea, quorum principium non est in nobis, hoc est quæ à nobis non sunt, seu quæ non considerantur, quatenus à nobis fieri possunt, seu ad hoc ut à nobis fiant, sed in ipsis rebus; hoc est, quorum principia contemplantur ex parte ipsius obiecti scientiæ, & nobis non insunt; Ars verò dicitur esse circa ea, quorum principium est in nobis ipsis, id est circa quæ nos ipsi artis ope facere possumus.

15 Ex hoc fit iuxta mentem Aristotelis scientiam non distinguere ab Arte ex eo, quod scientia aliquid de suo obiecto demonstret, & ars nihil de illo demonstret; quia etsi verum sit omnem scientiam plura de suo obiecto demonstrare, & nonnullas artes nullam omnem demonstrationem, tamen non est contra rationem artis plura de suis obiectis demonstrare; scientiæ enim practiciæ plura demonstrant de suis obiectis, & secundum acceptionem, qua hic videtur Aristoteles, scientiæ non sunt, sed artes. Distinguntur ergo scientiæ, & ars ex eo, quod ars versetur circa operationes distinctas à voluntate quatenus à nobis fieri possunt; & scientia versetur demonstratiuè circa illa, quæ à nobis fieri nequeunt. Ex quo fit, ut optimè docuit Aristoteles Met. tex. 3. scientiam per se afferre causas sui obiecti, quia illius est rem per causam ostendere, artem verò (sub qua scientiæ practiciæ continentur) per accidens causas adducere, quia ad artem, & ad omnem habitum practicum tantum spectat dare modum, & regulam operis faciendi, & illud etiam facere, quando fieri debet, quod si causas afferat, has non adducit præcisè ut res per causas melius innotescat, sed ut causis cognitis facilius res fieri possit.

16 Ex his concluditur habitum, virtutem, quem intendebat Aristoteles dividere, in hæc quinque membra adæquate secari, quia omnis habitus aut est speculatiuus, aut practicus: si speculatiuus aut est habitus, quo intellectus bene disponitur circa principia vniuersalissima, aut circa principia seu conclusiones alicuius peculiaris scientiæ. Si circa principia vniuersalissima, erit intellectus. Si circa principia alicuius scientiæ, aut circa principia omnium perfectissimæ, vel non omnium perfectissimæ. Si circa principia omnium perfectissimæ, erit sapientia, quatenus conuenit cum aliis in hoc, quod est versari circa principia peculiaris scientiæ, erit scientia. Si versetur circa principia scientiæ non omnium perfectissimæ, erit scientia, & non sapientia. Si habitus sit practicus, aut erit actiuius, aut factiuius. Si actiuius, erit prudentia: si factiuius, erit ars.

17 Nota vltimò quod licet in præsentī nomine scientiæ Aristoteles scientias practicas non comprehendat, quia non quamcumque cognitionem demonstratiuam scientiæ,

*Plane, de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.*

tiam appellauit, iam tamen frequenter Philosophi scientias practicas, scientias simpliciter dicunt, & omnem cognitionem demonstratiuam, scientiam appellant, in quo ab Aristotele non recedunt, qui 6. Met. 1. inter scientias intellectuales annumerat Philosophiam moralem, & artes, non quia omnis ars sit scientia, sed quia ratio scientiæ cum ratione artis non opponitur. Quod si Aristoteles in præsentī scientiam, & artem distinxit tanquam membra in se opposita, ideo fuit, quia nomine scientiæ non scientiam secundum totam suam latitudinem desumpsit, sed contractam ad rationem scientiæ perfectissimæ, quæ est scientia purè speculatiua. Quod si velis defendere scientias practicas ex eo præcisè quod sunt practiciæ, etsi demonstratiuè circa suum obiectum procedant, absolute scientias non esse dicendas, quæstio erit pura de nomine, conueniensque in obiecto & in modo tendendi circa tale obiectum his scientiis assignando, & tantum in nomine illis imponendo dissenties.



## CONTROVERSIA II.

### De Proemialibus Logiciæ.

#### PUNCTVM PRIMVM.

##### De obiecto Logiciæ.

##### §. I.

##### Pramittuntur quedam.

**C**ONSTANS est omnium sententia Logicam agere de modo sciendi, hoc est de sciendi instrumento, quod forsitan tantum est demonstratio, quia hac solum scire dicimus, nihilominus Logica non tantum agit de demonstratione, sed etiam de oratione, propositione, diuisione, definitione, argumentatione, & syllogismo in communi; & de omnibus illius speciebus, quia hæc omnia, vel partes sunt modi sciendi, sciendique instrumenta, vel eorum notitia requiritur ad cognitionem demonstrationis, quapropter à multis demonstratio obiectum dicitur attributionis, reliqua verò obiecta attributi, de quo postea.

In hoc sciendi modo quatenus continet hæc omnia inueniuntur in primis conceptus formales, actus videlicet intellectus, in quibus formaliter consistit sciendi instrumentum definitio, propositio, argumentatio, &c. quia nullo alio modo fiunt hæc instrumenta, quam formando hos conceptus, hoc vel illo modo inter se ordinatos, quos postea voce manifestamus, & aliis mediis his vocibus proponimus interna sciendi instrumenta à nobis facta, definitionem, & argumentationem, &c. quibus correspondent voces externæ tanquam conceptibus, loco quorum substituantur. Conceptus isti, seu hæc sciendi instrumenta habent obiecta in quæ feruntur, & quæ representantur, seu cognoscuntur, per cognitiones illas, in quibus consistit formalis definitio, propositio, & argumentatio, &c. quia omnis cognitio alicuius obiecti siue realis, siue ficti est cognitio. Ex his orta fuit diuisio modi sciendi in formalem, in obiectiuum, & vocalem. Modus sciendi formalis dicit conceptus illos internos, ex vi quorum rem definitio, affirmo, infero in syllogismo probabili & demonstratiuo, qui dicuntur instrumenta sciendi formalia, quia tanquam propriæ formæ inhaerent intellectui: talis est conceptus respondens his vocibus *animal rationale*, in quo consistit clara, & definitiua cognitio, seu definitio hominis, & sic de aliis huiusmodi conceptibus. Modus sciendi obiectiuus sunt obiecta significata per modum sciendi formalem, quæ representantur per cognitiones, in quibus consistunt formalis definitio, propositio, & argumentatio. Modus sciendi vocalis dicit voces respondentes conceptibus, in quibus consistit modus sciendi formalis, v. g. voces istæ *animal rationale*, quæ dicuntur vocalis definitio, quia substituantur loco definitionis formalis, seu conceptus, quo hominem quidditatiuè, & definitiue cognosco. Ex his quæstio suborta, an obiectum Logiciæ sit modus



sciendi formalis, an obiectivus, an etiam se extendat ad modum sciendi vocalem?

3 Oportet etiam advertere quaestionem non esse an Logica agat de conceptibus formalibus, in quibus consistunt sciendi instrumenta, secundum rationem communem cognitionis, seu actionis vitalis, & spiritualis; sub his enim formalitatibus ad libros de anima spectant, sed tota difficultas est an Logica agat de conceptibus formalibus secundum specialem rationem instrumentorum sciendi, videlicet quatenus sunt formalis definitio, divisio, & argumentatio, &c.

4 Statuendum est etiam non ita posse agi de conceptibus formalibus, quin aliquo modo agatur de obiectivis, quia cum ad hos illi referantur, non possunt cognosci, quin indirecte & in obliquo illorum obiecta cognoscantur, quae conceptus obiectivi dicuntur. Ex his fit auctores asserentes Logicam tantum agere de conceptibus formalibus, negare non posse aliquo modo obiectivos attingere, quia tantum potest esse quaestio an conceptus obiectivi primò, & per se attingantur, ita ut sint obiectum Logicae primarium, an tantum secundariò, & in obliquo ratione formalium, quod tantum possunt affirmare, qui asserunt Logicam tantum agere de conceptibus formalibus.

5 Eadem imò potiori ratione dicendum est illos, qui asserunt Logicam tantum agere primariò de conceptibus obiectivis, negare non posse agere de conceptibus formalibus, per quos entia illa, quae per formales cognoscuntur dicuntur obiecta. Ratio est perspicua, quia Logica non agit de obiectis cognitis praecise secundum suam entitatem, cum enim agit de natura generica, & specifica, non agit de natura animalis, & hominis quae genus & species denominantur, sed de illis quatenus subiiciuntur his denominationibus, neque de obiecto definito, aut demonstrato secundum se, sed quatenus subest definitioni, aut demonstrationi, aliàs Logica ageret de omni ente secundum se sumpto, cum nullum sit ens, quod non sit obiectum modi sciendi formalis. Addit bene Ariaga disp. 2. sect. 2. subsect. 2. non posse agi de rebus obiectis, ut subest conceptibus formalibus, seu de obiectis ut formaliter sunt obiecta, quin agatur de ipsis conceptibus formalibus, per quos illa, quae cognoscuntur, constituuntur formaliter obiecta, & per quos formaliter dicuntur conceptus obiectivi subesse formalibus, sicuti non potest agi de obiecto ut albo, quin agatur de albedine, per quam constituitur formaliter album, quia ratione postea probabo conceptus formales, seu modum sciendi formalem necessariò pertinere ad obiectum formale Logicae.

## S. II.

### Voces non sunt obiectum Logicae.

6 Non potest in quaestionem vocari an voces secundum se cadant sub Logicae obiectum, sed tantum tractanda est difficultas de vocibus, quatenus in syllogismo, & in aliis sciendi instrumentis, constituuntur, & ordinantur.

7 Multi referunt pro scientia affirmatiua Nominales asserentes Logicam tantum agere de vocibus, ac proinde has esse obiectum adequatum Logicae; illos tamen ab hac impostura defendit Hurradius disp. 1. sect. 3. subsect. 1. qui hac voce *nomen* utebantur ad significandum conceptum illi respondentem, sicuti enim nomina loco conceptuum substituuntur, sic nominibus utebantur loco conceptuum, & illa quae de conceptibus significare volebant, de nominibus praedicabant, quod in causa fuit ut vulgò *Nominales* appellarentur, in cuius nominis ignominiam illorum gloria praevaleuit, quae ex doctissimis viris in nomen ipsum aliàs non decorum, iam ad illos contractum redundavit, & magno scholae plausu *Nominalium* hodie nomen recipitur.

8 Alij sunt, qui vulgi errore suffulti pro se referunt Nominales, asserunt voces esse obiectum inadequatum Logicae.

9 Alij acuti recentes tenent voces esse obiectum materiale Logicae, quia participant artificium modi sciendi derivatum ex conceptibus formalibus; sicut actus externus prudentiae participat ratione virtutis derivatum ab actu interno.

Dicendum est cum communi Doctum sententia, quos refert, & sequitur P. Suarez disp. 1. Metaphys. sect. 4. n. 27. voces nullatenus ad Logicum spectare, neque aliquam rationem obiecti Logicae habere, quod sic probabo. Significatio & congruentia vocum non spectant ad Logicum, sed ad Grammaticum, cuius est nominibus uti significantibus id quod intendimus, & congruenter nomina seu voces componere, quibus utitur. Ornatus earundem vocum non pertinet ad Logicum sed ad Rhethorem. Sed in nominibus seu vocibus praeter significationem, congruentiam, & ornatum nihil reperitur: ergo nihil est in vocibus, de quo agat Logicus.

Dices in syllogismo vocali reperiri ordinem, quo prius ponitur maior, deinde minor, & posterius consequentia; & in propositione inveniri signum, ita collocatum ut afficiat hunc terminum & non illum, quae omnia ad Logicum spectant. Respondeo, huiusmodi collocationem non spectare ad Logicum, sed ad Grammaticum; quod probabo, & non solum dissolvo argumentum, sed meam conclusionem confirmo. Ad Grammaticum spectat uti vocibus significantibus res eo modo, quo à nobis concipiuntur, & illas adducere, ita ut supposita liberè hominum impositione substitui dicantur loco conceptuum, quos exprimere intendimus: ergo ad Grammaticum spectat tali modo ordinare voces ut propositio constitatur affirmatiua, & ut signum hunc terminum afficiat, & ut haec propositio vocalis substituat loco huius mentalis, quae dicitur maior; & illa vocalis propositio loco illius, quae dicitur minor; & alia vocalis propositio loco mentalis, quae consequentia dicitur, alioquin res non significarentur vocibus eo modo, quo concipiuntur, neque voces substituerentur loco conceptuum: ergo ad Grammaticum spectat totum artificium syllogisticum, quod potest reperiri in vocibus, si in his aliquid reperitur. Probo antecessens: voces inuenta sunt ad significandos nostros conceptus, & cum quis lingua Latina instituitur, id intenditur, ut ille vocibus Latinis uti sciat, ita ut illis suos exprimat conceptus, & similibus vocibus ab aliis explicatos percipiat: ergo ad artem cuiuscumque linguae, seu ad Grammaticam illius pertinet uti vocibus eo modo, quo res exprimuntur, ea ratione, quae concipiuntur, & quo nostri interni conceptus panduntur. Consequentiam prioris enthymematis probabo. In syllogismo vocali tantum requiritur ille verborum ordo, ex vi cuius sufficienter exprimitur mentalis syllogismus, seu explicantur conceptus formales in quibus consistit syllogismus mentalis: ergo si ordo requisitus ad hanc expressionem mentalis syllogismi pertinet ad Grammaticum, ut iam probavi, nullus est ordo in syllogismo vocali, qui ad Logicum pertineat.

Obiicies primò: Logica est ignoti manifestatiua. Sed voces manifestant ea, quae sunt ignota: ergo voces pertinent ad Logicam. Respondeo voces manifestare Grammaticaliter non Logicè, Logica enim per expressiores conceptus manifestat nobis obiecta illa, quae confusè cognoscebamus; voces verò non ipsi proferenti aliquid manifestant, sed tantum audienti ea, quae per Logicam vel aliunde proferens didicit. Sic de vocali definitione dicendum est explicare rei naturam Grammaticaliter, & in ordine ad audientem, qui illi exterius manifestat conceptus proferentis, per quos natura definiti Logicè explicatur, & haec explicatio, seu definitio interna ad Logicam spectat, & non illa externa vocalis.

Obiicies secundo: Ad Logicum spectat contemplari syllogismum vocalem: ergo voces pertinent ad Logicam. Probo antecessens: Grammaticus non potest cognoscere an syllogismus vocalis rectè, vel malè sit constructus: ergo haec contemplatio ad Logicum pertinet. Respondeo omnia, quae pertinent ad voces rectè geri, si respondeant conceptibus, cuius sunt signa, quod ad Grammaticum pertinet, neque de illis aliquid aliud contemplandum est. In vocibus enim non spectanda est forma syllogistica, sed significatio conceptuum, quod si hi formam syllogisticam habeant, hanc voces representant, & homo instructus simul Logicè & Grammaticè, per Logicam speculabitur conceptus internos, quos postquam noverit, per Grammaticam tantum cognoscet, an voces formae syllogisticae respondeant, quod est habere totam figuram syllogisticam, quae in illis potest reperiri. Quod si purus Grammaticus id praestare nequit, ideo est quia non cognoscit an conceptus illi, quibus voces respondeant, habeant in se figuram syllogisticam.



sylogisticam, & ita postquam nouit voces conceptibus his respondere, dubius manet, an respondeant conceptibus habentibus formam syllogisticam, & an habeant formam syllogisticam, quæ in ipsis potest exposci, quod est idem; sicuti pictor postquam nouit imaginem, referre hanc figuram, ignarus erit, an referat figuram leonis vel ursi, si aliunde non nouit, an hæc figura sit leonina vel ursina, quod arte pictoria comparare non poterit.

14 Obiectis tertio: Terminus distinguitur in terminum mentalem, & vocalem; ergo Logica agit de termino vocali: ergo de vocibus: ergo voces sunt obiectum Logicae. Respondeo eodem modo posse probari scripturam esse obiectum Logicae, quia similiter diuidimus terminum in mentalem, vocalem, & scriptum, quapropter assero diuisionem illam esse nimis impropriam, & analogam; sicuti diuisio quæ solem hominem diuidere in hominem uiuum, & hominem pictum.

15 Ad exemplum recentiorum quod adduximus de actu externo prudentiae, qui simul cum interno ad virtutem prudentiae pertinet. Respondeo talem actum externum pertinere ad virtutem prudentiae, quia est effectus actus interni prudentiae, à quo imperatus procedit, syllogismus uero vocalis non est effectus syllogismi interni mentalis, neque ab hoc imperatur seu dirigitur, sed tantum procedit directus regulis Grammaticæ, quarum directione ita disponuntur voces, ut respondeant conceptibus, in quibus interius syllogismus consistit, quem voces respiciunt non tanquam principium dirigens, aut imperans, sed tanquam obiectum, quod significat, seu loco cuius subiacent.

16 Adduci etiam solet S. Thomas opusc. 9. quæst. 1. & initio libri Periherm. pro sententia asserente voces esse obiectum Logicae, intelligendus uero est Angelicus Doctor de vocibus pro conceptibus subrogatis, sicut Aristoteles saepe loquitur, & Porphyrius, qui librum prædicabilem, librum quinque uocum appellat.

### §. III.

#### Assignatur obiectum materiale Logicae.

17 Dicendum est cum Patre Suario 1. Metaphys. dist. 1. sect. 4. & tract. 2. disp. 36. in initio, Patre Foul. tract. 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 1. sect. 5. Hurt. disp. 1. sect. 5. subsect. 2. Arriag. disp. 2. sect. 1. subsect. 2. conceptus formales esse obiectum materiale Logicae, quod sic probatur. Dialectica seu Logica est ars præscribens regulas disputandi ut omnes fateantur, & docuit Aristoteles 1. Rhetor. ad Theodectem cap. 1. & 2. ubi docet munus Dialecticæ esse disputare, & 1. Periherm. cap. 1. ubi docet sciri oportere à Dialectico, quid sit affirmatio, & negatio, & S. August. 17. contra Cresconium cap. 18. dicit quid aliud est Dialectica, quam perita disputandi, & docuit Arist. & cap. 14. A disputatione Dialectica nomen accipit, ita Græcè Dialecticus multo uisitatior, & tolerabilior ratione dicitur disputator, quod si uisus admitteret Latine Dialectica, disputatoria diceretur: ergo ex mente Aristotelis, & Augustini Dialectica agit de affirmatione, negatione, & disputatione, sed affirmatio, negatio & disputatio sunt conceptus formales mentis: ergo agit de conceptibus formalibus. Confirmatur & declaratur eadem ratio: Logica agit de definitione, propositione, & argumentatione: sed definitio, propositio, & argumentatio important conceptus formales: ergo agit de conceptibus formalibus. Probo minorem: Conceptus, quem ego formo respondentem his uocibus animal rationale, recte explicat naturam hominis: ergo est definitio hominis: ergo definitio importat conceptum formalem, & sic de propositione & syllogismo, & reliquis sciendi instrumentis philosophandum: conceptus formales sunt sciendi instrumenta: ergo Logica, quæ agit de sciendi instrumentis, agit de conceptibus formalibus.

18 Vidi recentiores asserentes Logicam versari circa intellectus operationes tanquam circa finem, non tanquam circa obiectum immediatum, sicut ars frænefactoria habet pro fine equestrum, & pro obiecto fræni constructionem; sic Logicam habere dicunt pro fine conceptus formales dirigendos, & pro obiecto conceptus obiectiuos. Contra: Logica immediatius agit circa conceptus formales, quam circa obiectiuos: ergo non possunt conceptus obiectiuos habere rationem obiecti, & formales rationem finis. Antecedens probatur: Conceptus obiectiuus resultant ex forma-

libus, & eatenus potest illis aliqua regula præscribi, quatenus formalibus præscribitur, cum enim in se ipsis non fiant, sed tantum in formalibus, ex quibus resultant; sic in se ipsis dirigi non possunt, sed tantum in formalibus: ergo immediatius agit Logica de conceptibus formalibus quam de obiectiuis: ergo non versatur Logica circa conceptus formales tanquam circa finem immediatum mediis conceptibus obiectiuis, circa quos ut obiectum immediatum versetur. Corroborabitur præcedens conclusio rationibus, quibus iam probabo conceptus obiectiuos non pertinere ad primum Logicae obiectum.

Dicendum est secundò, Logicam primariò & per se non agere de conceptibus obiectiuis, sed tantum secundariò quatenus hi sunt obiectum formalium; sicuti pictor, qui agit de Cæsaris imagine tantum de Cæsare agit quatenus est obiectum imaginis, quæ est proprium & immediatum obiectum suæ artis. Logicam non agere de conceptibus præcisè secundum se sumptis, sed tantum quatenus formalibus subsunt extra omnem controuersiam est, de illis ergo tantum poterit agere quatenus formalibus subsunt. Sed hac ratione non posse de illis agere, nisi quatenus agit immediatè de formalibus, sic probatur. Eatenus potest agere de conceptibus obiectiuis ut subsunt formalibus, & de illis præcepta tradere quatenus ab ipsa fiunt: sed conceptus obiectiuus ut directi tantum fiunt à Logica, quatenus ab ipsa fiunt formales: ergo tantum potest agere de conceptibus obiectiuis, ut subsunt formalibus, quatenus agit de formalibus. Maior per se patet, frustra enim præcepta traderentur de illo, quod fieri nequit, præcepta enim ordinantur ad praxim, & ad illud per se tantum possunt ordinari præcepta, quod est praxis, seu operatio exercita præceptorum directione. Minorem probatur: in conceptibus obiectiuis ut directis, seu ut subsunt formalibus duo reperiuntur: entitates ipsæ, quæ cognitiones seu formales conceptus terminant. Sed Logica non facit entitates ipsas secundum se: ergo tantum afficit formales conceptus. Confirmatur & declaratur eadem ratio: conceptus obiectiuus ut directi, seu ut formalibus subsunt per se non fiunt, sed tantum resultant ex formalibus, sicuti denominatio uisi resultat ex uisione, & eatenus tantum possunt bene malè fieri, quatenus bene vel malè fiunt formales: ergo tota directio eò debet tendere, ut rectè fiant formales, quibus rectè factis obiectiuos rectè esse directos necesse est: obiectiuus enim ut directi, tantum fiunt in directione ipsa, sicuti paries formaliter ut uisus tantum fit in ipsa uisione. Rem unico cape verbo. Id doceor Logica, quod facio: Sed ego tantum facio conceptus formales: ergo tantum Logica doceor circa conceptus formales. Rursus, Logica tantum docemur definire, diuidere, enunciare, & arguere, sed hæc omnia tantum consistunt in nostris intellectus operationibus: ergo Logica tantum agit de nostris intellectus operationibus.

Dices his probari actus practicos Logicae tantum tendere circa conceptus formales, dari tamen in eadem Logica alios actus speculatiuos, qui versantur immediatè non solum circa conceptus formales, sed etiam circa obiectiuos. Poteram solutionem reicere ex dicendis Punct. 5. ubi probabo nullum actum speculatiuum reperi in Logica; sed esto, actus speculatiuos contineat Logica, adhuc hi tantum immediatè formales conceptus intuebuntur, quod sic probatur. Logica non speculatur res secundum se sumptas, sed formaliter quatenus directas: ergo id, quod formaliter speculatur, est earum directio. Sed directio ipsarum nihil aliud est, quam formales conceptus, à quibus obiecta extrinsecè directæ dicuntur: ergo id, quod formaliter Logica immediatè contempletur, tantum est directio conceptuum obiectiuorum, quæ non distinguitur à conceptibus formalibus.

Dices, conceptus ut directos duo dicere, formalem directionem, & obiecta, quæ ab hac extrinsecè directæ dicuntur, & utrumque Logicam speculari. Contra: Logica non agit de obiectis, quæ conceptibus formalibus directæ dicuntur, secundum se sumptis, ut distinctis à formalibus, sed illa formalitate, sub qua subeunt denominationem directorum: ergo tantum agit de forma illa à qua procedit talis denominatio; sicuti pictor, qui agit de tabula ut picta tantum agit primariò, & per se de pictura, & de tabula tantum secundariò. Confirmatur: conceptus obiectiuus ut directi tantum dicunt primariò, & per se illud supra quod cadit reduplicatio uisus hæc tantum cadit supra rationem

E 4 formalem



formalem illorum : ergo conceptus obiectiui formaliter vt directi tantum dicunt primario & per se directionem & secundario & in obliquo subiecta, quæ denominantur directa : ergo dicere Logicam agere de conceptibus obiectiui formaliter vt directis, tantum est dicere Logicam primario agere de directione, secundario de subiectis, quæ his subiunt. Particulam *vt* tantum cadere supra rationem formalem illius, quod afficit, communis omnium loquendi modus ostendit, & communi omnium consensu imposita est ad hanc rationem formalem significandam, quod constat ex omnibus loquutionibus, quibus hac particula vtimur, dicimus enim de subiecto albo & dulci, v. g. de saccharo, saccharum vt est album, non est dulce, quo tantum significamus albedinem non esse dulcedinem, seu non esse eandem formam, est vi cuius idem subiectum album constituitur, & vi cuius dulce redditur.

22 Obicit Hurtadus ; Plura præcepta, quæ tradit Logica non possunt verificari de conceptibus formalibus, sed tantum de obiectiui : ergo Logica non tantum agit de conceptibus formalibus, sed etiam de obiectiui. Probat antecedens : Logica docet definitionem, & definitum debere conuerti, quod non potest conuenire conceptibus formalibus, qui inter se conuertuntur, & optimè quadrat conceptibus obiectiui : deinde docet genus prædicari de specie, quod de conceptibus formalibus dici nequit, sed de obiectiui : Similiter docet vtramque præmissam non distingui realiter à conclusione, sed tantum ratione nostra, quod verum est in præmissis, & in conclusione obiectiui, & non in formalibus, ergo hæc & alia huiusmodi præcepta traduntur tantum de conceptibus formalibus, & non de obiectiui. Si aliquid probaret hæc ratio extorqueret Logicam agere de obiectis conceptuum formalium secundum se sumptis, & non quatenus subiunt conceptibus formalibus, quod nemo admittit, & ego sic inferri probo. Obiectum conceptus formalis definiti, & obiectum conceptus formalis definitionis, seu definitionis formalis in se independentem à formalibus conceptibus absque vilo respectu ad illos conuertuntur, seu sunt idem vt per se notum est, & vt subiunt his conceptibus formalibus distinctis non conuertuntur : ergo hoc quod definitionem, & definitum conuerti, non conuenit conceptibus obiectiui vt subiunt formalibus, sed secundum se sumptis : ergo de illis secundum se sumptis agit Logica. Obiecta illa non conuerti vt subiunt illis distinctis cognitionibus sic probo : Obiecta vt subiunt illis cognitionibus dicunt formaliter cognitiones realiter distinctas : ergo licet materialiter conuertantur, seu sint idem simplex obiectum, formaliter non conuerti dicuntur, non enim concreta, quorum formæ distinguuntur formaliter sumpta, conuerti possunt, quantumuis subiecta conuertantur, quia hæc formaliter sumpta conuerti, dicit conuerti formas, per quas constituuntur. Confirmatur : hæc propositio in omnium sententia est falsa *saccharum vt subest albedini, subest dulcedini*, quæ idem sonat cum ista *saccharum vt est album, est dulce*, & vtrique dicit identitatem inter albedinem & dulcedinem : ergo similiter hæc propositio est falsa, *homo vt subest conceptui formali definitionis, seu definitio formalis, subest conceptui formali definiti*, quæ cum ista coincidit, *homo vt cognitus per definitionem formalem, est cognitus per conceptum formalem definiti*, qui non est definitio, sed conceptus confusus definiti, & vtrique importat identitatem inter definitionem formalem, & conceptum, ex vi cuius definitum confusè apprehenditur, quæ in re non subsistit, & ita vtraque propositio est falsa. Idem argue de identitate præmissarum cum conclusione, & generis cum speciebus, & de quibuscumque alijs.

23 Respondeo præcepta Logica immediatè tradi circa conceptus formales, quæ tantum dirigi possunt, quorum sensus hic est : Definitio & definitum debent conuerti, hoc est, conceptus formales definitionis, & conceptus formales definiti sic debent confici vt obiectum vtriusque sit idem inuisibiliter sumptum : Genus prædicatur de specie : hoc est, conceptus formalis generis, & conceptus formalis speciei tales debent esse vt obiectum conceptus formalis generis verè dici possit de obiecto conceptus speciei : Præmissæ non distinguuntur realiter à conclusione, hoc est conceptus formales præmissarum, & conceptus formales conclusionis sic debent efformari, vt obiectum conceptus for-

malis conclusionis non distinguatur ab obiecto conceptuum formalium præmissarum, & sic de omnibus alijs præceptis. Sic intelliguntur præcepta cuiuscumque artis, cum enim ars architectoria dicit, ædificium debet habere hanc proportionem longitudinis, & latitudinis, præceptum hoc immediatè dirigitur ab architecto, cui immediatè non præcipitur proportio longitudinis, & latitudinis, sed id, ex quo resultat longitudo, latitudo, & harum proportio, quod est præcipi illarum actionum lapidum & lignorum ex quibus resultant longitudo, latitudo harumque proportio.

## §. IV.

*An omnes operationes intellectus pertineant ad obiectum Logicæ.*

24 **E**st difficultas an Logica, quæ habet pro obiecto conceptus, seu intellectus operationes, versetur circa omnes operationes, apprehensionem videlicet, iudicium, & discursum ; an harum aliqua ab obiecto Logicæ sit excludenda ? Non desuere antiqui, qui tantum ad tertiam intellectus operationem obiectum Logicæ reducerent ; neque alij, qui strictiores terminos Logicæ obiecto assignarent assentes hos demonstrationem non excedere. Iam tamen inter authores tota controuersia ad apprehensionem simplicem deducitur. De iudicio & quocumque discursu apud omnes Doctores, vno vel altero dempto, statutum est ad obiectum Logicæ pertinere. Simplicem apprehensionem ab obiecto Logicæ excludunt Nostri Conimbricenses quæstion. 3. Proem. art. 3. Hurt. disp. 1. sect. 2. §. 16. Logicam amplecti tantum proprium obiectum omnes intellectus operationes defendunt P. Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 1. sect. 4. P. Fons. 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 1. sect. 5. P. Rub. quæst. 6. Arriag. disp. 2. sect. 4.

25 Præmitto duplicem dari apprehensionem, quamdam simplicem, aliam compositam. Simplex apprehensio dicitur illa, in qua obiectum apprehensum apparet indiuisibiliter vt vnum, siue in se sit vnum, siue plura, sicuti apprehensio, quæ fertur in rationale, quod ex parte obiecti dicit plura, & omnia instar vnius ex vi huius apprehensionis attinguntur. Apprehensio composita est illa, in qua obiectum instar duorum apprehenditur, sicuti in hoc complexo *animal rationale*, in quo rationale apprehenditur instar distincti ab animali, etsi cum illo identificetur.

26 Præmitto similiter bifariam posse rem aliquam arte dirigi. Primò vt compositum artificiosum, quod ars suâ directione construit, quo pacto cathedra domulæ ab arte dirigitur : Secundò potest dirigi non vt opus artificiosum neque arte factum, sed vt pars operis seu vt materia quam desumit ars in constructionem operis artificiosi. Sic domificatoris ars dirigit ligna, & lapides ab alio artifice expolita, ad quorum vsum, & non ad illorum effectiorem regulas præscribit. Quod primo modo dirigitur potest esse omnino simplex & omnis compositionis expert. Ratio est facilis : opus aliquod ab arte dirigi nihil aliud est, quàm in se tale euadere, quale illud præscribit ars, seu quale cognitio dicitur esse faciendum. Sed entitas omnino simplex potest fieri ea ratione, quæ cognitio dicitur esse faciendum : ergo opus omnino simplex potest dirigi cognitione præscribente non solum illius vsum, sed illius effectiorem : sic Angelus à Deo productus procedit directus secundum ipsius effectiorem à cognitione simplicis intelligentiæ, quæ Deus cognouit Angelum possibilem indifferenter vt produceretur. Quæ posteriori modo dirigitur, etsi secundum suam entitatem simplicia vel composita esse possint, quia possum ego vt rem simplicem vel compositam ad aliam construendam, semper dirigitur directione quadam ordinatâ ad opus componendum ex illo, cuius vsum præscribitur ; & ex alio adiungendo entitati, quæ vtimur tanquam materiâ, aut parte rei faciendæ. His præmissis duplici conclusione difficultatem definio.

27 Apprehensio composita potest dirigi ab intellectu in se vt fiat artificiosè, & de facto ita dirigitur, quod sic probo. Apprehensio, quæ expressè, & distinctè percipio partes metaphysicas hominis per conceptum respondentem his vocibus *animal rationale*, est faciendi instrumentum, videlicet, definitio



definitio constans genere & differentia facta iuxta regulas Logicae, quae praescribunt definitionem debere constare genere & differentia: ergo haec apprehensio potest dirigere Logicae praepcepto, quo instruitur hac ratione definitionem conficere. Confirmatur: si quis intendens hominem definire apprehenderet animal sensitivum, contra Logicae regulas definitionem exhiberet, seu potius nihil definiret: & si apprehenderet animal rationale sensitivum, definitio illa esset contra Logicae praepcepta, quia in illa superflueret ly *sensitivum*: ergo definitio fieri potest iuxta Logicae praepcepta, & contra eadem Logicae praepcepta: ergo potest praescribi Logicae praepceptis. Rem simplicem enthymemate ostendo: Logica tradit praepcepta definiendi: ergo definitio potest dirigi his praepceptis, alias superflue praepcepta ista darentur, si nihil deferuissent ad definitionem faciendam. Definitionem consistere in simplici apprehensione sic proba: quando ego dico, *homo est animal rationale* praedico definitionem de definito: ergo definitio non est totum hoc complexum, *homo est animal rationale*, sed illud extremum, quod se tenet ex parte praedicati, videlicet *animal rationale*, quod est obiectum simplicis apprehensionis, quae regulariter praecedit hoc iudicium, ut plurimum enim aequum ego enunciem *animal rationale*, apprehendo utrumque extremum, quod postea annecto per actum iudicii, & apprehensio terminata ad hoc extremum *animal rationale* est adaequata hominis definitio, quae ex parte obiecti continet quod essentiale est homini, & hoc distincte sine confusione partium metaphysicarum attingit cum discretionem inter genus & differentiam, videlicet inter animal, ex vi cuius homo convenit cum aliis speciebus, & rationale, ex vi cuius differt a reliquis omnibus.

28 Respondet Hurtadus definitionem non pertinere ad Logicum, nisi quatenus affirmatur definitio, vel de illa aliquid affirmatur vel negatur, & tunc non est obiectum simplicis apprehensionis, sed iudicii, neque in hoc iudicio (ait Hurtadus) reperitur aliqua apprehensio, quae iudicio corresponsdeat, quia haec non est pars iudicii, ac proinde etiam si haec propositio *homo est animal rationale*, sit obiectum Logicae, nulla simplex apprehensio in hac propositione reperitur, quae Logicae dicatur obiectum. Fateor in hoc iudicio *homo est animal rationale* nullam reperiri simplicem apprehensionem, quia iudicium non componitur ex apprehensionibus ut bene docet Hurtad. verumtamen non assentior Hurtado afferenti definitionem extra iudicium per simplicem apprehensionem, factam, ex vi cuius percipio *animal rationale*, non esse obiectum Logicae, quod sic impugno. Haec apprehensio *animal rationale* vere attingit partes Metaphysicas hominis distincte cognitae, quarum una est genus & altera est differentia, & in omnibus est conformis praepceptis definitionis, quod non habet alia apprehensio *animal sensitivum* seu *animal sensitivum rationale*: ergo haec apprehensio est iuxta regulas Logicae quod alia non habet: ergo haec apprehensio est Logicae obiectum.

29 Dices apprehensionem hanc esse iuxta Logicae praepceptum, nihilominus non esse praepceptis Logicae directam, quia independentem ab his fuit in mente excitata, & in ordine ad hanc apprehensionem perinde se habent praepcepta Logicae, ac si non essent. Adde consequenter, quod ait Hurt. praepcepta Logica non esse de definitione faciendae extra iudicium, quia frustra traderentur praepcepta, de illo quod vi praepceptorum fieri nequit, sed de definitione inclusa in iudicio, quo quis dicit, *homo est animal rationale*, aliunde huiusmodi.

30 Tota rei difficultas in huius solutionis doctrina vertitur, nullus enim negare poterit apprehensionem respondentem his vocibus *animal rationale* definitionem continere, in qua nullus scrupulosus Dialecticus vitium deprehendet, & ita non ex alio capite poterit ab obiecto Logicae extrahi, nisi ex eo quod independentem fiat a praepceptis omnibus Dialecticis, & ita illius relictum non a Logica acquisita procedat. Quod si intellectus possit aliquo praepcepto dirigi ad hanc apprehensionem eliciendam, ipsam intra obiectum Logicae contineri extra dubium erit. Sentio inherens doctrinae traditae, rectitudinem huius apprehensionis, seu ipsam apprehensionem, a qua rectitudo non distinguitur optime fieri posse dependentem a praepceptis Logicis quibus intellectus instruitur. Probat hoc nonnulli ex eo quod postquam intellectus apprehendit animal, & apprehendit rationale, & apprehendit ininabile,

& apprehendit mortale, & alias huiusmodi differentias, potest praepceptis Logicae instructus coniungere apprehensionem animalis cum apprehensione rationalis, & quandam complexam apprehensionem componere, ex vi cuius hominem definiat, quod forsitan non ita faceret si praepceptis Logicae non esset instructus, sed his destitutus coniungeret cum apprehensione animalis aliam aliasve apprehensiones, quibus vitiosam redderet definitionem. Hac ratione defendunt simplicem apprehensionem dirigi praepceptis Logicae non tanquam opus artificiosum, sed tanquam materiam ex qua fit artificiosum opus; sicuti diriguntur ligna & lapides in constructione domus. Doctrina haec non omnino placet, quia apprehensio composita non componitur ex duplici simplici apprehensione, sicuti neque iudicium ex duplici apprehensione, quod probabo. Controv. 6. de anima, Punct. 2. ergo intellectus non potest coniungere apprehensionem simplicem animalis, & apprehensionem simplicem rationalis ad construendam hanc complexam apprehensionem *animal rationale*: ergo praepcepta Logicae non possunt intellectum instruere ad hanc apprehensionem eliciendam.

31 His tamen non obstantibus censeo praepcepta Logicae intellectum dirigere ad apprehensionem compositam faciendam ex pluribus simplicibus, non quia intellectus simplices apprehensiones in se vniat, sed quia ex obiectis apprehensis distinctis apprehensionibus simplicibus unam compositam conficiat amplectentem obiecta utriusque simplicis. Exempli gratia, apprehendit intellectus *animal*, & apprehendit intellectus *rationalis*, & hoc absque vllis Logicae praepceptis, vel saltem absque praepceptis, quae versantur circa definitionem; his habitis apprehensionibus dicit Logica: annecte obiecta harum duarum apprehensionum alia apprehensione, quae indivisibiliter utrumque attingat obiectum, quo facto optimam hominis definitionem construes constantem in genere, & differentia: postea voluntas hac cognitione praeventa imperat intellectui apprehensionem illam, quam conficit intellectus imperatus volitione directiva Logicae praepcepto seu cognitione praescribente quomodo sit faciendae definitio. Itaque apprehensio animalis, & apprehensio rationalis, per apprehensiones distinctas, imperat voluntas praeventa cognitione praescribente, definitionem faciendam esse per apprehensionem complexam indivisibiliter ad utrumque obiectum terminatam, quam apprehensionem elicit intellectus, quae est praxis actus Logicae illiusque obiectum.

32 Ex his inferes apprehensionem animalis, & apprehensionem rationalis extrinsecè tantum posse dirigi ut materiam, ex qua fiat definitio, quae non fit ex ipsis apprehensionibus, quia, ut dicebam, apprehensio composita ex simplicibus non componitur, sed tantum ex obiectis, ad quae simplices apprehensiones terminantur.

33 Procedit modo difficultas an simplex apprehensio possit in se dirigi, ut opus artificiosum, quae tota deolvitur ad inquirendum, an apprehensio, quae conficio genus, vel speciem, siue per praecisionem ex parte actus, siue ex parte obiecti possit a voluntatis imperio dependere. Quia certum est apprehensionem, quae cognosco animal abstractum a suis inferioribus, & apprehensionem, quae apprehendo rationale abstractum a suis inferioribus & praecisum ab animali constituere verum genus, & veram differentiam, ita ut nullum vitium contra Logicae praepcepta in his apprehensionibus possit reperiri. Censent nonnulli has simplices apprehensiones non posse imperari, quia si intellectus sufficientem habet speciem ad illas, necessariò elicientur; sin minus, nullo imperio intercedente elici poterunt. Non assentior huic rationi, quia non omnes species quae sunt in intellectu sufficientes ad aliquem actum, semper intellectum ad illum eliciendum determinant, sed illum constituunt potentem elicere actum, si determinetur a voluntate ad talem actum eliciendum, ut in omni probabili iudicio certum est. Affirmo ergo postquam quis cognovit hominem & equum cum aliquibus operationibus similibus & aliis dissimilibus, & ex praepceptis Logicae cognovit rationem genericam abstractam ab speciebus distinctis habentibus similes operationes, quarum principium confusè cognitum dicitur genus, posse voluntatem imperare intellectui, ut abstrahat principium aliquod commune illarum operationum similium, quod dicetur genus illarum specierum, ex vi cuius imperij intellectus apprehendet principium illarum operationum,



tionum, videlicet animal, quod est propriè genus constitutum formaliter per illam cognitionem, si cognitio pertinet ad rationem formalem generis; vel quasi efficienter, si cognitio non pertinet ad rationem formalem generis, sed illam fingit, &c. Voluntatem posse huiusmodi abstractionem factam per simplicem apprehensionem, mihi suadeo ex eo quod scimus intellectum subijci voluntati in omnibus actibus, quorum habet principium sufficiens, & non ad illos necessariò determinans, quod habere respectu harum apprehensionum experientia ipsa suadet. Secundo quia scimus intellectum in pluribus actibus voluntati obedire, & nulla est ratio, quæ huiusmodi apprehensionem ab illius eximat imperio. Tertiò quia ipsa experientia compertum est nos pro nostræ voluntatis libertate modò apprehendere rationem animalis præcisam, modo rationem rationalis, & alia huiusmodi prædicata vniuersalia.

34

Obiicies: quando voluntas imperat hanc apprehensionem, ex vi cuius constituitur vel efficitur vniuersale; iam intellectus cognoscit illam apprehensionem: ergo cognoscit illius obiectum per eandem cognitionem, quæ apprehensionem cognouit: ergo iam habet apprehensionem de illo obiecto, cuius apprehensionem imperat; ergo iam supponitur factum genus, aliudve vniuersale ad quod faciendum imperatur apprehensio. Confirmatur: eo ipso quod voluntas imperat intellectui apprehensionem circa principium sentiendi commune homini, & equo, iam supponitur intellectus cognoscens hoc principium commune; ergo iam saltem supponitur apprehendens tale principium: ergo iam supponitur construens vniuersale: ergo vniuersale nunquam fit Logica præceptis, vel si aliquando fit, illius effectio est superflua, cum iam supponatur factum ex alia apprehensione precedente actum imperij Logica præceptis directum. Respondeo actum voluntatis imperare in actu primo constructionem vniuersalis, seu principij communis omnium actuum sciendi, non verò hanc specialem constructionem vniuersalis, seu hoc speciale animal quod nondum intellectus agnouit, licet ex illo imperio hoc vniuersale speciale procedat, sicuti cum voluntas imperat intellectui inquisitionem rationum ad aliquam conclusionem probandam, & ex vi huius imperij intellectus inquirat, & hanc specialem inuenit rationem, quam nunquam intellectus in particulari apprehenderat. Ex quo fit non supponi ad illud imperium, ex quo procedit constructio huius vniuersalis animal, cognitionem aliquam de apprehensione speciali, per quam fit, neque de illius speciali obiecto, sed in communi de aliqua apprehensione, cuius specialem naturam nondum intellectus perspectam habebat. Sic contingit in omnibus sciendi instrumentis, quia antequam intellectus apprehendat in particulari demonstrationem aliquam, quæ concludatur hominem esse risibilem, eo ipso quod proponatur intellectui hoc obiectum, homo est risibilis, esse demonstrabile, voluntas imperare potest intellectui ut obiectum demonstraret, quod præstabit intellectus per hanc numero demonstrationem, cuius principia ipse inquirat.

35

Obiicies primò: Simplex apprehensio est vnica simplex actus: sed vnica actus non est capax directionis: ergo simplex apprehensio non est capax directionis. Respondent nonnulli simplicem actum non esse capacem directionis ut opus artificiosum, bene tamen ut materiam ad opus artificiosum conducentem; ego verò hac solutione prædicto argumento satisfacere non possum, quia dixi simplicem apprehensionem dirigi ut opus in se artificiosum. Respondeo negando minorem, quia simplex actus conformis potest esse regulis artis, & ita potest regulis dirigi, quibus fit conformis. Neque obstat non posse malè fieri, quia directio non semper deseruit ut idem opus, quod posset malè fieri, rectè fiat, sed ut fiat opus intrinsecè rectum, quod sine directione, quoad substantiam non fieret: sed de hoc latius.

36

Obiicies secundò: Dialectica nullum tradit præceptum ad simplices apprehensiones eliciendas, neque illa docemur obiecta apprehendere: ergo Dialectica non respicit simplices apprehensiones tanquam proprium illarum obiectum. Respondeo Dialecticam non tradere præcepta ad apprehensiones faciendas præcisè, ut sunt cognitiones, sed quatenus sunt formæ constituentes vniuersale, vel illius effectiones, & quatenus sunt definitiones alicuius obiecti: docemur enim præceptis Logica quales debeant esse

apprehensiones, ut huiusmodi munera præstent, & quibus debemus uti ad definiendum diuidendum, quod sit per simplicem apprehensionem; ex vi cuius cognoscuntur distinctè obiecta, quæ antea instar vnus fuerant præcognita, & ad construendum vniuersale, quæ omnia ad Dialecticam, & ad sciendi modum spectant.

## S. V.

## An ens rationis sit obiectum Logica.

37  
Frequens est in Thomistarum schola sententia, quæ docet obiectum Logica esse ens rationis. Ita sentire videtur D. Thom. 4. Metaphys. lect. 4. part. 2. quam sententiam illi adscribunt Sor. quest. 1. Proem. vbi citat alia loca S. Thom. Agid. Romanus initio Elench. Tol. quest. 5. proem. Fonf. lib. 2. Met. cap. 3. quest. 1. sect. 3. P. Rub. quest. 6. concl. 2. qui omnes vno Fonseca dempto S. Thomam sequuntur; eandem sententiam testetur Durandus in 1. dist. 33. quest. 1. num. 10. Cæterum P. Hurt. subiect. 1. & 2. præcipue à §. 53. optimè probat Angelici Doctoris mentem esse, obiectum Logica esse nostros formales conceptus, qui entia rationis dicuntur, quia efficienter ab intellectu procedunt, & in intellectu subsistent, & ab intellectu esse habent, ac proinde cum ratio pro intellectu sumatur, optimè nostræ ratiocinationes entia rationis dicuntur, quia à ratione, hoc est ab intellectu procedunt, & in ratione subsistant. In eodem sensu rectè interpretatur Aristotelem, & ferè omnes Doctores pro hac sententia supra citatos, quos legitime ab Hurtado exponi præcipue Angelicum Doctorem constabit legenti, testimonia ab ipso adducta, quæ omitto, quia apud ipsum facile videri possunt.

38  
Obiectum Logica non esse ens rationis, hoc est ens ratione factum fert communis sententia, quam amplector iuxta doctrinam traditam, ex qua ita clarè intetur ut noua probatione non indigeat. Vnico verbo discursum infinuo: Obiectum Logica sunt operationes nostri intellectus: hæc non sunt entia facta sed realia, sed realiter ab intellectu producta, & in intellectu recepta: ergo obiectum Logica est aliquid reale & non ratione factum. Quod si dicas, præter operationes intellectus, quæ sunt reales, etiam entia rationis ad obiectum Logica spectare, facile viam hanc ex prædictis præcludam. Si ens rationis aliquo modo pertineret ad obiectum Logica, maxime quia est obiectum conceptuum formalium ad Logicam spectantium: Sed obiectum conceptuum formalium non est obiectum Logica; ergo nulla ratione entia rationis possunt ad obiectum Logica pertinere. Tradunt maiorem omnes, qui asserunt obiectum Logica esse ens rationis. Minorem ex professo supra probaui; obiecta enim conceptuum formalium sunt conceptus obiectiui, & hos non pertinere ad primarium Logica obiectum multis ostendi.

39  
Ex hac doctrina totum sententiæ contrariæ fundamentum euertitur, sic enim illius propugnatores arguunt: Logica agit de definito, de genere, de differentia, & specie, & aliis secundis intentionibus. Sed definitum ut definitum, genus, differentia, & species sunt entia rationis: ergo agit de entibus rationis. Respondeo, Logicam primario non agere de definito ut definito, neque de genere, differentia, aut specie quatenus sunt obiecta facta à nostro intellectu, si verum est: hæc esse obiecta facta; sed de actibus, seu de operationibus, seu cognitionibus, quibus hæc obiecta finguntur, quas reales esse nemo ibit inficias, quia obiectum factum non potest fingi, nisi per realem cognitionem, ex vi cuius habet esse obiectiue in intellectu. Dixi non agere de his quatenus sunt obiecta facta, si talia esse verum est, quia existimo definitum ut definitum, genus, differentiam, & speciem esse entia realia, ac proinde etiam si Logica de his ageret, non ageret de obiectis factis. Hæc obiecta non esse facta, sed realia sic probabo. Definitum ut definitum tantum importat denominationem extrinsecam deriuatam à cognitione, in qua formaliter consistit definitio, seu à definitione formali: verbi gratia homo ut definitur dicit hominem ut cognitur ex vi cognitionis respondentis his vocibus animal rationale, quæ cognitio est formaliter definitio, & suum obiectum definitum denominat. Sed hæc extrinseca denominatio non est ens factum, sed ens reale indistinctum à subiecto denominato, & à forma denominante:



nante: ergo definitum ut definitum non dicit quid fictum, sed tantum quid reale extrinsecum. Definitum ut definitum tantum importare extrinsecam denominationem à definitione derivatam, sicuti visum ut visum, & cognitum ut cognitum similes denominationes importat procedentes à cognitione & visione, negabit nemo: has denominationes extrinsecas non esse entia rationis, sed realia probat Controu. 12. Met. Punct. 5. Genus, differentiam, speciem, & alia huiusmodi concreta non esse entia rationis, sed realia intentionalia constabit ex dicendis Controu. 3. ubi probabo vniuersale, & consequenter omnes illius species in quibus continentur concreta supra relata, constitui formaliter per cognitionem realem terminatam ad obiecta realia, nullà fictione intercedente; ac proinde etiam Logica respiciat tanquam proprium obiectum vniuersale, genus, & speciem, nullum fictum obiectum respiciet, quia animal ut vniuersale, & ut genus respectu hominis, & equi tantum dicit cognitionem quandam confusam, in qua consistit forma vniuersalis, & forma generis, quæ extrinsecè dat conceptui obiectiuo animalis denominationem vniuersalis, & talis vniuersalis, videlicet generis, & sic in quibuscumque aliis speciebus vniuersalis contingit, quæ tantum importat extrinsecam quandam denominationem ab hac, vel ab illa cognitione tanquam à forma derivatam.

40 Agit ergo Logica de vniuersali, genere, & specie secundum id quod formaliter dicunt, hoc est, de formis per quas vniuersale, & illius species constituuntur, quæ sunt cognitiones reales; quod si cognitiones istæ non constituerent formaliter vniuersale, & illius species, sed tantum terminarentur ad formas fictas ex vi ipsarum cognitionum, per quas formas vniuersale, illiusque species constituerentur, quod ita fieri multi probabiliter sentiunt, tunc non diceretur Logica agere tanquam de obiecto primario, de formis vniuersalis, & speciebus vniuersalis, sed de cognitionibus, ex vi quarum fierent tales formæ fictæ, quia formæ fictæ in se ipsis dirigi non possent, sed in cognitionibus, ex vi quarum fierent; implicat enim obiecta ficta directionem aliquam habere, præter directionem intrinsecè inherentem cognitionibus, quæ extrinsecè obiecta directa dominant, non enim alià ratione obiectum bene, vel malè cognitum potest constitui, nisi quatenus cognitio ad illud terminata bene vel malè se habet, & tantum potest arte fieri obiectum siue reale, siue rationis constitui rectè cognitum, quatenus potest arte fieri constitui rectè cognitionem ad illud terminatam.

41 Ex his inferes, quod etiam si genus, aut species pro materiali sit ens rationis, ut cum chimæra consideratur tanquam quid superius respectu hircocerui, & hippocentauri, non ideo Logicam agere de ente rationis, quia Logica immediatè & per se non respicit tanquam proprium obiectum materiam, ex qua fit vniuersale, sed cognitionem per quam fit, siue hæc sit forma vniuersalis, vt ego cum multis sentio, siue tantum terminetur ad formam illius vt alij opinantur. Quod si Logica inquiret, quæ sit materia, & quæ sit forma vniuersalis, ideo est, quia Logica intendit dirigere cognitionem, in qua consistit, vel ex vi cuius fingitur forma vniuersalis & cognitionem terminatam ad materiam vniuersalis, & ideo non potest non secundario de harum cognitionum obiectis agere.

42 Obiicies primò: Aristotelem 4. Met. tex. 5. dicentem Dialecticum & Metaphysicum agere de omni ente: Sed Metaphysicus agit de ente reali: ergo Logicus agit de ente rationis. Absurdè satis hoc Philosophi testimonium ad rem hanc adducitur, si enim aliquid probaret, ex illo inferretur Logicum agere de omni ente rationis vniuersaliter sumpto; quod Dialecticum esse errorem affirmat P. Suar. disput. 50. Met. initio. Aliter intelligendus est Aristoteles, videlicet de ente reali respectu Dialectici & Metaphysici, & de quo secundum se sumpto agit Metaphysicus, & de eodem formaliter ut definibili, & ut demonstrabili, & sub aliis denominationibus, quas participat à sciendi instrumentis agit Dialecticus, quod tantum est agere de definitione, de demonstratione, & de aliis sciendi instrumentis.

43 Ad quæcumque alia testimonia, quæ ex Aristotele & S. Thoma adducuntur, respondendum est, per ens rationis non intelligi ens fictum, sed ens à ratione seu ab intellectu factum, quod frequenter apud Aristotelem, & S. Thomam ens rationis appellatur. Sic Aristoteles 6. Po-

litic. cap. 14. ubi artes intellectuales, artes rationis vocat, & S. Thom. opuscul. 47. syllogismum vocauit actum rationis, & opusc. 48. in tract. de demonstratione cap. 14. scientiam appellat motum rationis.

44 Obiicies iterum: Contrariorum eadem est scientia, seu disciplina: Sed Logica agit de definitione reali: ergo agit de definitione ficta, seu de definitione rationis: ergo agit saltem inadæquatè de ente rationis. Confirmatur: quia Metaphysicus agit de ente reali, agit de ente rationis, quod opponitur enti reali: ergo quia Logicus agit de definitione formali reali, debet agere de definitione formali rationis, quæ illi opponitur. Eodem argumento poterit probari quæcumque aliam scientiam agere de ente rationis, Theologia enim, quæ agit de Deo reali, dicitur eadem ratione debere agere de Diis fictis, qui opponuntur Deo vero, & reali; & facultas, quæ agit de vera Medicina dicitur agere de Medicina ficta. Respondeo definitionem rectam, de qua agit Dialecticus non opponi contrariè cum definitione rationis, sed cum definitione vitiosa, quæ non est iuxta regulas rectæ definitionis, & ita Dialectica, quæ agit de recta definitione, etiam debet agere de definitione illi contrariè oppositâ, non debet agere de definitione rationis. Ad confirmationem desumptam ex Metaphysica, Respondeo obiectum Metaphysicè esse conceptum entis realis abstractè sumptum, cui tantum potest ens rationis opponi, quia vnum contrarium debet esse extra aliud, & extra ens reale præter ens rationis nil potest excogitari, quod illi opponatur.

## §. VI.

De rectitudine, & directione operationum intellectus, & artificio Logica præscripto.

45 Duplex est directio, quedam actiua, alia passiva, vel formalis. Directio actiua est dictamen illud, ex vi cuius præscribitur modus, quo faciendum est opus quod dicitur directum, actus verbi gratia quo dicit Logicus, definitio debet constare genere, & differentiâ, & actus, quo dicit Architectus: ædificium debet habere hanc proportionem longitudinis cum latitudine. Directio passiva vel formalis est ratio illa, ex vi cuius opus arte factum conforme est dictamini præscribenti modum, quo faciendum est, quod in ædificio erit hæc proportio longitudinis cum latitudine, & in definitione hæc compositio ex genere, & differentiâ, quæ correspondent duplici directioni actiue supra explicatæ, Directio actiua extrinseca est operi directo, & directioni formali, fertur enim actiua directio in opus directum, & in illius directionem tanquam in obiectum quod præscribit, & ad quod faciendum dirigit operantem. Directio formalis seu passiva intrinseca est operi directo, & in illo reperitur: intrinseca enim est definitioni compositio ex genere, & differentiâ, & ædificio proportio longitudinis, & latitudinis, quam habet.

46 Cæterum in ipso opere directo duplicem directionem possumus intueri, quandam intrinsecam, extrinsecam aliam. Directio intrinseca est illa, ex vi cuius opus est conforme præceptis artis, siue ab illis processerit, siue non. Sic definitio constans genere, & differentiâ dicitur iuxta præcepta Logicæ, etiam si casu facta fuerit nullo præiudicio dictamine Logico, & hæc directio sumitur formaliter ab aliquo intrinseco rei directæ. Aliter potest dici opus extrinsecè directum, quatenus de facto est obiectum directionis actiue, à qua procedit, & à qua tanquam à forma extrinseca dicitur directum, sicuti dicitur obiectum visum à visione, quam terminat. Hæc directio extrinseca carebit definitione quantumvis exacta, quæ casu facta fuit, seu ab homine ignaro seu oblito præceptorum Logicæ, quæ horum actuum obiectum non est, neque ab illis dependet, eademque directione extrinseca gaudet definitio, quæ procedit à dictamine præscribente modum, quo facienda est, cui dictamini conformis euadit, & cuius dicitur præxis seu operatio. Itaque hæc eadem definitio animal rationale, quæ semper est intrinsecè directæ, habebit directionem extrinsecam si procedat à directione actiua, seu à dictamine præscribente modum quo facienda est, & extrinseca directione carebit, si non procedat ab illa directione actiua à qua tanquam obiectum à cognitione, quæ est directio, denominetur cognitæ, & directæ.

Directio extrinseca in opere directo nullâ perfectionem formaliter



formaliter imperat, tantum enim ordinatur ut sit causa directionis intrinsecæ, in qua consistit perfectio operis directi: quod si hæc directio intrinseca fiat absque vlla extrinseca directione, à qua opus factum denominetur extrinsecè directum, nihil in illo opere desiderabitur, ut absolute dicatur perfectum non enim perfectius quis dicit esse ædificium factum regulis artis alio, eodemve casu facto, ita tamen ut si regulis artis fieret, non alia ratione, sed eadem omnino faciendum esset, neque quis cum syllogismum contempletur, inquirat an processerit à Logica naturali, vel acquisita, an ab homine conscio vel ignaro præceptorum Logicæ, sed an se habeat rectitudinem formalem intrinsecam, ex vi cuius conforme sit præceptis Logicis siue ab illis processerit, siue independenter ab illis fuerit factum.

48 Totum Logicæ artificium situm est in hac formali rectitudine, eo enim ipso quod definitio, divisio, & syllogismus habeant hanc formalem rectitudinem, ex vi cuius definitio in se conformis sit omnibus præceptis, nil desideratur: sed eo ipso quod sit exacta definitio, habet omne artificium definitionis, sine quo non posset esse definitio: ergo eo ipso definitio sit conformis omnibus præceptis de definitione traditis siue ab illis dependeat, siue non, habebit omne artificium definitionis.

49 Hæc directio intrinseca, seu hoc Logicæ artificium, quod reperitur in quolibet sciendi instrumento, non distinguitur ab ipsis conceptibus formalibus. Ut rem clarius explicem, præmitto instrumentum sciendi posse dici consistere vnicum tantum conceptu formali, seu vnicâ cognitione: vel posse dici consistere duplici formali conceptu, seu duplici cognitione, quo admissio assertio directionem, seu artificii instrumenti sciendi includentis vnicum tantum conceptum formalem ab hoc non distingui, & directionem instrumenti sciendi includentis duos, tresve conceptus formales non distingui ab his tribus actibus simul sumptis. Conclusionem sic explicatam probō: posito simplici conceptu representante animal rationale, ex vi cuius distincte cognoscuntur partes Metaphysicæ hominis, si hoc complexum animal rationale per eundem actum representatur, ut communis fert opinio, quam ego defendo Controv. I. §. de anima, Punct. 2. seculso quocumque alio datur exacta hominis definitio formalis: ergo nulla alia directio seu nullum artificium superadditum requiritur ad exactam definitionem: ergo artificium, quod importat exacta definitio, non est quid superadditum huic conceptui formali, seu huic simplici cognitioni, ex vi cuius cognoscitur animal rationale. Secundò iudicium, quo ego dico homo est animal, quod simplicem actum indivisibilem importare probō eadem Controv. §. de anima Punct. 2. quocumque superaddito seculso est enunciatio superioris de inferiori: ergo est prædicatio directa & formalis, iuxta regulas Logicæ: ergo per se ipsum habet totam directionem Logicam, seu totum Logicæ artificium: ergo nihil requiritur superadditum, ut hoc iudicium sit intrinsecè directum. De instrumento sciendi quod constat pluribus conceptibus formalibus eodem modo arguo. Pono definitionem hanc animal rationale includere duplicem conceptum formalem seu duplicem cognitionem, quandam terminatam ad animal; aliam ad rationale; eo ipso quod daretur hæc duplex cognitio, quædam terminata ad animal, alia ad rationale; ex vi utriusque intellectus cognosceret animal rationale: ergo utraque constitueret definitionem hominis: ergo in utraque consistet totum artificium definitionis. Idem dicam de iudicio. si velis defendere consistere tribus actibus realiter distinctis: Eadem ratione arguo in syllogismo: eo ipso quod datur hæc iudicia: *Omnis homo est animal: omne animal est sensitivum*: & postea aliud procedens ex his duobus: *ergo omnis homo est sensitivus*, datur syllogismus perfectus: ergo syllogismus non includit directionem aliquam superadditam his iudiciis, si in his tribus syllogismus consistit: ergo nulla directio superaddita his iudiciis requiritur ad rectum syllogismum constitutivum, siue probabilem, siue demonstrativum, cum enim duo priora iudicia sint probabilia, syllogismus erit probabilis, & cum fuerint evidenter syllogismus demonstrativus evadet.

50 Ratio à priori facilis est: directio formalis & intrinseca conceptuum formalium est modus, quo attingunt obiecta, & hæc ex vi illorum cognoscuntur: sed in cogni-

tionem non distinguitur ratio cognoscendi, & modus cognoscendi, & ratio attingendi, & modus attingendi obiecta: ergo in cognitionibus non distinguitur directio ipsarum ab ipsis cognitionibus: ergo idem est dari hos conceptus formales, & hos hanc habere rectitudinem, hanc directionem, seu hoc Logicæ artificium.

51 Ex hoc inferes eundem numero conceptum, eodemve indivisibiliter sumptos non posse bene, & malè dirigere, quia directio & indirectio ab ipsis non distinguitur, sed eatenus dicitur Logica dirigere conceptus formales, quatenus præscribit elicientiam eorum, qui per se ipsos sunt directi, & prohibet elici alios, qui per se ipsos sunt indirecti. Similiter in instrumento, quod constat duplici conceptu formali potest dici Logica dirigere hunc conceptum formalem iam elicitum, quatenus dicit coniungendum esse cum hoc eliciendo, & non cum alio: exempli gratia, postquam quis habet hos duos conceptus formales, *omnis homo est animal: omne rationale est homo*, potest Logica illos dirigere præscribendo elicientiam huius *ergo omne rationale est animal*, cum quo priores coniungantur, & omnes simul habeant rectitudinem syllogisticam, quam duo priores non haberent, si coniungerentur cum illo: *ergo omnis homo est rationalis*.

52 Inferes similiter in conceptibus formalibus non posse distingui dirigibilitatem ab ipsa directione actuali intrinseca, quia cum per suammet entitatem dirigantur, non possunt concipi cum potentia ut dirigantur, neque cum indifferentia ad directionem, nisi eadem ratione qua improprie dicere solemus entitatem esse indifferentem ad existendum, quæ indifferentia non importat aliquam potentiam physicam; sed tantum Logicam, aut Metaphysicam. Dixi non distingui directionem actualem intrinsecam à dirigibilitate, quia respectu instrumenti quod constat pluribus conceptibus possumus in aliquibus eorum ab aliis separatis concipere aliquam dirigibilitatem, seu potentiam ut dirigantur; Exempli gratia, hi duo conceptus *omnis homo est animal: Petrus est homo*, nondum habent directionem syllogisticam, quam habebunt si coniungantur cum isto: *ergo Petrus est animal*: sed possunt cognosci indifferentes ad hoc ut cum illo coniungantur: ergo possunt cognosci indifferentes ad hoc ut dirigantur. Hæc tamen indifferentia non est ad directionem, quam in se possint habere ut opus artificiosum; sed ut partes componentes opus artificiosum, videlicet syllogismum, qui nunquam indifferens est ad habendam vel non habendam directionem, quam essentialiter includit. Concludo ergo in opere artificioso distingui non posse dirigibilitatem à directione, nisi per dirigibilitatem intelligatur ipsa actualis formalis directio in statu possibilitatis; & tunc distinguuntur dirigibilitas & directio, sicuti homo existens, & homo possibilis, & possibilitas, & existentia cuiuscumque entitatis. Poterit tamen distinguere dirigibilitas partis componentis opus artificiosum, ab ipsa directione actuali, quia huius dirigibilitas tantum dicit potentiam partis ad componendum, & actualis directio dicit actualem compositionem, quæ consistit in coniunctione partis potentis componere cum alia comparte, seu cum aliis compartibus, ex quibus simul sumptis adæquatè resultat opus artificiosum.

53 Obiicies primo: Rectitudo actus voluntatis distinguitur ab actu voluntatis: ergo rectitudo actus intellectus distinguitur ab actu intellectus. Respondeo, antecedens negari à multis Theologis; nihilominus illo admisso consequentiam à me negari, quia actus voluntatis induit honestatem moralem, quæ respicit extrinsecas circumstantias temporis, & loci, aliasque quam plures, ex quibus quocumque deficiente deficit honestas actus, seu illius moralis rectitudo, quia bonum ex integra causa; actus verò intellectus hanc moralem rectitudinem participat aliquando ab actu voluntatis, quæ etiam illi superaddita est, in presenti autem non disputamus de rectitudine moralis, seu in genere moris, cuius fundamentum est voluntatis libertas, sed de rectitudine physica actuum intellectus, quæ à nulla extrinseca circumstantia dependet, data enim entitate intrinseca huius formalis conceptus animal rationale quocumque extrinseco superaddito implicat non dari rectam exactamque hominis definitionem.

54 Obiicies secundo: Rectitudo domus distinguitur ab elementis, ex quibus componitur: ergo rectitudo syllogismi distinguitur à conceptibus formalibus ex quibus componitur.



nitur, etiam simul sumptis. Respondeo negando consequentiam, quia omnia domus elementa, seu tota materia, ex quibus domus construitur, dari possunt domo non constructa, quia constructio domus addit, supra omnia elementa illorum vibrationes superadditas, ex vi quarum domus habet hanc proportionem partium inter se, quae possunt ab ipsis elementis separari; assensus vero ex quibus componitur syllogismus non possunt existere, quin existat syllogismus, qui nihil his superadditum includit, sed consistit in ipsorum coexistentia, seu in existentia conclusionis, supposita existentia praemissarum.

55 Instabis contra hanc solutionem: Ex eisdem actibus intellectus possunt fieri diuersa sciendi instrumenta: ergo sciendi instrumenta distinguuntur ab actibus intellectus, etiam simul sumptis. Probatur antecedens. Ex conceptu hominis, & ex conceptu animalis, & ex conceptu copulae est potest fieri haec propositio: *animal est homo*: potest ite haec componi, *homo est animal*: ergo ex eisdem conceptibus possunt fieri diuersa sciendi instrumenta. Respondeo has propositiones non constare eisdem conceptibus, sed in opinione, quae asserit iudicium importare simplicem qualitatem, esse omnino diuersas in nullo communicantes; in opinione vero, quae asserit iudicium inuolueret tres cognitiones distinctas, cognitionem terminatam ad copulam esse distinctam in his duabus propositionibus, quia diuersus est modus annexendi extrema significatus in hac propositione, *homo est animal*, à modo eadem extrema annexendi significato in hac propositione, *animal est homo*.

## §. VII.

## De Obiecto formali Logicae.

56 Obiectum formale cuiusvis conclusionis pertinentis ad aliquam scientiam siue probabilis, siue scientificae, sunt praemissae, ex quibus talis conclusio deducitur, ex vi quarum intellectus conclusioni assentitur. Sic obiectum formale huius Logicae: *Definitio debet esse clarior definitio*, erunt praemissae, ex quibus deducitur, videlicet: *Omne quod deservit ad explicandum debet esse clarior re explicanda. Sed definitio deservit ad explicandum definitum*. Ex quibus legitime concluditur: *ergo definitio debet esse clarior definitio*. Et sic reliqui actus cuiusvis scientiae respiciunt tanquam obiectum formale praemissas, ex quibus deducuntur. In quo sensu non inquirimus quod sit obiectum formale Logicae, aut aliud cuiusvis scientiae, sed tantum rogamus quae sit formalitas in subiecto cuiusvis scientiae, ratione cuius constituantur subiectum actuum talis scientiae, & cuius passionis, & proprietates scientiae contempletur, seu ostendat practice, vel speculative, etiam si talis formalitas non sit obiectum formale motuum actus scientiae, quatenus actus habet hanc speciem. Itaque cum inquiritur, quod sit obiectum formale scientiae, inquirimus quae sit formalis ratio propter quam illa, quae de hoc subiecto enunciantur pertinent ad hanc scientiam, quae ratio formalis ad constituendum actum pertinentem ad hanc scientiam, & materialis in ordine ad constituendum actum sub hac specie determinata, ex pluribus quae sub eadem scientia continentur. Exemplum sit in his actibus: *Definitio debet esse clarior definitio; diuisum latius debet patere quolibet membro diuidente*. Ratio formalis propter quam uterque pertinet ad Logicam est, quia uterque versatur circa dirigendas operationes intellectus: prior circa dirigendam operationem intellectus, ex vi cuius fit definitio; posterior circa dirigendam operationem intellectus, ex vi cuius fit demonstratio: & ita ab obiecto utriusque abstrahitur directio operationis intellectus, circa quem uterque versatur. Si tamen inquiramus, à quo specificetur hic actus specificus, *diuisum latius debet patere membro diuidente*, necessarium dicemus specificari à suis praemissis, quae erunt: *Omne totum latius patet sua parte: Diuisum est totum: Ergo latius patet sua parte*. Ex quibus postea inferitur: ergo latius patet membro diuidente, quod est pars illius, & sic alter actus, *Definitio debet esse clarior definitio*, specificatur à praemissis supra adductis. Ex hoc inferes non quæri cum inquirimus, quod sit obiectum formale alicuius scientiae, quod sit specificatum singularium actuum secundum propriam vniuersi cuiusque rationem specificam, sed secundum rationem illam communem, ex vi cuius dicitur pertinere ad talem scientiam videlicet

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ad Logicam, ad Philosophiam, vel ad Metaphysicam, quae specificatio desumitur ex ratione formali subiecti, de quo aliquid enunciat, ex vi harum vel illarum praemissarum, quae materialiter se habet in ordine ad hanc speciem actus scientifici constituendam, ex pluribus quae sunt sub eadem scientia, & potius diceretur ratio formalis subiecti, quam obiecti scientiae, est enim formalis ratio illius de quo aliquid demonstratur, & non est ratio formalis demonstrandi, seu enunciandi illud, quod dicitur de scientia subiecto.

Duo insuper sunt praeceptorum genera, quae possumus 57 in Logica reperire: quaedam positiua, alia negatiua. Praecepta positiua sunt, quibus dicitur: *Definitio debet componi ex genere & differentia: In syllogismo recte concludente maior extremitas debet in conclusione ex parte praedicati collocari*. Praecepta negatiua sunt quibus dicitur: *syllogismus non debet habere quatuor terminos. Membra diuidentia non latius debent patere suo diuiso, & alia huiusmodi*. Praecepta positiua immediatè respiciunt ipsam rectitudinem sciendi instrumenti, quam per se attingunt; compositio enim ex genere & differentia, quam praescribit primum praeceptum positiuum, est ipsa definitionis rectitudo; & collocatio maioris extremitatis ex parte subiecti in conclusione, quam attingit ut obiectum; secundum praeceptum, formaliter pertinet ad rectitudinem demonstrationis. Praecepta negatiua, etsi ordinentur ad rectitudinem positiuum non immediatè illam attingunt, sed irreductibilem quam intendunt vitare in sciendi instrumento, praeceptum enim, quod dicit, syllogismus non debet constare quatuor terminis, & praeceptum quod dicit, membra diuidentia non debent latius patere diuiso, dicunt modum, quo non est faciendum sciendi instrumentum, non tamen praescribunt modum, quo faciendum est, & explicant quid debeant non habere sciendi instrumenta, non tamen designant quid positiue continere debeant, quod placet praenotasse ad exactiorem explicationem obiecti formalis Logicae.

PRIMA CONCLUSIO. Obiectum formale Logicae non 58 est directio actiua. Haec conclusio facillimè probatur: directio actiua est praeceptum, ex vi cuius praescribitur modus, quo faciendum est sciendi instrumentum. Sed hoc praeceptum est actus ipsis Logicae, seu ipsa Logica: ergo non est obiectum Logicae, cum Logica à suo obiecto distinguatur. Maior constat ex dictis. Minorem admittunt omnes, qui asserunt munus Logicae esse praecepta tradere ad instrumenta Dialectica construenda.

SECUNDA CONCLUSIO. Obiectum formale Logicae 59 non est directio extrinseca operis artificiosi. Probo clarè: haec directio extrinseca est denominatio resultans ex ipso actu Logicae, seu ex ipso praecepto praescribente modum, quo faciendum est sciendi instrumentum: Sed praeceptum Logicae non fertur tanquam in obiectum in denominationem resultantem ex illo in obiecto, circa quod versatur: ergo directio extrinseca instrumenti sciendi, seu instrumentum sciendi ut extrinsecè directum per directionem actiuam non est obiectum Logicae. Antecedens constat ex dictis. Consequentiam probo: actus quo ego agnosco syllogismum componendum esse ex tribus terminis non respicit syllogismum ut cognitum per illum actum, aliàs se ipsum respiceret & supra se ipsum reflecteret: ergo non respicit syllogismum ut directum extrinsecè per directionem actiuam.

TERTIA CONCLUSIO. Praecepta positiua seu assensus 60 Logicae respiciunt in opere artificioso ipsam directionem intrinsecam formalem indistinctam ab ipso opere artificioso, & à conceptibus formalibus ex quibus componitur. Probo hanc conclusionem: Obiecta horum actuum: *Syllogismus debet constare tribus terminis, & Definitio debet constare genere, & differentia*, sunt ipsa constructio syllogismi ex tribus terminis, & ipsa compositio definitionis ex genere, & differentia: sed haec syllogismi constructio, & haec definitionis compositio important directionem actualem syllogismi, & definitionis, ut constat ex doctrina tradita: ergo obiectum horum actuum est directio actualis horum instrumentorum. Idem contingit in quocumque praecepto positiuo Logicae, seu in quocumque assensu de opere artificioso, seu de sciendi instrumento, cuius obiectum semper erit directio formalis intrinseca ipsius instrumenti. Hanc directionem intrinsecam non distingui ab ipso

F opere



opere artificioso, & à conceptibus formalibus, ex quibus adequatè confurgit sciendi instrumentum probaui supra. Constat etiam ex dicendis de præceptis negatiuis, seu de actibus dissensus, Logicam formaliter intendere hanc directionem intrinsecam instrumenti sciendi.

61

QUARTA CONCLUSIO: Præcepta negatiua Logica seu actus dissensus versantur circa positiuam indirectionem operationum intellectus, quam vitare intendunt. Ratio est facilis: sicuti actus, quo dicimus, *definitio debet constare genere, & differentia*, attingit operationem intellectus propter rectitudinem operationis, seu operationum intellectus quam in definitione reperiri intendit Logica: sic actus quo dicimus *sylogismus non debet constare quatuor terminis*, attingit operationes intellectus quibus fieret vitiosus sylogismus constans quatuor terminis propter irreductibilitatem, quæ in talibus actibus, & quia hanc intendit Logica vitare in intellectu operationibus, detestatur operationes, in quibus talis irreductibilitas reperitur: & sicuti præcipit fieri operationem, seu operationes, in qua vel in quibus reperitur rectitudo definitionis compositæ ex genere, & differentia, quia in his operationibus rectitudo reperitur, sic prohibet fieri operationes, in quibus reperitur irreductibilitas sylogismi vitiosi compositi ex quatuor terminis, quia in his operationibus hæc irreductibilitas, seu hoc vitium reperitur: ergo sicuti præcipiens rectitudinem definitionis respicit rectitudinem, quam præcipit in exacta definitione ut obiectum, ratione cuius formaliter actus iste pertinet ad Logicam; sic actus prohibens irreductibilitatem sylogismi vitiosi constantis quatuor terminis respicit irreductibilitatem, quam prohibet, ratione cuius formaliter actus iste pertinet ad Logicam: ergo sicuti rectitudo, quæ præcipitur, ex vi huius actus: definitio debet constare genere, & differentia, est ratio formalis propter quam actus ex vi cuius præcipitur, pertineat ad Logicam, irreductibilitas, quæ prohibetur, ex vi huius actus sylogismus non debet constare quatuor terminis, est ratio, propter quam actus, ex vi cuius hæc irreductibilitas prohibetur, pertineat ad Logicam.

62

QUINTA CONCLUSIO. Obiectum formale Logica non tantum est rectitudo operationum intellectus, sed etiam irreductibilitas operationum intellectus. Hæc conclusio ex duabus præcedentibus efficaciter probatur. Obiectum formale alicuius scientiæ, quod in præsentiarum inquirimus est illud ratione cuius actus dicuntur ad illam scientiam pertinere; sed præcepta positiua Logica, seu illius assensus pertinent ad Logicam propter rectitudinem, quam præcipiunt; & præcepta negatiua Logica, & illius dissensus pertinent ad Logicam propter irreductibilitatem, quam prohibent, ut probaui tertiâ, & quartâ Conclusionem: ergo rectitudo operationum intellectus est ratio, ut ad Logicam pertineat hic actus; & irreductibilitas erit ratio ut ad eandem scientiam pertineant alij actus: ergo Logica, quæ hos, & illos actus amplectitur rectitudinem, & irreductibilitatem ut obiectum formale adequatum, rectitudinem mediis actibus illam præcipientibus, & irreductibilitatem mediis actibus illam prohibentibus respiciet.

63

SEXTA CONCLUSIO. Etiam si irreductibilitas operationum intellectus sit obiectum formale, ex vi cuius aliqui actus pertinent ad Logicam, ut probaui Conclusionem 4. & obiectum formale Logica non solum dicat rectitudinem operationum, sed etiam illarum irreductibilitatem, absolute dicitur obiectum formale Logica esse rectitudinem operationum, nullâ mentione habitâ de irreductibilitate. Statuit hanc conclusionem communis loquendi modus, iuxta quem dicitur rectitudinem operationum intellectus esse obiectum formale Logica, quod de irreductibilitate non dicitur: Deinde plures sunt rationes quæ illam suadent. Primò, quia actus illi, quibus prohibetur irreductibilitas pauciores sunt, & minus præcipui, quam actus, quibus rectitudo percipitur. Secundò, quia ipsis actibus, quibus prohibetur irreductibilitas, intendit Logica rectitudinem sylogismi, & ita possunt dici ordinari ad positiuam rectitudinem, eò enim tendit actus, qui dicit ne fiat sylogismus constans quatuor terminis, ut fiat sylogismus rectus constans tribus terminis, & ideo prohibetur irreductibilitas ut exerceatur rectitudo, quam præcipit alius actus; non autem ideo præcipitur rectitudo, ne exerceatur irreductibilitas: præcepta enim negatiua Logica non sistant in negatione irreductibilitatis, sed ordinantur ad rectitudinem positiuam: præcepta autem positiua in ipsa recti-

tudine sistant, quam per se intendunt, & secundario irreductibilitatem auerunt, ne deficiat actibus intellectus debita rectitudo. Tertiò; quia præceptum Logica prohibens sylogismum fieri ex quatuor terminis, quasi præcipit negationem quatuor terminorum in sylogismo pertinentem ad illius formalem directionem & rectitudinem, ac proinde quasi immediate præcipit rectitudinem. Non dixi absolute præcipere negationem pertinentem ad rectitudinem, sed quasi illam præcipere, quia strictè loquendo præceptum prohibens sylogismum ex quatuor terminis componi non præcipit negationem quarti termini in sylogismo qui tantum tribus constat, quia implicat hunc numero sylogismum ex tribus tantum terminis compositum ex quatuor componi, quia conceptus formales illius per se ipsos respiciunt hos terminos, & per se ipsos habent non respicere alios, sed tantum prohibet fieri loco huius sylogismum alium per se ipsum respicientem quatuor extrema, & ex quatuor terminis compositum quem tantum immediate prohibet, & ob hanc rationem dixi tendere in irreductibilitatem sylogismi vitiosi, si enim immediate tenderet in negationem formalem pertinentem formaliter ad rectitudinem sylogismi, immediate tenderet in sylogismi rectitudinem, & ita nullus daretur actus Logica, qui respiceret irreductibilitatem tanquam rationem formalem, ex vi cuius ad Logicam pertineret.

64

Contra conclusiones præcedentes suppositâ iam doctrinâ traditâ vix aliquid potest obici, quod solum non sit, hoc vnum superest argumentum quod expendo, & soluo. Obiectum materiale Logica dicit operationes intellectus: obiectum formale dicit earundem rectitudinem ab ipsis indistinctam: ergo Logica tantum agit de ipsis operationibus formalibus secundum se sumptis, & quatenus sunt expressiones talium obiectorum: sed Animasticus agit de eisdem operationibus secundum se sumptis, & quatenus sunt expressiones suorum obiectorum: ergo Logica, & Animasticus agunt de eodem formali obiecto. Respondeo Animasticum agere de operationibus intellectus quatenus sunt expressiones suorum obiectorum inferendo esse spirituales, consistere in qualitate vel in actione, fieri mediis speciebus, vel produci immediate à phantasmate; quodam esse abstractius, & intuitius alias; Logicum verò nihil ex his inferre, sed hanc cognitionem denominare hoc obiectum subiectum, & illud prædicatum; hoc diuifum, & illud membrum diuidens; hoc superius, & illud inferius; hoc antecedens, & illud consequens & alia huiusmodi, de quibus non curat Animasticus, ac proinde longè diuerso modo operationes istæ pertinent ad Animasticum, & ad Logicum, & sub diuersâ ratione formali terminant actus utriusque scientiæ.

## S. VIII.

## De obiecto attributionis.

DE obiecto attributionis Logica inter nostros recentiores longa est dissertatio, quam magna ex parte de nomine esse censo, quod faterur Arriaga disput. 2. sect. 5. subsect. 1. num. 45. multi enim sibi fingunt definitionem obiecti attributionis, ut iuxta illam faciliè defendant obiectum attributionis illud esse, quod ipsis tale placuit appellari. Lege Hurtadum, si vis disput. 1. sect. 8. & Arriagam supra, apud quos diffusè difficultatem tractatam inuenies; ego enim breuissimè ab illa me expediam.

65

Pater Suarez disput. 1. Metaphys. sect. 4. à num. 26. P. Fonseca 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 1. section. 5. PP. Conimbr. quæst. 5. artic. 3. P. Rubius quæst. 6. à num. 21. sentiunt obiectum Logica esse modum sciendi in communi amplectentem definitionem, diuisionem, & argumentationem.

66

Sotus cum aliis Thomistis, quibus consentiunt Conimbricenses quæst. 5. proemial. art. 3. & apud hos Scotus & Albertus docent obiectum adequatum attributionis Logica esse argumentationem in communi.

67

Hurtad. & Arriag. & alij plures recentiores affirmant obiectum attributionis esse demonstrationem, ad quam reliqua ordinantur, quæ in Logica docentur.

68

PRIMA CONCLUSIO. Modus sciendi in communi non potest esse obiectum attributionis Logica; quod sic probatur. Per modum sciendi in communi vel intelligitur ratio aliqua abstracta ex parte obiecti ab omnibus sciendi instrumentis,

69



et, vel intelliguntur omnia sciendi instrumenta confusè cognita; in nullo autem sensu posse modum sciendi in communi esse obiectum attributionis Logicae sic probò. Ratio abstracta ex parte obiecti ab omnibus sciendi instrumentis non potest fieri ab intellectu, qui nunquam potest efficere rationes communes, sed peculiare, videlicet hanc definitionem, hanc diuisionem, seu hunc syllogismum: ergo Logica non docet quomodo sciendi instrumentis abstracta ab omnibus sciendi instrumentis non respicit tanquam obiectum attributionis aut attributi hanc rationem communem: ergo hæc ratio communis abstracta non est obiectum attributionis Dialectice. In posteriori sensu modum sciendi in communi, hoc est, omnia sciendi instrumenta non esse obiectum attributionis sic probò. Obiectum attributionis est illud ad quod reliqua omnia obiecta illius scientiæ ordinantur, & quod non ordinatur ad aliud: sed definitio, & diuisio ordinantur ad propositionem tanquam partes illius, propositio ad syllogismum: ergo non possunt esse obiecta attributionis, quod non debet ordinari ad aliud. Minorem probò: definitio est pars propositionis, & propositio est pars syllogismi. Sed partes ordinantur ad totum: ergo definitio ordinatur ad propositionem, & propositio ordinatur ad syllogismum. Mitto alias rationes, quibus Hurtadus, & Arriaga hanc conclusionem impugnant, quibus abstinco quia mihi efficares non sunt.

70 SECUNDA CONCLUSIO. Demonstratio non est obiectum attributionis: quod sic probò: Syllogismus probabilis non ordinatur ad demonstrationem: sed Logica agit de syllogismo probabili: ergo non omnia, de quibus agit Logica ordinantur ad demonstrationem: ergo demonstratio non est obiectum attributionis. Syllogismus probabilem non ordinari ad demonstrationem probò, ex eo quod non sit pars illius, neque præsupponatur ad illam, neque aliquo modo ad demonstrationem pertineat. Rursus syllogismus vniuoce diuiditur in demonstratum & probabilem, tanquam in species essent aliter oppositas. Sed vna species non ordinatur ad aliam: ergo syllogismus probabilis non ordinatur ad demonstrationem. Dices syllogismus probabilem non ordinari ad demonstrationem, cognitionem tamen syllogismi probabilis ordinari ad demonstrationem, cognitio enim vnius contrarij conducit ad cognitionem alterius, & ob hæc rationem dicitur contrariorum eandem esse disciplinam, seu contraria ad eandem scientiam spectare. Contrarij eandem rationem posset dici cognitionem demonstrationis ordinari ad syllogismum probabilem, quia sicuti opponitur contrarij syllogismus probabilis cum demonstratione, ita demonstratio opponitur cum syllogismo probabili: ergo ex hoc capite non potiori iure dicitur demonstratio, quam syllogismus attributionis obiectum. Dices demonstrationem esse principalem speciem, & ideo cognitionem syllogismi ordinari ad demonstrationem, & cognitionem demonstrationis non ordinari ad cognitionem syllogismi. Contra: etiam si demonstratio sit perfectior syllogismo, æque conducunt cognitio syllogismi ad demonstrationem faciendam, & cognitio demonstrationis ad eliciendum syllogismum: ergo non magis ordinatur cognitio syllogismi probabilis ad demonstrationem, quam cognitio demonstrationis ad syllogismum. Deinde in speciebus quæ vniuoce participant rationem generis, cognitio speciei imperfectioris non ordinatur specialiter ad speciem perfectiorem cognoscendam, nullus enim dicit cognitionem equi specialiter ordinari ad cognoscendum hominem, neque cognitionem canis ordinari ad cognoscendum leonem: ergo ex eo quod demonstratio sit perfectior syllogismo probabili, non inferitur cognitionem syllogismi probabilis ordinari ad demonstrationem.

71 Alter probò cognitionem syllogismi probabilis non conducere ad demonstrationem. Cognitio syllogismi probabilis non potest conducere ad dispositionem terminorum demonstrationis, neque ad modum inferendi consequens ex præmissis, quia hic modus inferendi, & illa terminorum dispositio eadem est in syllogismo probabili & in demonstratio, & præmissis suppositis eadem necessitate inferitur consequens in syllogismo probabili, & in demonstratio, qui tantum materialiter differunt ex eo quod syllogismus probabilis componitur ex præmissis tantum probabilibus, & syllogismus demonstratiuus, ex præmissis euidentibus eadem ratione dispositis: ergo cognitio formæ syllogismi probabilis non deseruit ad cognitionem formæ syllogismi demonstratiui, cum prorsus sit eadem omnino. Sed cognitio materiæ neutiquam potest deseruire, & etiam si deseruieret, non diceretur deseruire cognitio syllogismi, quia materia syllogismi syllogismus non est: ergo cognitio syllogismi probabilis non ordinatur ad cognitionem demonstrationis.

72 Quod si demonstratio, & syllogismus probabilis contrarij opponantur & ad eandem scientiam pertineant, non ideo inferitur syllogismus probabilem, neque illius notitiam ordinari ad demonstrationem; ex hoc enim capite non est maior ratio ut ordinetur syllogismus, probabilis, aut illius notitia ad demonstrationem, quam ut ordinetur demonstratio, aut illius notitia ad syllogismum probabilem, sæpe enim de utroque contrario æque primò agit scientia, et patet in qualitate respectu primarum qualitatum. Tunc autem dici solet scientia secundarij agere de aliquo contrario, quando hoc non est simpliciter tale, neque illius notitia per se est utilis, nisi quatenus conducit ad aliud cognoscendum, sicuti Metaphysica, quæ agit de omni ente agit de ente rationis, quia opponitur cum ente reali, & primarij, quia non est simpliciter ens; & quia illius notitia tantum est utilis, quatenus conducit ad ens reale cognoscendum, & ita nulla scientia per se primarij agit de ente rationis.

73 TERTIA CONCLUSIO. Obiectum attributionis Logicae est syllogismus perfectus complexus probabilem, & demonstratum, abstractus tantum ex parte modi, & ex parte obiecti includens syllogismos omnes peculiare demonstratiuos & probabiles, quos docet Logica facere, & non rationem aliquam illis communem. Conclusio hæc ex præcedenti facillè deducitur, illius rationem breuiter attingo, cuius doctrinam fusiis tradidi. Omnia quæ tractantur in Logica ordinantur ad syllogismum perfectum, termini enim, definitio, & diuisio propositionem componunt, & hæc syllogismus: ergo omnia distincta à syllogismo, de quibus agit Logica, ordinantur ad syllogismum. Insuper syllogismus perfectus, qui complexus demonstratum, & probabilem non ordinatur ad aliud de quo agit Logica, neque vnus syllogismus perfectus ordinatur ad alium, ut probauimus conclusionem præcedenti: ergo syllogismus perfectus complexus demonstrationem, & syllogismum probabilem est obiectum attributionis Logicae.

74 Arguit Hurtadus: Sola demonstratio est vltimus finis Logicae: ergo hæc solum est obiectum attributionis. Probat antecedens ex parte intellectus, quia vna demonstratione, quæ triplicem operationem includit, adæquare & simpliciter perficitur, illud enim est finis vltimus alicuius, in quo adæquata illius perfectio continetur. Probat secundò ex parte obiecti: finis vltimus alicuius potentia est ille, per quem exhauritur, & percipitur totum obiectum: sed intellectus per demonstrationem tantum exhaurit, & percipit totum obiectum: ergo demonstratio tantum est vltimus finis Logicae. Vrget: potentia cognoscitiua naturaliter appetit suam operationem, & quod perfectior est operatio, eò vehementius illam appetit, ergo cum adipiscitur totam suam perfectionem in demonstratione contentam, in illa tantum in vltimo fine requiescet, & nihil amplius appetet. Totam perfectionem intellectus in demonstratione contineri sic probat: per demonstrationem cognoscuntur essentia obiecti, illius principia, proprietates, atque passionem perfectissimo modo, quo possunt cognosci: ergo nihil superest cognoscendum: ergo in demonstratione inuenit intellectus totam suam perfectionem. Respondeo demonstrationem non esse vltimum finem intellectus, neque in illa contineri omnem perfectionem intellectus, sed hunc referri tanquam in vltimum in demonstrationem, & syllogismum probabilem, quia per vtrumque vltimò perficitur, vterque enim syllogismus est perfectio intellectus, & neuter ordinatur ad aliam operationem perfectiorem ipso. Deinde assero habitam demonstrationem intellectum quiescere, hoc est, non procedere ex demonstratione ad aliam perfectiorem operationem, quæ ratione etiam quiescit habito syllogismo probabili, ex quo infero ego vtrumque syllogismum esse finem vltimum Logicae, non tamè ita quiescere ut demonstratione habitam intellectus non appetat syllogismum probabilem, quia intellectus non tantum appetit cognoscere omnia obiecta perfectissimo modo, quo potest illa cognoscere, sed cognoscere omnia obiecta omnibus



omnibus modis quibus perfectè cognosci possant, & cum obiecta sint cognoscibilia per syllogismum probabilem, & per demonstrationem, sit appetere illa utroque modo cognoscere, est vehementius appetat modum perfectionem cognoscendi, videlicet demonstrationem, quod non impedit ipsum appetere minus vehementer syllogismum probabilem propter se ipsum tanquam finem vicinum inaequatum.

75 Instat Hurtadus: quidditativa, & propria hominis perfectio est esse cognoscituum, per discursum, quod sonat rationalitas: sed hæc virtutem discurrendi reducit ad actum per demonstrationem: ergo demonstratio est propria hominis cognitio, & exercitium illius differentie essentialis per ordinem ad quod hæc differentia desumitur. Sed quælibet potentia amat tanquam perfectionem sibi ultimò expetibilem illam operationem, per ordinem ad quam constituitur essentialiter: ergo demonstratio est quod ultimò appetit humanus intellectus. Eidem maiori hanc ego minorem subicerem: sed intellectus eam virtutem discurrendi reducit ad actum per demonstrationem & per syllogismum probabilem; & deinde inferrem: ergo demonstratio, & probabilis syllogismus, seu omnis perfectus syllogismus est propria hominis cognitio, & exercitium differentie, per quam constituitur, & ultimus finis potentie intellectus. Respondeo omnem syllogismum perfectum pertinere ad ultimum finem intellectus, & esse exercitium propriæ differentie, & propriissimam ratiocinationem, non enim minus ratiocinatur in syllogismo probabili, quam in demonstratione, in utroque enim eodem modo procedit, & seruat eandem formam inferendi vnum ex alio, tantum enim differunt ratione materie.

76 Obiicies: Definitio ex se non ordinatur ad propositionem, neque propositio ordinatur ad syllogismum perfectum: ergo syllogismus perfectus non est obiectum attributionis. Respondeo definitionem ex se habere virtutem componendi propositionem, & propositionem ex se illam conclusionem, quod sufficit, ut definitio ad propositionem, & propositio ad syllogismum ordinari dicantur. Instabis, eodem modo posse dici ordinari ad syllogismum fallacem. Respondeo syllogismum fallacem propriè non esse syllogismum, quia de ratione syllogismi est, ut consequens ex præmissis inferatur; nihil autem inferitur in syllogismo fallaci, & ita syllogismus non est, sed tantum habet apparentiam quandam terminorum, quia fallimur existimantes esse verum syllogismum, & ita cum Logica agit de syllogismo, tantum secundariò agit de syllogismo fallaci, qui simpliciter non est syllogismus; sicuti Metaphysica disputat de ente rationis quod simpliciter non est ens.

#### PUNCTUM II.

##### De diuisione Logicae docentis & vrentis.

1 Multa nonnulli scribunt de distinctione Logicae docentis, & vrentis, in qua quæstione nihil inuenio, quod de nomine non sit, in re enim apud omnes vna omnium mens, quod paucis rectè ostendit Arriaga disp. 3. sect. 1. Certum est Logicum tradere præcepta rectè definiendi, diuidendi, & argumentandi, insuper est certum ipsam Logicam, & reliquas scientias vti his præceptis. Insuper est certum Logicam tradere hæc præcepta, & ipsam Logicam reliquasque scientias illis vti non solum in vna vel in altera materia, sed etiam in quacumque materia siue euidenti, siue probabili. En doctrinam Logicæ, quam ipsa tradit, & vsum eiusdem Logicæ tum in se ipsa, tum in aliis materiis; nunc ex hac doctrina & hoc vtu Logica docens, & Logica vrens desumenda est, quibus autem actibus hæc aut illa denominatio sit largienda, quæstio est purè de nomine; siue enim dicas Logicam vrentem esse tantum ipsam Logicam, quatenus suis præceptis vritur, siue dicas esse actus omnium scientiarum, quatenus præceptis Logicæ diriguntur, nihil reale apponit distinctum in his actibus, neque secundum hos distinctos dicendi modos, distinctas actibus formalitates tribuis, sed tantum secundum hunc dicendi modum his actibus tribuis vrentis Logicæ nomen quod negas aliis, & secundum illum aliis actibus idem nomen accommodas, quod his negas nullà nouâ formalitate actibus concessâ, aut ab illis ablatâ. In quæstione purè de nomine conueniunt omnes Logicam docentem dici ipsam

Logicam quatenus præcepta tradit, quibus tum ipsa Logica, tum aliæ scientiæ vtuntur, dissensio est quid intelligatur nomine Logica vrentis.

2 Prima sententia asserit Logicam vrentem esse habitum quemdam, qui in quauis materia probabiliter disputat. Sententia hæc non apparenti fundamento innititur, & facili negotio reicitur. Non datur habitus, qui in qualibet materia probabiliter concludat: ergo non datur habitus, qui in quacumque materia probabiliter disputet. Consequentia est certa, antecedens per se notum; quælibet enim scientia pro distinctione materie seu obiecti habet distinctos habitus, quibus quælibet de suo obiecto euidenter disputat. Secundò habitus quibus probabiliter disputat Logica, distinguuntur ab actibus, quibus probabiliter disputat Philosophia: ergo non datur vniuersalis quidam habitus ad disputandum probabiliter in quacumque materia.

3 Secunda sententia est aliorum, qui asserunt Logicam vrentem esse, quam nos Topicam vocamus quæ non probabiliter disputat in quacumque materia, sed præcepta tradit in quacumque materia probabiliter disputandi, quæ loci communes vocantur, & frequenter apud Rhetores vsum habent. Non nego dari talem habitum, verum tamen me peritus latet, propter quam rationem habitus iste præ aliis Logica vrens sit dicendus, æquè enim ad alias scientias conducit pars Topica, & pars demonstratiua Logica, & æquè vtrique parte reliquæ scientiæ vtuntur: quare ergo specialis hæc pars præ aliis Logica vrens dicenda est ex hoc ergo capite sententiam hanc reicio, quæ enim sine fundamento dicuntur, maiori operâ impugnanda non sunt.

4 Pater Vasq. 1. par. disp. 8. c. 5. n. 19. asserit Logicam vrentem esse praxim seu operationem ipsius Logicae docentis, ipsam videlicet constructionem propositionis, & syllogismi, quæ in quacumque scientia reperitur. Itaque secundum hanc sententiam Logica vrens erit instrumentum sciendi elicium directione Logicae, quod quidem sciendi instrumentum non semper est actus pertinens ad eandem scientiam. Philosophia enim, Metaphysica, & Theologia habent proprios syllogismos, & proprias definitiones, quæ dicuntur sciendi instrumenta, imò ipsa Logica, cuius munus est tradere præcepta ad instrumenta sciendi faciendâ, propria habet instrumenta, & proprias definitiones, & demonstrationes, quibus tradit præcepta ad alia sciendi instrumenta faciendâ, quia mediâ definitione docet demonstrationem conficere, & per demonstrationem ostendit, & docet quomodo faciendâ sit definitio. Dicuntur ergo secundum hanc acceptionem Logica vrens omnia sciendi instrumenta, quatenus præceptis Logicæ diriguntur. Quod si aliquid sciendi instrumentum casu fiat, vel luminis nature ductu absque directione præceptorum Logicæ, tale sciendi instrumentum non dicitur Logica vrens, quia syllogismus secundum se & quodlibet sciendi instrumentum tantum denominatur Logica quatenus procedit ab actu Logicae, & est illius externa consummatio, & effectus; quod si à Logica non procedat, ex nullo capite Logica dici poterit. Placuit hic dicendi modum Hurtado disp. 2. sect. 1. concluditque iuxta illum non esse tantum vnam Logicam vrentem sed plures; omnes enim scientiæ Logica vrentes dicuntur, asseritque esse conformem D. Augusti. qui Paulum, & reliquos Doctores vocat Dialecticos, quia Logica vtuntur. Eidem sententiæ suffragari affirmat Hurtadus diuisionem illam à Dialecticis traditam, quæ partiuntur Logicam, in Logicam rebus auulsum, quæ est Logica docens, scientia specialis, & Logicam rebus concretam, quæ est Logica vrens comprehendens omnes scientias. Eandem sententiam tradunt Nostri Conimbr. quæst. 4. Procem. art. 2. P. Smigletius disp. 2. sect. 4. & Merinero disp. vnica procem. quæst. 2. sect. 1.

5 Arriaga suprà citatus docet tantum dici Logicam vrentem ipsam Logicam, quatenus vritur suis præceptis, quod ex eo probat, quia reliquæ scientiæ Logica non sunt: ergo non poterunt dici Logica vrens; quod enim non est Logica, non poterit dici Logica vrens; quod verò Logica vtuntur, fundamentum non est ut dicantur Logica vrens sed vrentes Logica. Neque ex eo quod actus reliquarum scientiarum dirigantur actibus seu præceptis Logicæ, poterunt dici Logica, quia effectus non habet rationem causæ, neque rectè diuidetur virtus productiua caloris in ignem, qui est virtus productiua, & ipsum calorem, qui est effectus productus. Non cogent hæc à communi sententia discedere,



discedere, quia etsi effectus non denominetur virtus productiva, ex eo quod ab illa dependeat, tamen denominationem desumit virtutis sui habitus, à quo procedit; sic actionem externam imperatam ab actu interno prudentiae actum prudentiae appellamus, & illi tribuimus honestatem prudentiae; & actionem externam imperatam ab actu interno humilitatis actum humilitatis vocamus, & illi honestatem humilitatis tribuimus, quia huiusmodi externae actiones consummationes sunt internarum virtutum, & ita ad eandem virtutem pertinere dicuntur, & eodem virtutis nomine gaudeat, quo gaudent interni actus, & habitus à quibus procedunt. Sic in Logica contingere potest, actus enim internus Logicae consummatur per effectum, videlicet per syllogismum procedentem ab illo actu, siue syllogismus pertineat ad Logicam, siue ad Metaphysicam, vel Theologiam, & ita poterit dici quasi actus externus Logicae, & Logica denominari, sicuti dicitur actus externus prudentiae, & prudentia denominatur actio externa directa actu interno prudentiae.

6 Sto ergo sententiae Parisi Vsq. quae in quaestione purè de nomine congruè satis rem dirigit. Illud quod addit Huradus, videlicet non solum dandam esse vnam Logicam vtem, sed plures quia quilibet scientia est Logica vtenis, & ita cum plures sint scientiae, plures Logicae vtenes danda sunt, in loquendi modo non probò, quia etiam si omnes scientiae sint obiecta praeceptis Logicae directae, nihilominus non dicuntur dari plura obiecta adaequata Logicae praeceptis directae, sed vnum adaequatum inuoluens plura inadaequata: sic etiam si quilibet scientia sit Logica vtenis, & scientiae sint plures, non sunt dicendae plures Logicae vtenes adaequatae, sed vna comprehendens plures scientias, quarum quilibet sicuti est obiectum inadaequatum Logicae, sic est Logica vtenis inadaequata, quia non distinguitur in quacumque speciali scientia esse obiectum directum praeceptis Logicae & esse Logicam vtem.

7 Quaestio est, an sicut Logica secundum omnem partem dicitur docens, ita secundum omnem partem dicatur vtenis? P. Fonseca 1. Metaphysic. cap. 3. quaest. 1. Patres Communis. quaest. 4. proem. art. 2. docent Logicam tantum habere vsum respectu partis Topicae, & Sophisticae, non vero respectu partis Demonstrativae. Communis tamen sententia docet Logicam vsum habere secundum omnem sui partem, quia sicuti Logica docet syllogismos fallaces, topicos, & demonstrativos construere, sic syllogismi fallaces, topici, & demonstrativi sunt conformes praeceptis Logicae, & directi Logicae praeceptis: ergo sunt vsum Logicae, & actus Logicae vtenis illorum quilibet dici poterit.

8 Fundamentum Conimbricensium ad oppositam sententiam defendendam est, syllogismos in materia necessaria aliarum scientiarum effici ab ipsis scientiis peculiaribus, & non à Logica, & ita non posse dici Logicae effectus, neque actus Logicae vtenis, & syllogismi in materia necessaria ipsis Logicae sunt ipsa Logica, & ita non possunt esse vsum Logicae, quia vsum distinguitur realiter à doctrina, cuius est vsum. In materia probabilis & fallaci aliter rem se habere putant, quia existimant nullam scientiam elicere syllogismos probabiles in propria materia, quia scientia tantum elicit actus scientificos, sed omnes syllogismos probabiles & fallaces in quacumque materia fiant, elici putant ab habitu Logicae, cuius est ministrare reliquis scientiis in huiusmodi syllogismis elaborandis. Neque ideo, inquit Conimbricenses, timendum est ne reliquae scientiae inopes maneant, si omni doctrinā probabilis denudentur, quia Dialectica omnium famula administratque cum sit, non censetur alienas efficere ab aliis scientiis eas opiniones, quas ut proprias colit; quemadmodum nec opes famulorum opera comparata à dominorum facultatibus alienae censentur.

9 Hec Conimbricensium doctrina multis laborat difficultatibus, multa supponit à veritate aliena, breuiter nonnulla in illam adducam. In primis supponit demonstrationes in materia necessaria fieri à Metaphysica, Philosophia, & Theologia in propriis materiis, & circa propria obiecta siue Logicae industria, quod omnino falsum est, quia quantumvis demonstratio Metaphysica evidens sit, dum à Metaphysico conficitur, Metaphysicus regulis Logicae dirigitur, quae praescribunt modum, quo in quacumque materia faciendae est demonstratio, quod sufficit ut demonstratio Metaphysica vsum Logicae dicatur, & ad Lo-

gicam pertineat, tanquam effectus, & consummatio praeceptorum, quae tradit Logica. Secundò supponit Logicam in propria materia non posse conficere demonstrationem, quia doceat, quomodo faciendae sit definitio, directam praeceptis, quibus ipsa Logica praescribit modum, quo faciendae est demonstratio, quod à veritate alienum est, quia haec demonstratio: *Explicatio debet esse clarior re explicata: definitio est explicatio definiti: ergo debet esse clarior*: Definitio est actus, quo praescribitur modus, quo faciendae est definitio, & est Logica docens definitionem, & vsum praeceptorum, quibus Logica tradit praecepta, quibus dicit Logica, demonstratio debet consistere tribus terminis hac ratione dispositis in propositionibus per se notis, & ita falsum est non posse eundem actum esse Logicam, & vsum Logicae, hoc est esse praeceptum circa aliquid sciendi instrumentum, & vsum praeceptorum circa illum. Tertiò docent Conimbricenses, omnem syllogismum probabilem circa obiectum cuiuscumque scientiae non dependere ab habitu speciali illius scientiae, sed tantum ab habitu Logicae, quae administrat reliquarum scientiarum, quod à veritate longe abest, quia id, quod vocamus vnam scientiam totalem, includit plures habitus & plures actus quosdam probabiles, & alios scientificos, licet aggregatum illud scientiam vocemus sumptā denominatione à praecipuis illius actibus. Ratio est, quia Logica tantum docet artificium syllogisticum tam in materia probabilis, in qua probabilem syllogismum constituit, quam in materia evidenti, in qua demonstrationem conficit, & ex vi habitus Logicae tantum potest intellectus vincere difficultatem quae est in opere resultans ex artificio Logico, illa vero, quae ex materia resultat siue in materia probabilis, siue evidenti vincenda est à peculiari habitu illius scientiae, ad quem materia syllogismi spectat. Secundò si ab habitu Logicae procederent omnes syllogismi probabiles cuiuscumque materiae, Logicae praescriberetur quatenus Logica, haberet habitus ad disputandum de omnibus, quae Philosophia, Metaphysica, & Theologia probabiliter disputant, & consequenter ad ferè omnia de quibus haec scientiae agunt, in quibus si res exactè examinentur, vix vnam demonstrationem pro centum syllogismis probabilibus reperimus. Ex quo infero vix vnum vel alterum syllogismum demonstrationum scientiae superesse. Quod enim Conimbricenses asserunt, videlicet id timendum non esse, quia omnia, quae Logica scientiarum famula acquirit, supellectili accrescit reliquarum scientiarum, quibus acquiruntur, eleganter, & rhetorice dictum est.

10 Sic ergo firmum, vsum Logicae extendi ad syllogismos probabiles, & ad demonstrationes ad quacumque materiam pertinentes, etiam in materia ipsius Logicae, quia licet haec demonstrationes sint actus Logicae, & habeant pro obiecto sciendi instrumentum; v. g. definitionem, cuius directionem praescribunt, possunt esse obiectum aliorum praeceptorum, quae ad ipsam demonstrationem dirigantur, & ita praeceptum circa definitionem, potest esse vsum praeceptorum circa demonstrationem, sicuti de cognitione dicebam, quae potest esse speculatio vnius obiecti, & praxis respectu alius cognitionis reflexae.

11 Ex his inferes rationem docentis, & vtenis non esse differentias speciales Logicae, quilibet enim scientia practica; & quilibet ars potest diuidi in docentem, & vtem: docens dicitur actus artis vel scientiae praescribens modum praxis efficiendae, & praxis ipsa vtenis appellabitur.

12 Circa distinctionem actuum, & habituum nonnulli asserunt actum, & habitum Logicae docentis esse eundem: alij actus distinguunt, & non habitus: quod autem iuxta nostra principia dicendum sit facile explicabo. Actus Logicae vtenis diximus esse omnes actus ad quacumque scientiam spectantes, directos etiam ad ipsam Logicam Logicae praeceptis. Ex quibus inferitur actus Logicae vtenis pertinentes ad omnes scientias distinctas à Logica differre ab actibus Logicae, quia nullus actus alius scientiae distinctae à Logica est actus Logicae docentis, demonstratio enim Metaphysica, & Theologica quantumvis dirigantur praeceptis Logicae docentis, non sunt Logica docens ut per se notum est. Actus vero Logicae vtenis pertinentis ad ipsam Logicam, necessariò erunt actus Logicae docentis, & vtenis; vtenis quia tales esse supponimus, ex eo quod dirigantur aliis praeceptis Logicae; docentis



docentis quia sunt actus proprii Logicae cuius munus est docere, & cuius omnes actus sunt praecepta, quibus docemur conficere sciendi instrumenta. Verumtamen talis actus, qui simul sit actus Logicae docentis, quia praescribit modum, quo faciendi est definitio, & Logicae vrentis, qui dirigitur praeceptis demonstrationis, dicitur Logica docens, quatenus Logica docens versatur circa definitionem per ipsum actum, & Logica vrens quatenus Logica versatur circa demonstrationem per alios actus, quibus Logica tradit modum quo faciendi est demonstratio, quorum directione fit haec demonstratio, qua docemur definitionem conficere, & ita nunquam respectu eiusdem partis Logicae, neque respectu eorumdem praeceptorum poterit esse idem actus Logicae docentis, & vrentis.

Ex his infero omnem actum Logicae esse actum Logicae docentis, quia per hoc quod est docere constituitur actus in ratione actus Logicae, non vero omnem actum Logicae esse actum Logicae vrentis, quia non omnes actus Logicae diriguntur aliis actibus, imò ne in infinitum procedamus, dandus est aliquis actus Logicae docentis, qui nullo alio dirigatur, qui non erit actus Logicae vrentis, quia cum actus non possint se ipsos mutuo dirigere, necessum est pervenire ad aliquem, qui a nullo alio dirigatur, vel in infinitum procedere. Haec existimo a nullo posse negari, nisi tantum contendendi animo, sunt enim iuxta principia tradita omnino certa.

De distinctione habituum rem ita compono. In actu Logicae vrentis duplex potest excogitari difficultas, quaedam procedens ex materia, in qua fit sciendi instrumentum; alia ex artificio Logico, quo debet constare sciendi instrumentum, definitio videlicet, vel demonstratio. Difficultas orta ex materia, in qua fit sciendi instrumentum, debet superari habitu scientiae, ad quam pertinet materia, & obiectum formale instrumenti sciendi, quia Logica non potest vincere difficultatem, quam habet Philosophus in demonstrando dari unum primum motorem, vel dari materiam primam, ex qua omnia naturalia composita componantur, si enim hanc difficultatem vinceret Logicae habitus, superflueret habitus omnium scientiarum, una enim Logica sufficeret ad vincendas difficultates omnium scientiarum. Vincenda ergo est in actu Logicae vrentis difficultas orta ex materia demonstrationis, & syllogismi, & ex obiecto formali, circa quod versatur talis demonstratio, quod materiam voco respectu artificij logicalis, & directionis formalis syllogisticae. Difficultas alias potest excogitari orta ex artificio logicali, quod est eiusdem rationis in omnibus demonstrationibus in quacumque materia fiant, & ad quancumque materiam spectent. Ad hanc difficultatem vincendam plurimum conducere actus Logicae docentis mihi est omnino certum, nemo enim inhiat ibi facilis conficiendum esse syllogismum in quacumque materia ceteris paribus ab homine apprime cognoscente modum, quo faciendus est, quam ab alio qui penitus ignorat praecepta Dialecticae circa syllogismum efficiendum, notitia enim praeceptorum circa demonstrationem, quae est actus Logicae docentis, dirigitur quisque ad demonstrationem faciendam in quacumque alia materia. Ex hoc infero actus Logicae vrentis directivè procedere ab actibus Logicae docentis, & mediis his actibus ab habitu Logicae docentis à quibus elicitivè procedunt actus Logicae docentis, eo modo, quo actus procedunt à propriis habitibus siue per concursum actuum, ut alij volunt, siue mediā informatione habitus, mediā, quā tanquam conditione potentia facilis producit suos actus, ut alij opinantur, de quo dicam Controv. 12. de anima, Punct. 4.

Superest difficultas an intellectus optime directus per praecepta Logicae docentis ad demonstrationes conficiendas, iam promptior, & facilius ad illas, quam esset, si hanc directionem actuum non haberet, quae consistit in actibus Logicae docentis, adhuc habeat aliquam difficultatem ortam ex artificio logicali distinctam ab illa, quae oritur ex hac materia, & ex hoc formali obiecto, circa quod versatur demonstratio, quae vincenda est ab habitu scientiae, ad quam vincendam requiritur specialis habitus Logicae vrentis? Nonnulli affirmativam partem teneant, ex eo quod artifex, v. g. pictor postquam apprime didicit pingendi artem, supposita directionis arte difficultatem habet in ipsa pictura conficienda. Negativam partem veriorum esse animo, nullum enim invenio caput, ex quo pos-

sit esse intellectus difficilis ad demonstrationem conficiendam, postquam apprime novit modum, quo faciendi est distinctum à materiali, & formali obiecto, circa quod demonstratio debet versari; cum verò difficultas ex hoc capite orta vincenda sit ab habitu scientiae ad quam pertinet demonstratio illa ratione materiae, & obiecti formalis circa quod versatur, superfluit alius specialis habitus Logicae vrentis, cum nulla specialis difficultas vincenda superest.

Ratio adducta pro opposita sententia nihil probat, quia pictor difficultatem habet in ipsa executione picturae, postquam est instructus arte pingendi, quia non est eadem potentia, quae praescribit modum pingendi, & quae pingit; & ita postquam intellectus est optime instructus arte pingendi, potest esse manus difficilis ad exequendum id quod intellectus praescribit. In intellectu autem eadem est potentia praescribens demonstrationem faciendam, & exequens ipsam demonstrationem, cui si ex materia difficultas non accrescat in executione, nulla illi potest inesse supposita directione, quam habet circa opus exequendum. Quod si postquam intellectus actu prudentiae hic & nunc est optime instructus circa actum fidei eligendum, difficultatē habeat in actu fidei ab ipso eligendo, tota haec difficultas oritur ex ipsa materia, seu ex motu actus fidei, quod obscure movet, quae sub habitu fidei vincenda est; sicuti difficultas orta in actu Logicae vrentis ex materia & motu, vincenda est ab habitu scientiae ad quam pertineat talis actu ratione materiae, & obiecti formalis, seu motui.

Ex hoc infero omnes actus Logicae vrentis procedere elicitivè ab habitu, ad quem pertinet actus talis scientiae, & directivè ab habitu Logicae docentis, non immediatè & formaliter, quia habitus non immediatè neque formaliter dirigit potentiam, sed mediis actibus Logicae docentis, qui immediatè & formaliter dirigit potentiam ad conficiendam demonstrationem (idem intellige de quocumque alio sciendi instrumento) in quacumque materia, & ad quancumque scientiam spectantem. Infero similiter actum Logicae docentis directum aliis praeceptis eiusdem Logicae, qui simul est actus Logicae docentis, v. g. demonstratio praescribens modum, quo faciendi est definitio, directè praeceptis definitionis, procedere elicitivè ab habitu partis Logicae praescribentis modum definitionis conficiendae, & directivè ab habitu partis Logicae praescribentis modum quo faciendi est demonstratio, non immediatè, sed medio actu procedente ab habitu, qui actus immediatè dirigit demonstrationem, qui est actus Logicae docentis circa definitionem, & vrentis respectu praeceptorum quae tradit Logica circa demonstrationem.

Obiicies: Ad habitum Logicae docentis non pertinet conficere instrumenta sciendi, sed praescribere modum quo sciendi instrumenta faciendi sunt: ergo nullus actus Logicae vrentis elicitivè procedit ab aliquo habitu Logicae docentis. Respondeo, ad Logicam docentem spectare tradere praecepta circa instrumenta per demonstrationem enim ostendit Logica, quomodo faciendi sit definitio, & per definitionem circa ipsum demonstrationem docti, quomodo faciendi sit demonstratio; & ita ad Logicam docentem pertinere conficere in propria materia sciendi instrumenta, quae formaliter sunt praecepta, seu directiones circa alia instrumenta, quae tanquam obiecta respiciunt. Habitus tamen Logicae docentis à quo immediatè elicitur tale instrumentum, demonstratio videlicet, quae est doctrina circa definitionem, deferuiet ad vincendam difficultatem, quae oritur in hac demonstratione ex materia, & obiecto formali illius; illa verò quae oritur ex ipso artificio Logicali communis omnibus demonstrationibus, non vincitur ab hoc habitu, sed immediatè ab actu praescribente modum, quo faciendi est demonstratio, & mediatè ab habitu Logicae docentis à quo elicitivè procedit talis actus.

Obiicies: Actus Logicae docentis, & vrentis distinguuntur in specie: ergo non possunt procedere ab eodem habitu. Dixi eundemmet actum Logicae docentis posse esse actum Logicae vrentis, licet in ordine ad diversa extrema, quia actus dicitur docens respectu praxis, quam praescribit & respicit tanquam obiectum; & dicitur vrens respectu alius actus, à quo tanquam obiectum reflexè respicitur, & cuius est praxis, quapropter omisso antecedenti, distinguo consequens. Ergo non possunt procedere ab eodem habitu uterque



utrumque directiue, vel utrumque elicitiue, concedo consequentiam; in eodem enim actu, qui simul est actus Logice docentis assigno respectum ad vnum habitum, à quo quatenus est docens procedat, & ab alio à quo procedat quatenus vrens: ergo non possunt procedere ab eodem habitu vnus elicitiua, & alter directiue, nego consequentiam; volitio enim cuiuscumque obiecti directiue procedat à cognitione, & media hac ab habitu, & principio à quo procedit elicitiue cognitio, & nihilominus cognitio, & volitio specie differunt.

20 Obiicit: sequi ex nostra doctrina habitum Logice vrentis adhuc respectu huius actus non esse vnum simplicem sed duplicem, vnum directiuum, & alium elicitiuum. Respondeo respectu eiuſdem actus tantum dari vnum habitum Logice vrentis, qui directiue concurret ad actum, hunc vero connotare alium habitum à quo elicitiue procedat talis actus, qui non dicitur habitus Logice vrentis, sed habitus illius scientie ad quem secundum se pertineat actus ille, qui dicitur Logica vrens, sicuti potentia intellectiua, quæ est directiuum actuum voluntatis connotat potentiam volitiuam, à qua actus voluntatis elicitiue procedant, quia illius munus est dirigere mediis propriis actibus actus elicandos ab aliis potentiis, & ita elicitiua dicitur respectu propriorum actuum, & directiua respectu actuum potentie volitiue, non tamen dicitur dari duplicem potentiam directiuam respectu eiuſdem actus volitiue potentie. Sic contingit in habitu Logice vrentis, cuius est mediis propriis actibus dirigere actus elicandos ab alio habitu, & respectu illorum propriorum actuum, quos immediatè elicit, dicitur Logica docens, seu habitus Logice docentis; & respectu aliorum, quos ab alio habitu elicandos dirigit, dicitur habitus Logice vrentis. Et sic actus voluntatis, quia dirigitur ab actu intellectus, supponit potentiam volitiuam tanquam principium elicitiuum, & potentiam intellectiuam, quæ est principium elicitiuum intellectiue, quæ dirigitur, tanquam principium directiuum remotum; sic actus Logice vrentis, quia est actus peculiaris scientie directus actu Logice docentis supponit tanquam principium elicitiuum proximum habitum talis scientie, cuius est proprius, & habitum Logice docentis, qui est principium elicitiuum proximum actus, quo dirigitur, tanquam principium directiuum remotum, qui quatenus directiuus est dicitur habitus Logice vrentis.

21 Obiicit vltimò: Is qui conficit plures demonstrationes Philosophicas in *Dary* absque vllis præceptis Logice, facilis est ad faciendas alias demonstrationes in *Dary*: ergo per actus aliarum scientiarum constituitur quis facilis ad faciendos syllogismos, & sic ad alia sciendi instrumenta conficienda: ergo actibus aliarum scientiarum acquiritur habitus Logice vrentis: ergo habitus Logice vrentis non distinguitur ab aliarum scientiarum habitibus. Respondeo hominem absque arte conficientem syllogismos, aut alia sciendi instrumenta, constitui facile ad syllogismos, seu alia sciendi instrumenta faciendia; hunc tamen neque habere actum, aut habitum Logice vrentis, quia actus Logice vrentis est syllogismus factus cum directione artis Logice, & habitus huius actus est facilitas ad faciendos syllogismos præceptis Logice directos, ille vero qui syllogismos sine præceptis Logice efficeret, quantumvis facilis esset ad illos, neque syllogismos ex arte faceret, quod est habere actum Logice vrentis, neque facilis esset ad faciendos syllogismos arte directos, quod est habere habitum vrentis Logice: Sicut qui ex experientia, & nulla Medicinæ regulâ ductus medendi facilitatem habet, nullo Medicinæ docentis, aut vrentis habitu gaudet, quia habitus Medicinæ non est facilitas ad medendum, sed facilitas ad medendum actibus directis Medicinæ præceptis.

PUNCTVM III.

An Logica sit scientia.

1 Plures ingenio circa easdem questiones oppositas sententias, quarum rationem disconuenientie si illius expendissent auctores, facile inter se conuenirent, & perlongis, & valde prolixis disputationibus parcerent, agnoscetes tantâ operâ questionis materiam dignam non

esse, totamque resolui in puram de nomine questionem. In his est, quam præfixus titulus proponit, in qua multum de nomine dissertatur, ut ex dicendis constabit, in quibus accuratè discernam illa, in quibus tantum de nomine dissentio ab his, in quibus de re ipsa potest esse contentio.

Logicam non esse scientiam defendunt nonnulli antiquis, quos referunt Nostri Conimbricenses, quæst. 4. Prooem. art. 3. Hos sequuntur Pereira lib. Philosophiæ cap. 1. P. Vallius part. 1. Prolegomenorum quæst. 4. c. 10. P. Smigletius disp. 2. quæst. 5.

Logicam propriissimè esse scientiam defendunt D. Th. 4. Metaphys. cap. 4. sect. 4. Scot. quæst. 1. vniuersalium, Conimbr. supra. Toletus quæst. 2. Prooemij, Hurt. disp. 2. sect. 1. §. 2. Arriag. disp. 3. sect. 3. Merinero disp. vnic. prooem. q. 3. qui omnes asserunt Logicam docentem esse scientiam, licet de Logica vrente diuersimodè loquantur. Patrociniatur eidem sententiæ quàm plures antiqui Philosophi apud Conimbr. supra.

Ex his, qui asserunt Logicam non esse scientiam nullus est, qui neget Logicam habere plures demonstrationes, & ex principiis per se notis per legitimas illationes plures conclusiones deducere, hoc tamen non obstantè asserunt Logicam non esse scientiam, quia plures habet conclusiones non scientificas, sed tantum ex principiis probabilibus deductas. En egregiam de nomine questionem inter Patronos vtriusque sententiæ: conueniunt omnes Logicam habere aliquos actus scientificos, & alios tantum probabiles, & dissentiant, an ratione actuum scientificorum scientia sit absolutè dicenda, non obstantibus probabilibus, vel an non ita sit dicenda ratione actuum probabilium non obstantibus actibus scientificis: In questione de nomine cum illis eo, qui asserunt actus probabiles, & non scientificos non impedire Logicam ratione aliorum actuum scientiam dici, si ex alio capite reliqui actus absolutè scientifici sint: quamlibet enim scientiam totalem absolutè nomine scientiæ appellamus, etiam si secundum aliquas sui partes probabiliter tantum circa obiectum feratur, dum tamen secundum alias scientificè procedat: Si enim totalis scientia absolutè scientia dicenda non esset, quoties probabiles aliquos actus includit, neque Philosophia, neque Metaphysica scientiæ essent dicendæ, cum plures conclusiones includant tantum probabiliter deductas.

Alij verò Logicam à ratione scientiæ excludunt, quia non est speculatiua, sed practica, & Aristoteles nomine scientiæ tantum intellexit Metaphysicas scientias. Et aliam de nomine questionem in qua auctores, qui affirmant, & alij qui negant Logicam esse scientiam, admittunt Logicam demonstratiue, & practice procedere circa suum obiectum, & postea disputant an possit scientia dici necne, ex eo quod practica sit. Quæ quidem questio ad hunc locum trahenda non esset, in quo debeamus supponere quid sit scientia, seu quid debeamus intelligere hoc nomine scientia, & postea examinare an ratio significata per nomen Logice conueniat. Est ergo in hac questione firmum inter auctores, Logicam esse scientiam, si per scientiam actualem tantum intelligamus cognitionem legitime deductam ex principiis euidentibus, & per se notis: est etiam inconciliabile inter illos, qui affirmant scientiam esse practicam, Logicam non esse scientiam dicendam, si nomine scientiæ actualis non intelligatur quæcumque legitima conclusio ex principiis euidentibus, & per se notis, sed illa quæ speculatiue circa suum obiectum versatur. Est ergo tota dissensio in hac materia an tantum conclusio euidens purè speculatiua dicenda sit actualis scientia; an etiam qualibet conclusio euidens etiam practica talis sit dicenda; quæ est purè de nomine, vel ad summum de mente Aristotelis, de qua possumus disputare inquirentes an Aristoteles nomine scientiæ intellexerit tantum scientias speculatiuas, & etiam eodem nomine practicas voluerit intelligi. Aristotelem tantum intellexisse nomine scientiæ scientias purè speculatiuas, dum *o. Ethic. cap. 3.* habitus, virtutes diuise in Intellectum, scientiam, Sapientiam, Prudentiam, & Artem, ostendi Controu. 1. Punct. 5. eodemque sensu loquutum esse dixi 1. Poster. text. 5. alius 7. & 2. Metaphys. text. 3. vbi scientias practicas excludit à ratione scientiæ. Verumtamen ibid. retuli Aristotelem *o. Metaphys. textu 1.* vbi scientias practicas absolutè nomine scientiæ appellauit. Ex quo intuli locis primò citatis non intellexisse Aristotelem scientiæ



scientiæ nomine omnem scientiam propriè dictam, sed rationem perfectissimam scientiæ, quæ est in scientia speculatiua, & tandem conclusi in fine Punct. 5. citati, questionem esse purè de nomine, an scientiæ practicæ absolute scientiæ dicenda sint necne; quod iterum affirmo. In questione ergo de nomine, cuius neutra contradictionis pars poterit probari ex alio capite, quàm ex Doctorum usu, affirmo scientias practicas absolute scientias esse dicendas, quia communis hominum consensus cuiusque conclusioni euidenti nomen actualis scientiæ imperitur.

6 Verumtamen sunt alij, qui ex natura cognitionis practicæ nonnullas proprietates cum ratione scientiæ repugnantes deducere intendunt, quorum fundamenta adducam, & soluam, vt ex omni capite constet Logicam absolute scientiam esse dicendam, etiam si secundum omnes suos actus practica sit.

7 Obijciunt primò: De ratione scientiæ est, vt sit de iis quæ sunt talia secundum naturam, non ex nobis; sed quæ in se ipsis, & in sua natura, & non in nobis principium habent. Sed practica cognitio non versatur circa obiectum, quod sit tale ex natura rei, sed ex nobis: ergo cognitio practica non potest esse scientifica, seu actualis scientia. Maior probatur ex Arist. 6. Ethic. cap. 3. Minor probatur ex ipsa natura cognitionis practicæ, cuius est dare esse obiecto. Consequentia videtur legitima. Respondeo Aristotelem nomine scientiæ non semper intellexisse scientiam in tota sua latitudine, sed aliquando illud contraxisse ad rationem perfectissimam scientiæ, quapropter etsi conditio in maiori propositione appositæ tantum conueniret scientiis speculatiuis, non ideo à ratione scientiæ, scientiæ practicæ essent relegandæ: quia doctrinam ad Philosophi auctoritatem satisfacio. Iam ad doctrinam Maioris propositionis secundum se sumptam, Respondeo non esse inconueniens principium existentie obiecti esse in ipsa cognitione, ad hoc vt cognitio versetur scientificè circa illud, quia etiam obiectum à cognitione producatur, dicitur tale secundum suam naturam, quia ex sua natura habet non posse existere sine his prædicatis essentialibus, & repugnare sine ipsis existere, quod est habere esse ex sua natura omni modo, quo illud potest habere ens creatum, quod essentialiter debet ab alio dependere. Rem explico: agit Philosophia speculatiue de homine, Logica practice de syllogismo; differunt ex eo, quod cognitio Philosophica, non est principium hominis, & cognitio Logica est principium syllogismi, quæ differentia reperitur in ipsis obiectis in ordine ad easdem cognitiones, quorum vnus procedit à cognitione practica tendente circa illud, & aliud non procedit à cognitione speculatiua, quæ respicitur. Ceterum sicuti syllogismi existentia habet esse à cognitione practica, tanquam à principio, hominis existentia habet esse ab alio principio, à quo procedit, cum non sit à se; & sicuti dicimus hominem habere à se, seu ex se sua prædicata essentialia, verbi gratia esse animal & rationale, quia repugnat esse hominem, quin sit animal rationale, sic syllogismus habet ex se, seu à se sua prædicata essentialia, quia repugnat dari syllogismum, qui non constet tribus terminis certis, fixisque ratione dispositis, neque minus repugnat dari syllogismum in *Barbara* non compositum tribus terminis, quorum vnus qui dicitur medium sit subiectum Maioris propositionis, & prædicatum Minoris, & alius, qui dicitur maior extremitas sit prædicatum Maioris, & Conclusio. & alius, qui minor extremitas dicitur sit prædicatum Minoris, & Conclusio, quàm repugnat dari hominem, qui non sit animal rationale: ergo in eo sensu in quo potest dici obiectum creatum scientiæ speculatiue habere essentialiam à se, seu ex se, quia illam aliter habere non potest, quàm ab aliquo principio, quodcumque sit illud, à quo producatur, poterit idem dici de obiecto scientiæ practicæ.

8 Obijciunt secundò: Obiectum cognitionis practicæ potest hac vel illa ratione produci, bene & malè fieri: ergo non habet ex se determinatam prædicatam, de quibus possit dari scientia. Respondeo idem obiectum cognitionis practicæ, v. g. syllogismum in *Barbara*, seu in alia quacumque figura, non posse diuersis rationibus produci, neque indifferens esse, vt bene, malè fiat, sed necessario certam quadam ratione producendum esse, & rectè esse faciendum, si talis syllogismus faciendus sit, scientia enim

practica non eò tendit, vt rectè fiat aliquod obiectum, quod indifferens est vt bene vel malè fiat, sed ne loco obiecti producendi, quod per se ipsum rectum est, & non potest eo ipso quod fiat non rectè fieri, producat aliquid obiectum quod per se ipsum declinet à dictamine scientiæ practicæ, aliter fieri nequeat. Patet hoc in quocumque syllogismo, qui est obiectum scientiæ practicæ, qui per se ipsum est conformis, aut disconformis regulis artis, & nunquam fieri potest vt syllogismus ille, qui semel est disconformis, fiat conformis, aut è contra, idemque est dicere: syllogismus iste non est rectè factus iuxta syllogismi regulas, ac dicere, syllogismus iste, seu propositiones istæ, quæ syllogismi loco ponuntur non sunt syllogismus, neque ex illis syllogismus resultat: idem dico de quocumque sciendi instrumento, idem enim est dicere, hæc definitio, seu hæc diuisio, seu hæc demonstratio est viciosa, ac dicere hæc definitio, aut diuisio, aut hæc demonstratio simpliciter talis non est.

Obijciunt tertio: Omne obiectum cognitionis practicæ est illud, quod fieri potest à nobis: sed illud quod fieri potest à nobis est singulare: ergo omne obiectum practicum est singulare. Sed de singularibus non datur scientia: ergo de obiecto cognitionis practicæ non potest dari scientia: ergo cognitio practica, quæ versatur circa tale obiectum, scientia non est. Hurtadus disp. 1. Metaphysicæ, 6. subsect. 4. asserit posse dari scientiam de singularibus, quia de his numero celis, qui de facto sunt inquirunt Philosophia, an constant materia, & formâ: & quia cum queritur de magnitudine cæli Empyreæ, Solis, & Lunæ agitur de hoc cælo Empyreæ, & de hoc Sole, & Luna, quæ de facto sunt, & ex his singularibus doctrina ad alia similia deducitur. Similiter demonstrat Astrologus hanc numero eclipsim crastinâ die futuram, & hanc numero stellarum coniunctionem, quæ motu naturali calorum mediâ hac nocte continget.

Non hæc conuincunt dari scientiam de singularibus quatenus singularia sunt, & vltimas differetias individuales includunt, quia cum inquirunt de his numero celis, qui de facto sunt, an constant materia, & formâ, non de illis inquirunt formaliter vt sunt talia individua, quia etiam si essent alij cæli numero diuersi cum proprietatibus omnino similibus, quos neque sensus neque intellectus humanus ab his posset discernere, idem eodem modo de illis disputaret; sed demonstratio si qua est in hac materia, procedit de his celis quatenus conueniunt cum aliis eiusdem rationis cum ipsis, qui eorum locis possent produci. Idem dico de eclipsi, & siderum coniunctione, quas demonstrat Astrologus: non enim illas demonstrat, quatenus sunt talia individua, neque quatenus procedunt ab hac ratione individua motus, sed secundum rationem communem quæ comprehendit aliam indiuiduam eclipsim, & aliam indiuiduam coniunctionem, quæ ab alio numero calorum motu, & ab aliis celis numero distinctis possent contingere.

Respondeo obiectum cognitionis practicæ esse obiectum quod potest fieri à nobis, nihilominus posse esse rationem communem, & vniuersalem materialiter sumptam, seu quæ sit vniuersalis per ipsam cognitionem, quia hæc ex parte obiecti nihil aliud dicit, quàm plura individua, quorum vniuersalitas, non supponitur ad ipsam cognitionem, quia in mea sententia vniuersalitas à cognitione non distinguitur, & in sententia aliorum fit per ipsam cognitionem. Ad formam argumenti respondeo cõcessâ maiori distinguendo minorem. Obiectum quod potest fieri à nobis tantum est hoc numero singulare, & non aliud, nego: hoc singulare, & illud singulare vnumquodque vt distinctum ab alio, concedo. Deinde distingo consequens: ergo obiectum cognitionis practicæ debet esse hoc singulare, & non aliud, nego consequentiam: debet esse hoc singulare, & illud singulare, concedo consequentiam. Deinde distingo minorem seu secundum antecedens, sed de singularibus non datur scientia, distingo minorem; de singularibus non datur scientia, quatenus cognoscuntur secundum rationem communem omnibus, & instar vnius nostro modo concipiendi, in reque omnibus similem, nego: secundum rationem illam quæ est propria huius numero indiuidui vt distincti ab aliis, transeat. Itaque cognitio practica respicit plura individua, quorum quodlibet possumus ex vi illius cognitionis efficere, etas



intercedit tamen duplex differentia; prima est, quod una, eademque practica cognitio attingit simul omnia individua, quæ non nisi successivè & per distinctas actiones nos possumus efficere. Secunda, quod ex vi cognitionis practice scientificæ, quæ omnia individua, quæ à me fieri possunt confunduntur, & ab illis præcendantur, siue ex parte actus, siue ex parte obiecti, differentia individualis, ex vi tamen actionum, quibus sunt neque datur confusio aliqua individuum, neque differentiarum præcisio, quia licet intellectus vim habeat præcendi vnum prædicatum ab alio ex his, quæ sunt in obiecto, nulla potentia effectiva neque ipse intellectus potest similem præcisionem exhibere circa effectum. Itaque ex vi cognitionis præcendit, per quam fit siue actiue, siue formaliter obiectum vniuersale; datur actio non præcendens: seu hæc numero praxis, quia ex vi cognitionis; quæ ego dico, syllogismus in *Darj* constat tribus terminis hac ratione dispositis, quæ se extendit ad omnes syllogismos, qui in *Darj* fieri possunt, & præcendit à differentia individuali cuiusque, habet intellectus sufficientem directionem, vt oblat hac aut illa materia, in hac seu in illa possit syllogismus in *Darj* consistere.

12 Obiicies: Cognitiones scientificæ sunt æternæ veritatis, & habent obiectum necessarium. Sed id quod potest à me fieri non habet æternam veritatem, siquidem in tempore fit, neque est obiectum necessarium, siquidem potest non fieri: ergo non est obiectum scientiæ. Respondet. Cognitiones scientificas dici æternæ veritatis, & necessarias, non quia annuncient aliquod obiectum existens ab æterno, seu necessarium secundum existentiam, sed quia de obiecto siue necessario, seu contingentem, secundum existentiam ab æterno, vel in tempore existenti enunciant ea, quæ illi sunt essentialia, præcisè quatenus essentialia, seu quatenus connexa cum subiecto in quocumque statu consideretur, siue existens, siue tantum possibile, exempli gratia, hæc propositio, *homo est animal rationale*, dicitur æternæ veritatis, quia tantum significat implicare dari hominem, qui non fit animal rationale, quod per totam æternitatem verum est, quia nullum æternitatis instans assignabis, in quo deest homo, qui non fit animal rationale, etsi quocumque instanti homo existens contingenter existat, & in illo poterit non existere. In hoc sensu de syllogismo, quem contingenter in tempore conficio potest dari propositio veritatis necessaria, & æternæ, hæc enim veritas, *syllogismus in Darj constat tribus terminis hac ratione dispositis*, ab æterno prolata esset vera, quia sicut implicat dari hominem in aliquo æternitatis instanti, in quo non fit animal rationale, sic implicat in aliquo æternitatis instanti dari syllogismum in *Darj*, qui non constet tribus terminis hac ratione dispositis. Eodem sensu omnes conclusiones ab æterno veritatem, & necessitatem habent, ab æterno enim est obiectum huius propositionis, *Definitio constat genere & differentia*, hoc est, eo ipso quod fit definitio, in quacumque materia illa fit constabit genere, & differentia, & ab æterno esset verum dicere, *definitio est clarior definitio*, hoc est eo ipso quod fit definitio, in quacumque materia illa fit, erit clarior suo definito: ex hoc ergo capite non repugnat cognitionem practicam tendere scientificè in obiectum ex vi illius in tempore, & contingenter productum, cum de obiecto contingentem secundum existentiam possint dari enunciationes necessariæ, & veritatis æternæ.

Ex hoc inferes verum non esse, quod docet Smilætius, disp. 2. quæst. 5. pag. 173, essentiam subiecti practici dependere à nobis, & à nobis constitui, & ita omnem conclusionem practicam dependere ex altera premissa contingenti, quia etsi medium in maiori necessario coniungatur cum passione, in minori contingenter coniungitur cum subiecto, quæ contingentia impedit absolutam propositionem conclusionis. Quam doctrinam hoc Logico exemplo confirmari dicit. *Omnis syllogismus constans talis dispositione recte concludit: syllogismus in Barbara constat tali dispositione terminorum: ergo syllogismus in Barbara recte concludit*: in quo syllogismo manifestum esse ait, medium necessariò coniungi cum passione; in minori autem affirmat, contingenter cum suo subiecto coniungi; nam quod syllogismus ille sit in *Barbara*, & quod habeat talem dispositionem non provenit ex natura rei, sed ex intellectu

nostro talem structuram syllogismi consiciente ad finem recti discursus.

13 Rem non ita se habere constat ex doctrina tradita, quia quod syllogismus ille, qui de facto est in *Barbara* fit in *Barbara*, & talem dispositionem terminorum habeat, tantum potest à nostro intellectu dependere, quatenus dependet à nostro intellectu fieri talem syllogismum, in quo sensu etiam pendet à Ioanne generante Petrum, hunc esse hominem, & esse animal rationale, quia sicuti syllogismus, qui est in *Barbara* non existeret, si non fieret à nostro intellectu, sic Petrus, qui est animal rationale, non existeret si non procederet à Ioanne, vel ab alio loco Ioannis, & sicut implicat Petrum produci à Ioanne, vel à quocumque alio, quin Petrus euadat homo, & animal rationale, sic implicat hunc syllogismum, quem dicimus esse in *Barbara* produci ab intellectu, quin euadat *Barbara*, & cum hac terminorum dispositione, quæ essentialiter constat, ita vt si in aliquo terminorum alteraretur dispositio, non solum non esset syllogismus in *Barbara*, sed neque esset idem syllogismus, quia physicè esse, hunc syllogismum, esse in tali figura, & habere hanc terminorum dispositionem sunt omnino realiter idem. Quomodo autem regulæ artis deseruiant vt syllogismus sit in *Barbara* dixi supra. Regulæ autem artis vt sepe dixi non deseruiunt, vt syllogismus idem indifferens vt sit, vel non sit in hac figura, de facto sit in illa, sed vt ex innumeris syllogismis probabilibus, quorum hic essentialiter est in *Barbara*, ille in *Darj*, ille in *Cesare*, & ille in *Datapti*, & aliis conceptibus qui syllogismorum apparentiam habent, & syllogismi non sunt, à nobisque propter illam fallacem apparentiam syllogismi fallaces appellantur, de facto intellectus noster eliciat hunc syllogismum præ alio, qui essentialiter est in illa figura, in qua nos intendimus syllogismum consistere.

Ultimò adduci solet quoddam problema Aristotelis asserentis absurdum esse simul querere scientiam, & modum sciendi: Sed Logica est modus sciendi: ergo non est scientia, aliàs in Logica simul daretur scientia, & modus sciendi, & qui Logicam inuestigaret, quæreretur simul scientiam, & modum sciendi. Plausibilis inter Doctores solutio est, Aristotelem fuisse loquutum de scientia distincta à modo sciendi, & tantum intendisse absurdum esse simul querere Logicam, & scientiam aliam à Logica distinctam.

15 Hic latè nonnulli disputant, an Logica non tantum vt docens, sed vt vtens sit scientia? Huic quæstioni facilè respondeo: Logica vtens formaliter est quodlibet sciendi instrumentum in quacumque materia confectum, seu ad quacumque scientiam pertinens vt actu directum, & dependens à præceptis Logicæ: sed hunc syllogismum, quem ego conficio, actu dirigi Logicæ præceptis, & ab illis dependere, est quædam extrinseca denominatio, quia absque vllis præceptis, etsi non ita facilè posset fieri idem met syllogismus, & non pertinet formaliter ad tendentiam syllogismi directi in suum obiectum: ergo non pertinet ad rationem formalem scientiæ: ergo Logica vtens vt vtens non est scientia. Priorem consequentiam probor: ratio scientiæ est intrinseca actui, & dicit respectum ad obiectum. Sed ratio formalis vtentis non est intrinseca actui, neque dicit respectum ad obiectum: ergo ratio formalis vtentis, non est ratio formalis scientiæ: ergo actus Logicæ vtentis vt vtentis non est scientia. Ex hoc infero actum Logicæ vtentis vt vtentis nunquam esse scientiam formaliter; materialiter autem aliquando non ita, quia aliquando actus directus præceptis scientiæ est.

16 Logicam docentem, vt docentem vulgò dicitur esse scientiam, quod non ita intelligendum est, vt omnis formalitas docentis, seu omnis docendi ratio sit ratio formalis scientiæ, quia in Logica docente plures sunt actus tantum probabiles, qui nulla ratione, neque formaliter vt docentes, neque materialiter sumpti scientifici sunt. Respectus docentis est respectus ad obiectum, de quo Logica ostendit quæ ratione faciendum sit, quod potest docere conclusione deducta ex principiis probabilibus, & tunc talis doctrina formaliter non erit scientia; & potest docere modum quo faciendum sit sciendi instrumentum per medium euidens, seu conclusione deducta ex præmissis euidens, & tunc talis doctrina, seu talis docendi modus erit formaliter scientia, ad cuius rationem formalem



malem spectat tendentia in obiectum, quod ex vi illius apparet per medium euidens. Ex hoc infero Logicam docentem vt docentem præcisè sumptam non esse scientiã, quia potest dari actus Logicæ docentis, qui scientia non sit; Logicam verò vt docentem, seu vt ostendentem modum quo faciendum est sciendi instrumentum per medium euidens, seu conclusione deducta ex præmissis euidetibus formalissimè esse scientiam.

18 Omnia quæ de actibus Logicæ vt sic, & de actibus Logicæ docentis & vtentis huc vsque diximus disputantes, an illis ratio scientiæ actualis conueniat, eodem prorsus modo transferenda sunt ad habitus, à quibus procedunt; ille enim habitus dicitur habitualis scientia, qui est principium actus, qui est scientia actualis; & habitus, qui huiusmodi actus principium non est, nullatenus habitualis scientia dicitur.

## PUNCTUM IV.

## An Logica sit ars.

1 Incidimus in egregiam de nomine quæstionem, quam sine contentione adhuc illorum, qui de hac re contentunt, breuiter definiam. Logicam esse artem defendunt P. Fonseca 2. Met. cap. 3. quæst. 2. sect. 4. P. Vasq. 1. 2. disp. 85. cap. 1. & pauci ex antiquis apud Vallium modò citandum. Dialecticam non esse artem defendunt P. Tolet. q. 4. de Dialectica in communi propè finem, P. Vallius Part. 2. Prolog. q. 4. cap. 10. P. Smigletius disp. 2. sect. 5.

2 Aristoteles artem definit: *Habitus cum ratione factiuus*, quæ differt à prudentia, quam definiuit idem Philosophus: *Habitus cum ratione actiuus*, per ly *factiuus*, cuius verbi expositio est totum huius difficultatis negotium. Dixi Controu. 1. Punct. 1. Aristotelem factionem appellasse, omnem actionem siue internam, siue externam distinctam ab habitu voluntatis, quod inferebam, ex eo, quod in illa diuisione habitus in Intellectum, Sapientiam, Prudentiam, & Artem, nomine artis scientias practicas intellexerit, & nomine scientiæ speculatiuas tantum comprehenderit. Iuxta hanc definitionis Artis expositionem, Logicam esse artem compertum est, quia est habitus cum ratione præscribens quæ ratione facienda sunt sciendi instrumenta, quæ sunt operationes intellectus distinctæ à voluntatis operationibus. Neque ars secundum hanc acceptionem desumpta opponitur cum ratione scientiæ, potius omnes scientias practicas comprehendit.

3 Alij ex Aristotele probare intendunt factionem esse actionem, quæ præter ipsam habet aliquod opus externum quod post se relinquit, sicuti ars adificandi post actionem relinquit adificium post illam perseuerans. Ex eodem capite iidem affirmant Aristotelem 1. Magnorum Moraliũ c. 33. negare citharizationem esse factionem, quia non relinquit opus post se. Iuxta hanc artis acceptionem Logicam non esse artem compertum est, quia operatio, ex cuius sciendi instrumentum constituitur, nullum opus post se relinquit, & ita habitus, ex vi cuius fit sciendi instrumentum habitus factionis dici nequit, & consequenter habitus factiuus dici non potest. Ex hoc capite à ratione artis P. Toletus, P. Vallius, & P. Smigletius supra citati Logicam excludunt.

4 Tota hæc quæstio deuoluitur ad inquirendum, quid Aristoteles intellexit per nomen *factiuus* in definitione posito, & quid idem Philosophus per factionem intelligat, cuius principium nomine *factiuus* significatur, in qua video nobiles Aristotelis interpretes asserentes Aristotelem nomine *factiuus* intellexisse principium operationis externæ, ideo ab hac expositione non recedo, iuxta quam dicendum est Logicam non esse artem. Standum tamen est dictis Controu. 1. Punct. 5. vbi dixi nomine artis omnes scientias practicas intellexisse Aristotelem, & ita nomen *factiuus* in definitione artis appositum extendendum esse ad omnes operationes etiam internas distinctas à voluntatis operationibus.

5 Quæ duo componentur si dicamus in prædicta definitione extendisse nomen artis, & rationem factiuæ, ad habitus, qui strictè loquendo factiuæ non sunt, & rationem factionis ad actiones, quæ non ita simpliciter debent appellari, sed tantum secundum quid propter similitudinem aliquam, quam habent in hoc quod est dirigi aliis actibus

intellectus, cum externis operationibus, quæ propriæ factiones dicuntur. Cum enim in eadem diuisione nomen scientiæ non in tota sua latitudine desumpisset, quatenus se extendit ad omnem scientiam, sed tantum pro scientiis speculatiuis, necessum fuit illi nomen artis extendere ad illa quæ tantum secundum quid, & propter similitudinem aliquam artes dicuntur, vt sub illo comprehenderetur ea, quæ nomine scientiæ sub quo legitime comprehendi debebant, continerentur. Potuit autem Aristoteles vt nomine scientiæ strictiori significatione, quam in se habet, vt ostenderet excellentiam scientiarum speculatiuarum, quarum comparatione practica scientiæ, etsi essentia scientiæ gaudeant, non simpliciter scientiæ appellandæ esse videntur. Supposita autem hac stricta acceptione scientiæ, necessum fuit laxà vt artis acceptione, ne scientiæ practice in illa diuisione non contentæ nomine scientiæ omnino à diuisione excluderentur.

## PUNCTUM V.

## An Logica sit scientia practica vel speculatiua.

1 R Eucanda sunt in memoriam illa, quæ de natura scientiæ practice & speculatiue tradidi Controu. 1. Punct. 2. quibus præmissis faciliè præsentem dirimam quæstionem.

2 Prima sententia docet Logicam esse purè speculatiuam: sententiam hanc defendunt Scotus, quem sui sequuntur. Ex modernis Rada Controu. 3. art. 2. Faber in prologo sententiarum disp. 9. c. 1. Theodorus ibid. quæst. 4. Meriuero in Logica disp. vnica proœmial. quæst. 6. sect. 2. & apud hos plures ex antiquis Scoti discipulis. Eandem amplectuntur ex Thomistis non pauci, Capreol. q. 2. prol. Soncinas 6. Met. q. 2. Tabel. ibid. Scotus in Logica q. 4.

3 Secunda sententia docet Logicam partim esse practicam, partim speculatiuam: ita sentiunt P. Vasq. 1. part. disp. 4. n. 2. P. Suar. 2. Met. disp. 44. sect. 13. m. 54. P. Rub. q. 5. Proœmij num. 14. Hurt. disp. 2. sect. 2.

4 Tertia sententia docet Logicam neque esse practicam, neque speculatiuam, neque vtramque differentiam secundum distinctos actus habere, quia neutram illarum propriè in se habet, & improprie aliquid vtriusque participat. Sententiam hanc defendunt Smigletius disp. 2. sect. 4. & P. Vallius part. 2. prolog. q. 4. c. 16. c. 15. 16. & 17.

5 Quarta sententia cui assentior asserit Logicam esse merè practicam. Defendunt hanc sententiam Fonseca 2. Met. c. 3. q. 2. sect. 4. Conimb. q. 4. art. vnico, Arriaga disp. 3. sect. 4. subsect. 2.

6 Prima sententiæ fundamentum est Logicam versari circa operationes intellectus, ex quo infero Logicam non esse practicam, quia ratio practici dicit ordinem ad praxim, & operatio intellectus praxis esse nequit, cum essentialiter sit speculatio, quæ praxi opponitur. Fundamentum istud impugnauit Controu. 1. Punct. 2. vbi contra Scotum, & illius asseclos probauit nostri intellectus operationem optimè posse rationem praxis habere, & hanc non dicere actionem distinctam à nostri intellectus operationibus.

7 Fundamentum secundæ sententiæ est, dari in Logica aliquos actus, qui practici esse nequeunt, quos postea obiciam contra propriam sententiam, & ostendam tales actus practicos esse, vel ad Logicam non pertinere.

8 Eidem ferè fundamento, quo prima, tertia innitur sententia, quæ asserit Logicam non esse propriè practicam, neque propriè speculatiuam, negat enim esse speculatiuam, quia non sistit in cognitione sui obiecti, & non affirmat simpliciter esse practicam, quia illius obiectum sunt nostri intellectus operationes, quibus ratio praxis conuenire nequit, quia hæc dicit actionem distinctam ab operationibus nostri intellectus. Concedo ergo huic sententiæ Logicam non esse speculatiuam propter rationem, quæ ipsa vtitur, & nego practicam dici non posse, quia vertitur circa operationes nostri intellectus, quibus ratio praxis conuenire non possit, ostendi enim loco citato optimè prædictam rationem praxis nostri intellectus operationibus conuenire. Quod si velis defendere praxim dicere actionem distinctam à nostri intellectus operationibus alicui testimonio Philosophi adhærens, contentio tantum poterit esse de Philosophi mente, in re enim omnes conuenimus Logicam dirigere nostras intellectus operationes, &



& non alias ab his distinctas, quod nos dicimus sufficere, ut practica appelletur, & tu dicis sufficiens non esse ut à nobis practica dicatur, absque eo quod tu neges in Logica formalitatem aliquam, quam nos concedamus, vel absque eo quod nos aliquam formalitatem ab his, quas tu in Logica ponis, auferamus, aliāue ratione constituamus.

Possem pro quarta sententia, quam amplector adducere D. Thomam opusc. 70. in Boetium de Trinitate quaest. de diuisione scientiarum speculatiuarum, in responsione ad secundum, ubi expresse affirmant Logicam non esse speculatiuam; sed quia poterunt auctores secundae sententiae respondere Angelicum Doctorem dixisse esse practica, & non speculatiuam, quia secundum maiorem partem actuum est practica, & tantum secundum aliquos speculatiua, ab auctoritate Doctoris Angelici abstinere, & ratione meam conclusionem probo. Logica versatur circa intellectus operationes dirigendas: sed directio operationum intellectus est praxis, seu operatio: ergo versatur circa operationem, seu praxim: ergo Logica est practica. Non versari circa aliquid obiectum merè illud speculando sic probatur. Totum Logicæ obiectum adequatum sunt intellectus operationes, harumque directio, videlicet constructio definitionis, diuisionis, propositionis, argumentationis: sed hæc omnia sunt à Logica, quæ versatur circa illa dirigendo intellectum, ut rectè hæc sciendi instrumenta conficiat: ergo totum obiectum circa quod Logica versatur est operabile, & circa illud modo operabili versatur.

Respondent auctores oppositæ sententiæ Logicam ipsam circa obiectum à se factum post ipsam operationem tendere speculatiuo modo, sicut artifex facta domo merè speculatiue considerat esse diuturnam, & à frigore defendere. Contra consideratio passionum, vel proprietatum obiecti facti à Logica vel conducit ad operationes intellectus dirigendas, vel non conducit: si conducit, erit practica; si non conducit, non pertinebit ad Logicam, quia hæc tantum agit de operationibus dirigendis, non vero de ipsis operationibus secundum se, nec de ipsa directione, nisi quatenus ab ipsa Logica procedente. Contemplatio enim instrumentorum sciendi secundum se non ad Logicam, sed ad Philosophum, vel Metaphysicum attinet. Exemplum de architecto nihil probat, quia quando considerat artifex domum esse diuturnam, & defendentem à frigore, considerat id quod artifex intendit facere, quia intendit facere domum defendentem à frigore, hoc est, tali modo dispositam ut à frigore defendat. Cognitionis enim, quæ pertinet ad artificem, & in qua ars actualis consistit, dicit, domus ita facienda est ut à frigore defendat, ex vi cuius artifex domum facit tali modo dispositam ut à frigore defendat.

Inhabis: artifex considerat domum iam factam, quæ consideratio ad domum faciendam nequit deferre, ac proinde neque practica esse, sed purè speculatiua. Respondeo domum factam posse considerari ut iam factam præcisè, vel posse considerari ut factibilem ex se, vel quatenus potest in illa corrigi aliquis error, si forsan in illius structura sit commissus. Si posteriori modo consideretur, cognitio practica erit; si priori, cognitio illa ad artem architectandi non pertinebit, quod eadem prorsus ratione in Logica contingit, possum enim ego examinare circa syllogismum iam factum, an habeat omnem conformitatem cum præceptis Logicæ cognitione præcisè ordinata ad illum syllogismum speculandum, ita ut si appareat syllogismum non esse legitimum, ex vi illius cognitionis non ergo potero syllogismum legitimum conficere, & tunc cognitio illa practica non erit. Possum insuper inspicere an syllogismus à me factus habeat conformitatem cum præceptis Logicæ, ut si proprietates illæ in syllogismo facto desiderantur, alium conficiam, in quo reperiatur omnimoda conformitas cum Logicæ præceptis, & tunc talis consideratio spectabit ad Logicam, & erit practica.

Inhabis: quando ego considero syllogismum à me factum non esse iuxta regulas artis, & ideo syllogismum alium regulis illis conformem efficio, duplicem reperiri cognitionem, quandam ex vi cuius detego syllogismum non esse legitimum, aliam, quæ præscribit modum, quo alius syllogismus legitimus sit faciendus, qui loco legitimi substituitur, ex quibus posterior erit practica, quia præscribit modum, quo faciendus est alius syllogismus; & prior speculatiua, quia illa immediatè non præscribit modum, quo faciendus est talis syllogismus, sed proponit

malitiam syllogismi iam facti, ex qua moueor ad faciendum alium directum præceptis Logicæ, & non cognitione quæ deprehenditur malitia prioris syllogismi: ergo prior illa cognitio practica non est, quia non ex eo, quod mouear ego, ad aliquid faciendum ex hoc obiecto cognito, cognitio talis obiecti practica est, aliās cognitio quæ Deus cognoscit hominum peccata, practica esset, quia ex peccatis cognitis mouetur Deus ad poenam infligendam.

Respondeo cognitionem illam priorem, ex vi cuius tantum deprehenditur malitia syllogismi iam facti, & tantum deferuit ad alium legitimum faciendum applicando motum, quo voluntas determinatur ad faciendum alium syllogismum, per se, & intrinsecè non pertinere ad Logicam, sed tantum extrinsecè, quatenus ego illam elicio ex intentione faciendi alium syllogismum, si forsan errorem aliquem deprehenderim in syllogismo iam facti, & ita sicut extrinsecè, & non per se pertinet ad Logicam, sic potest extrinsecè, & non per se, sed ratione intentionis, à qua procedit dici practica, etiam si intrinsecè & per se cognitio sit speculatiua ut rectè probat ratio facta. Neque obstat Logicam frequenter uti tali cognitione, ut dicamus adhuc talem cognitionem Logicam non esse, sed Philosophicam, aut Metaphysicam, quia Nauclerus utitur cognitione coniunctionis syderum, ut temporis opportunitatem ad nauigandum agnoscat, & tamen cognitio circa syderum coniunctionem, & temporis tranquillitatem non pertinet per se formaliter ad artem Nauicam, sed supponitur ad exercitium ipsius artis: sic affirmo in præsentī Logicum speculantem malitiam huius syllogismi, ex qua mouetur ad rectum syllogismum faciendum regulis artis directum, uti cognitione speculatiua circa malitiam syllogismi iam facti, quæ formaliter non pertinet ad Logicam, sed ad Philosophiam, seu ad Metaphysicam, ut ex illa moueatur ad faciendum syllogismum directum Logicæ præceptis, sicuti Nauclerus utitur cognitione pertinente ad Astrologiam, ut ex illa moueatur ad nauim ducendam iuxta præcepta Nauicæ artis.

Obiiciunt auctores asserentes Logicam habere aliquos actus speculatiuos: Hæ cognitiones, definitio & definitum conuertuntur; genus latius patet suis differentiis; conclusio identificatur cum præmissis pertinent ad Logicam, & tamen non sunt practicae: ergo non omnis cognitio practica pertinet ad Logicam. Priorem partem antecedentis nemo negabit, posteriorem probo. Illa quæ identificantur sunt obiectum definitionis cum obiecto cognitionis, per quam cognoscitur definitum, & obiectum conclusionis cum obiecto præmissarum. Similiter, illud quod latius patet est obiectum, quod ex vi cognitionis genus denominatur respectu obiecti, quod ex vi cognitionis denominatur differentia: sed hæc maior extensio generis, & illorum extremorum identitas sunt independentes à prædictis cognitionibus: ergo prædictæ cognitiones per ordinem ad hæc obiecta practica non sunt. Respondeo hos Logicæ actus non versari circa conceptus obiectiuos, sed circa formales, quod probauit Punct. 5. & ita esse practicos, sonant enim, sic conficienda est definitio ut illius significatum sit idem cum significato cognitionis, per quam repræsentatur definitum: tales præmissæ debent in syllogismo adduci, talisque debet esse conclusio, ut huius illarumque obiectum significatum realiter sit idem; demum talis debet esse cognitio generis ut ad plura se extendat obiecta, quàm cognitio alterius differentia, quæ cognitiones practicae sunt, deferuiunt enim, ut iuxta modum ab illis præscriptum efficiantur definitio formalis, formales præmissæ, conclusio formalis, & formales conceptus generis, & differentia. Idem dico de illis principiis, dici de omni, & dici de nullo, quæ immediatè dirigunt intellectum, ut ex propositione vniuersali affirmatiua particularem affirmatiuam inferam, & ex vniuersali negatiua particularem negatiuam deducam.

PUNCTUM VI.

De utilitate, & necessitate Logica ad alias scientias.

**D**uplici ratione utilis est Logica omnibus aliis scientiis. Primò dirigendo intellectum ad sciendi instrumenta faciendā, videlicet definitionem, diuisionem, argumen-



argumentationem, quibus scientiæ omnes vtuntur. Secundò suppeditando generalia media ad disputandum, & discurrendum de rebus omnibus, ostendendo videlicet locos communes, & sedes argumentorum, ex quibus argumenta ad quamcumque rem probandam desumi possunt. Primum illud spectat ad formam argumentandi, secundum ad materiam; quamuis enim quælibet scientia habeat media singularia ad suas conclusiones inferendas, tamen Logica omnibus præbet generalia quædam media ex locis communibus desumpta, v.g. de locis definitionis, descriptionis, notationis, partium, totius, causarum, effectuum, antecedentium, consequentium, repugnantium, similitum &c. de quibus omnibus doctè, & latè Nolter Fonseca lib. 7. constituit. Dialecticarum à cap. 10. vique 38. Hæc pars topica vt distincta à reliquis iuxta strictam nominis significationem, Dialecticæ nomen sibi asseruare debebat, vt eruditè ostendunt Noltri Conimbricenses quæst. 4. Proœmial. art. 1. iam tamen vsu receptum est Dialecticæ nomen extendi ad hanc partem topicam, & ad alias, quæ specialiter Logicæ nomine gaudebant.

Hæc duo præstat Logica reliquis scientiis immediatè per proprios actus, habitus enim Logicæ immediatè ad actus aliarum scientiarum non concurrunt, neque ab illis gignitur, sed tantum à Logicæ actibus; omnis enim habitus concurret ad actus similes illis, à quibus producitur. Actus Logicæ directiue concurrere ad actus reliquarum scientiarum constat ex dictis de natura Logicæ docentis, & vtentis, vbi per directionem explicuimus docentis & vtentis Logicæ formalitates. Neque alius est actiue influxus necessarius procedens à Logicæ actibus terminatus ad actus aliarum scientiarum, eo enim ipso, quod per actus Logicæ instruat intellectus de modo, quo faciendum est sciendi instrumentum, oblata materia cuiuscumque scientiæ intellectus facilis est ad instrumenta sciendi conficienda, quæ elicitiue procedant à scientia illa, ad quam spectant, & directiue à Logicæ actibus, vt latius dicebam Punct. 2. n. 17.

Ad definiendum quomodo Logica necessaria sit ad alias scientias supposito modo influendi in illas, sciendum est duplicem esse necessitatem, vnam ad simpliciter operandum, quæ suppleri nullo modo potest, quia necessitate existentia ad operandum requiritur. Alia est necessitas secundum quid vel ad melius, quæ suppleri potest aliquo labore, vt necessitas, quam habeo equi, vel curus ad eundem Matritum. Deinde in memoriam reuocandum est Logicam actualem aliam, quandam esse habituales; Logica actualis dicitur ipse actus Logicæ; habitualis Logica appellatur habitus, à quo procedit actus, qui dicitur Logica actualis. His præmissis nonnullis conclusionibus breuiter rem desino.

PRIMA CONCLUSIO. Quilibet actus sciētificus cuiuslibet scientiæ potest acquiri sine Logica actuali, & sine habituali. Probo hanc conclusionem: priores actus sciētifici Logici acquiruntur sine Logica præcedenti: ergo similiter poterunt alij acquiri, cuiuscumque scientiæ sint. Secundò probatur: possunt præmissæ cuiuscumque conclusionis in particulari, & illarum cum conclusione connexo agnosci sine Logica: ergo potest acquiri scientia actualis sine Logica. Antecedens patet in pluribus illationibus, quas homines nullā instructi scientia conficiunt: rusticus enim dicit, *homo sentit quia est animal*, quæ causalis propositio hanc inuoluit demonstrationem: *Omne animal est sensituum: Homo est animal: ergo homo est sensituum*. Quod si aliæ sunt conclusiones, de quibus non est eadem ratio, quia difficilius illarum connexio cum præmissis agnoscitur, difficultas illa vinci poterit maiori studio, & ingenij perpicacia, quibus sine Logica quisque poterit attingere perfectam notitiam illarum præmissarum cum conclusione. Addo difficultatem vinci non posse Logica actuali, aut habituali, quia non ostendit connexionem præmissarum in particulari cum conclusione, sed docet quomodo disponendæ sunt præmissæ, quæ alijs cum conclusione cognoscantur connexæ, vt ex illis per discursum legitimum inferatur conclusio.

SECUNDA CONCLUSIO: Omnes actus sciētifici omnium scientiarum metaphysicè loquendo possunt acquiri sine Logica. Inferitur hæc conclusio manifestè ex præcedenti, quia si quilibet in particulari potest acquiri, vno acquisito poterit alius, & alius acquiri,

acquisitio enim vnus non impedit alijs acquisitionem imò ad illam adiuvat.

TERTIA CONCLUSIO: Moraliter loquendo implicat quocumque maximo studio, atque labore acquiri simul actus alicuius scientiæ sine Logica actuali. Ratio conclusionis sumenda est ex difficultate obiectorum, quæ maxima est, & ex imbecillitate intellectus, idque experientia suadet, quæ videmus hominem Logicæ ignarum vix vnum, vel alterum discursum rectum efformare, sed quàm plura, quantumuis polleat ingenio, repetitione terminorum inuoluere, & implicare.

QUARTA CONCLUSIO: Non potest aliqua scientia moraliter loquendo secundum omnes sui partes sine Logica habituali acquiri. Ratio est, quia non potest acquiri sine pluribus actibus Logicæ, ex quibus necessariò confurgit habitus, ac proinde habitus Logicæ conueniunt cum actibus aliarum scientiarum medijs actibus Logicæ, à quibus producuntur, quasi quid consequens actus Logicæ, qui aliarum actus antecedunt, & medijs alijs actibus, quos producant tanquam principia mediata, quæ influunt in actus Logicæ immediatè dirigentes aliarum scientiarum actus.

QUINTA CONCLUSIO: Logica actualis requiritur ad facilius, & minori labore, & absque errandi periculo reliquas scientias acquirendas. Probat conclusio ex tertia iam tradita, quia si moraliter non possunt omnes actus scientiæ acquiri sine actibus Logicæ, certum est actus Logicæ conducere ad aliarum scientiarum actus facilius exercendos.

SEXTA CONCLUSIO: Habitus Logicæ iuuat ad reliquas scientias facilius acquirendas. Probat hæc conclusio ex proximè præcedenti: actus Logicæ requiruntur ad alias scientias facilius acquirendas: ergo habitus Logicæ, qui facilitatem inducit ad actus Logicæ prærequisitos, medijs his iuuabit ad illas scientias acquirendas.



## CONTROVERSIA III.

### De Natura vniuersalis.

**P**LVRA, quæ non pauci in hoc loco intempestiue tractant, supponenda sunt, vel legenda Controv. 4. Metaph. vbi per totam latè ago de distinctionum genericibus, & explico quid sit realis distinctio, & distinctio rationis, & quibus entitatibus hæc & illa conueniant.

Definiam ergo omnia, quæ ad præsentem materiã spectant, ex principiis ibi tradendis, quod si tibi videatur necessariò præmittenda ad explicandam Vniuersalis naturam, non tibi difficile erit illorum lectionem præmittere, si adeas Controv. 4. Metaphysicam, quam hoc eodem volumine tibi offero. Ne tamen credas precor, ab illo loco esse extrahenda, & ad præsentem transferenda, quia necessaria sunt ad intelligentiam eorum, de quibus in præsentibus sumus acturi, nihil enim proprius sibi vendicat Metaphysica, quàm quæstiones de distinctionum genericibus, & prædicatis, in quibus singulæ distinctiones repèriantur, & si omnia, quæ ad perfectam intelligentiam eorum, de quibus tractat Logica essent præmittenda, necessariò Metaphysica tota Logicam præiret. Posses forsan damnare me hic agere de natura vniuersalis, cuius essentiam iure optimo Metaphysica speculari debebat. Non inficior vniuersalis naturam à Metaphysica esse inquirendam, verumtamen negabit nemo, nec verbum posse dici de naturis quinque prædicabilium, quæ in Logica necessariò sunt explicandæ, si prius vniuersalis natura nobis non innotescat, quapropter necessarium duxi hanc de vniuersalis natura Controuerfiam præmittere.



## PUNCTUM PRIMVM.

*Quid sit vniuersale.*

**V**niuersale definiuit Aristoteles, 7. Metaph. text. 45. his verbis: Hoc enim dicitur vniuersale, quod in pluribus natura aptum est inesse, & lib. de interpretatione cap. 5. Dico autem vniuersale quod in pluribus predicari natum est, ut homo quidem vniuersalium est, quas definitiones apud eundem Philosophum simul reperies libro de Poster. resolut. cap. 10, text. 25. ex quibus quæ communiter circumscribuntur Authores deduxerunt, vnum aptum esse in multis, & vnum aptum predicari de multis. Ex quibus definitionibus constat requiri ad vniuersale vnitatem, & multiplicabilitatem. Vnitatem exprimit verbum vnum in definitionibus expressum, multiplicabilitas explicatur per aptitudinem ad essendum in multis, aut prædicandum de multis, quia quod est in aliquo, & de illo prædicatur necessarii indentificatur cum ipso: ergo quod est in multis, & prædicatur de multis indentificatur cum multis: ergo fit multiplex: ergo in multa illa diuiditur, & multiplicatur: ergo omne aptum esse multis, & consequenter omne vniuersale debet esse multiplicabile in multa, de quibus possit prædicari.

Ex natura vniuersalis sic explicata, deprehendes hoc nomen vniuersale latius sepe patere vniuersalis naturæ, de qua agimus in præfati. Quædam enim vniuersalia dicuntur propter multitudinem eorum, ad quæ dicunt ordinem; sic principium aliquod ex quo plures possunt inferri conclusiones vniuersale vocamus. Similiter nomen aliquod, quod ad plura singularia significanda potest extendi, vniuersale in significando dicere solemus, & causam, quæ plures effectus specie distinctos sub se continet causam vniuersalem, seu vniuersale in causando solemus appellare. Secundum has acceptiones dicimus hoc principium quodlibet est vel non est, ex quo plures inferuntur conclusiones esse vniuersale, & hoc nomen homo, quo Petrus & Ioannem significare solemus esse vniuersale in significando, quia plura significat, & Solem, à quo plures effectus dependent causam esse vniuersalem; nullum tamen horum vniuersale dici potest secundum acceptionem, de qua in præfati agimus, quia principium illud non est multiplicabile in plura alia principia, neque nomen in plura nomina, neque Sol potens causare plures effectus in plures alios Soles eandem virtutem habentes. Inferitur etiam eandem formam existentem in pluribus subiectis, v.g. eandem animam rationalem existentem in pluribus subiecti partibus vniuersalem non esse, quia in omnibus subiectis est sine sui multiplicatione, eadem enim est rationalis anima existens in capite, & in pede, eademque esset existens in aliis materiis adequatè distinctis.

Ob eandem rationem natura diuina existens in tribus personis vniuersalis non est, quia in omnibus existit sine sui multiplicatione, neque vnquæ verum est dicere, natura diuina in tribus personis fit triplex natura diuina, licet enim persone multiplicantur, natura diuina in ratione naturæ manet simplex, & immultiplicabilis. Neque sufficit naturæ vnâ indentificari cum multis distinctis, quâdo ex hac identitate non inferitur multiplicitas secundum naturam, sicuti contingit in natura diuina, quæ indentificatur cum tribus personis distinctis, in quibus est, nihilominus vniuersalis non est, quia non est verum dicere, natura diuina est multiplex in tribus personis, etiam si verum sit dicere, natura diuina est indentificata cum tribus personis. In creatis autem eo ipso, quod entitas indentificetur multiplici extremo, in se fit multiplex, ideo quotiescumque detur identitas cum multiplici extremo, non deficiet creaturæ multiplicitas requisita ad vniuersalis naturam.

Arguit etiam hæc vniuersalis multiplicabilitas vnitatem, quam secum ferat vniuersale, & ea enim debet esse, quæ cum hac multiplicitate compatiatur, cum enim vniuersale sit vnum aptum esse in multis, quod dicit formaliter vnum aptum multiplicari, necessum est in ipso componi vnitatem, & multiplicabilitatem, licet non componentur vnitatem, & multiplicatio, quia multiplicatio actualis destruit vnitatem: Itaque vniuersale vnum debet esse multiplicabile, sicuti vna quantitas vniuersalis diuisibilis est in duas semi-vnitas, cuius vnitatem componibilis est cum diuisibilitate in duas semi-vnitas, non tamen cum diuisione, quia eo

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ipso quod quantitas vnaris in duas semi-vnitas diuiditur, iam non manet cum vnitatem quantitatis vnaris, quæ destruitur formaliter per ipsam diuisionem. Vnitatem hæc componibilis cum multiplicabilitate indiuidualis vnitatem esse non potest, quia indiuiduum est multiplicabile, impartibile in alia indiuidua cum quibus indentificetur, dicit enim indiuiduatio indistinctionem rei indiuiduæ à se ipsa, & distinctionem à quolibet alio, neque ex eo quod indiuiduum possit multiplicari in suas partes habet vnitatem sufficientem, ut possit dici vniuersale, quia vniuersale dicit multiplicabilitatem respectu plurium, cum quibus adequatè indentificetur, quæ multiplicitas componi nequit cum vnitatem indiuiduali, quam indiuiduum importat.

Exclusa vnitatem indiuiduali à natura vniuersalis tantum illi superest vnitatem specifica, vel generica, cuius beneficio plura adunantur, quæ indiuidualiter distinguuntur, ita tamen ut de illorum quolibet ratio illa vna secundum se totam formaliter sumpta prædicetur modo explicato. Exempli gratia, ex vi vnitatis specificæ indentificatur Petrus, Ioannes, Franciscus, & reliqua indiuidua nature humane, & sunt vnus homo, qui homo quatenus ita indentificatur cum quocumque indiuiduo, ut de illo possit secundum se totum prædicari, & ita in omnia indiuidua multiplicari, ut totum id, quo l formaliter in statu abstractionis dicebat, sit in quolibet indiuiduo, & in ipsis fiat multiplex homo, quorum quilibet dicat totam rationem adequatam, quam dicebat simplex conceptus hominis antequam illius obiectum in ordine ad intellectum, respectu cuius erat vnum, in plures homines multiplicetur. Idem contingit in genere respectu specierum, per vnitatem enim genericam adunantur plures species, v.g. homo, equus, & leo in vno animali, quod postea adequatè de illarum quolibet multiplicatur. Quid verò importet hæc vniuersalis vnitatem dicam Punct. 4. & quomodo totum vniuersale indentificetur adequatè cum quocumque singulari, explicabo Punct. 5. & ex doctrina ibi tradenda constabit non implicare rem vnâ vnitatem formaliter requisitâ ad vniuersale construendum in plura inferiora multiplicari.

## PUNCTUM II.

*An ante operationem intellectus detur vniuersale, seu vnitatem positina multis communis.*

**A**ristoteles 1. Metaph. à textu 25. & 7. Metaphys. à textu 44. & 1. Ethic. cap. 6. adscribit Platoni sententiam quandam asserentem, rerum species, quæ ideæ secundum hanc sententiam appellantur, per se existere, esseque naturam vniuersalem & veluti exemplaria naturam singularium: v.g. hominis essentiam asserere hæc opinio in communi per se existere, quam potissimum hominem appellabat, quia particulares homines, non absolute & simpliciter homines, sed hi homines dicerentur. D. Aug. lib. 83. quæstionum, quæst. 46. Plotinus, Iamblicus Philoponus, Simplicius, & alij Platonici censent Platonem posuisse ideam rerum in mente Dei, non verò extra Deum existentes, falsoque prædictum errorem Aristotelem imposuisse Platoni; vel quia illum non intellexit, vel ut aliquid Magistro adscriberet, quod ab ipso posset impugnari; vel denum sententiam istam ab Aristotele non impugnari ut traditam à Platone, sed ut intellectam à Xenocrate & aliis Philosophis illius temporis. Philosophum Platonis mentem non percalluisse, difficile credam, cum illum viginti annis docentem audierit, quibus milles eandem sententiam à Platone tradidit, & explicatam accipere necessum fuit, fidemque superare videtur post tam diuturnam eiusdem doctrinæ explicationem, nunquam viuendo & perspicaci Philosophi intellectu fuisse perceptam. Platonis sententiam ut ab ipso traditam, & non ut ab aliis Philosophis intellectam ab Aristotele fuisse impugnatum, suadet ex eodem Philosopho 1. Ethic. cap. 6. ubi de hac re loquens ingenue fatetur se veritatis causa, etiam amicos (Platonem intelligebat) deserere. Denum Philosophum sententiam hanc Magistro non imposuisse licet coniectari, quia nimia esset impudentia, si præceptorem suum in re grauissima, & omnibus Platonis auditoribus



ribus notā voluisset calumniare. Tandem illa sententia non obscurē legitur apud Platonem in Dialoگو, quem *Parmenidem* inscripsit, vbi expressē docet ideas non esse notiones, sed notionum obiecta, neque in animis existere, sed tanquam exemplaria in natura consistere. Accedit quod Plato tria posuit rerum perpetua principia, Deum, Ideam, & Materiam. At si Idea esset in mente Dei non esset distinctum principium à Deo. His non obstantibus adhuc in re leuis momenti, quæ minimè ad doctrinam spectat, nihil contra Dñi Augustini mentem asserere audeo, à quo neque grauioribus aliis fundamentis recederem. Neque de hac re definienda quidquam curo, lege si vis Patres Conimbr. in præfatione Porphyrij quæst. 1. art. 3. qui eruditè referunt omnes, qui ab hac calumnia Platonem liberare contendunt.

2 Cuiuscumque sit relata sententia, falsissima est & absurda, quod sic ostendo. Nihil reperitur in rerum natura, quod non habeat esse singulare, & determinatum, quod implicat esse vniuersale, quia quiddquid habet esse singulare, & determinatum non est indifferens ad plura, quod est de conceptu quidditatiuo vniuersalis, sed contractum & determinatum ad vnum, quod est de ratione quidditatiua singularis, & essentialiter oppositum cum essentia vniuersalis. Quod autem habeat esse determinatum, & singulare quiddquid in rerum natura existit, sic euincitur. Quidquid est in rerum natura præter Deum habet esse ab alio: ergo productum per aliquam actionem à causa prima, vel secundā adiutā à prima: sed omnis actio versatur circa rem determinatam, nam si causa aliquid producit, producit rem distinctam ab entitate, quæ producta non est, & postea producit: ergo si distinguitur, vnitatem aliquam, & determinationem debet in se habere. Secundò, ratio illa separata vel distinguitur, vel non distinguitur à prædicatis, quæ sunt in indiuiduo. Si non distinguitur: ergo est singularis, & distincta in omnibus indiuiduis, sicuti sunt horum indiuiduales differentie: si distinguitur, distinguitur tanquam res à re vel modo superaddito, & indifferens non erit vt sit in indiuiduis, nisi forsan eo modo, quo materia prima est indifferens vt sit sub pluribus formis, quas simul potest recipere, sicuti de facto accidentales recipit, quæ distinctio est rei singularis à pluribus aliis singularibus, quibus potest produci: ergo non nisi per insignem chimeram fingi potest hæc vniuersalis idea extra intellectum in rerum natura existens. Me vide Controv. 4. Metaphysicæ, Punct. 3. vbi ex instituto probo omnia prædicata Metaphysica in indiuiduis reperta realiter identificari cum differentia indiuiduali, ex qua doctrina hæc vniuersalis idea & quælibet alia natura ante intellectum vniuersalis longè abigetur.

3 Commune est inter Thomistas, & alios quàm plures autores docuisse Scotum in 2. distinct. 3. quæstion. 1. & 7. Metaphysicæ quæst. 18. dari à parte rei naturas, quæ denominantur vniuersales, & formam illam à qua actus, & formaliter vniuersales denominantur. Horum fundamentum est Scotum concessisse naturam communem omnibus indiuiduis ex natura rei ante omnem intellectus operationem formaliter distinctam à differentia indiuidualibus, habentemque vnitatem formalem prædictæ distinctione à numerica distinctam, multique communem, per quam vnitatem tanquam per vniuersalitatem, naturam formaliter vniuersalem constitui necesse est. Verumtamen Merinero nobilis inter omnes recentes Scoti discipulos, & sedulus illius doctrinæ inuestigator capit. 1. de vniuersalibus disput. 2. quæstion. 1. acriter inuehitur in illos, qui opinionem hanc Scoti adscribunt, quam subtilem Doctorem nunquam defendisse, potius oppositam docuisse, meâ quidem sententiâ efficaciter probat testimoniis ex ipso Scoto deductis, quæ ad verbum refert loco citato. Fundamentum, quo sententiam istam Thomistæ aliique plures Scoti tribuerunt, est, dedisse Scotum naturis quatenus est ex se secundum suum esse quidditatiuum communem quandam, seu indifferentiam ad plura indiuidua, quam negatiuam esse assererat Scotus, & ideo insufficientem ad vniuersale constituendum, quod formaliter dicit positiuam communem; Thomistæ verò existimauerunt ab Scoto communem positiuam admitti, & ideo asseruere ab ipso concedi vniuersalitatem, seu formam, per quam constituitur vniuersale ante omnem intellectus operationem. Quid

verò de hac vniuersalitate negatiua sentiendum sit, dicam Punct. 3.

P. Fonseca 5. Metaph. cap. 78. q. 3. duplicem statum in natura meditat, vtrumque ante omnem intellectus operationem. Primum, in quo est prior singularitate, ad quam contrahitur, & indifferens vt ad hanc vel illam singularitatem contrahatur. Posteriores, in quo est iam ad talem singularitatem contracta. In hoc posteriori statu nature nullam vniuersalitatem competere affirmat, in priori verò eandem naturam vniuersalem esse dicit, quia natura, quæ est in Petro, vt est prior singularitate, est indifferens, & indeterminata ad omnia indiuidua, & quia à parte rei est prior singularitate, à parte rei habet hanc indifferentiam, & à parte rei est vniuersalis, habet enim vnitatem, & aptitudinem ad multa, quibus natura vniuersalis formaliter constituitur. Sententiam Fonseca defendit etiam Sotinas 7. Metaph. q. 4.

5 Sententia ista iuxta nostra principia, quæ nullā admittit distinctionem inter gradus superiores, & differentias indiuiduales, nullatenus potest subsistere, quia vbi non est distinctio non potest esse contractio, neque indifferentia ad contractionem, nihil enim per se ipsum contrahitur, neque ad se ipsum est indifferens: sed natura humana, quæ est in Petro, nullam distinctionem habet ante operationem intellectus respectu differentie indiuidualis, cum qua coniungitur: ergo nunquam potuit esse indifferens, vt contraheretur per talem differentiam, vel per aliam ab ipsa distinctam: ergo in nullo priori fuit vniuersalis. Secundò admissa distinctione formali ex natura rei inter prædicata superiora, & differentias indiuiduales, Fonseca sententiam impugno. Etiam si prædicata superiora ex natura rei formaliter distinguantur à differentia indiuiduali, nihilominus realiter cum illa identificantur: Sed illa, quæ realiter identificantur, etiam si formaliter ex natura rei sint distincta, neque antecedenter de potentia Dei aboluta separari possunt: ergo nullus fuit status, in quo prædicata superiora, quæ sunt in Petro contracta per hanc differentiam indiuidualem, haberent indifferentiam, vt à tali differentia separarentur: ergo in nullo statu habuerunt indifferentiam, vt per hanc, vel per illam differentiam indiuidualem contraherentur: ergo in nullo statu præcedente operationem nostri intellectus habuerunt hanc indifferentiam. Prædicata superiora identificari realiter cum differentia indiuidualibus concedit Fonseca, & propugnat Scotus cum omnibus, qui distinctionem formalem ex natura rei defendunt. Illa, quæ realiter identificantur, non posse realiter separari, etiam si ex natura rei formaliter distinguantur, concedunt omnes nemine dempto, & per se notum est, si enim separatio cum identitate componeretur, possemus dicere, Petrum modò existentem habere identitatem cum Ioanne, qui nondum existit, & non distingui ab illo realiter, sed tantum formaliter ex natura rei.

6 Dices naturam esse indifferentem, vt contrahatur per hanc, vel illam indiuiduationem in illo priori, in quo est indifferens, vt producat, & non producat, & in illo priori, in quo est Deus indifferens ad producendum Petrum, vel Paulum, quia in illo priori Deus est indifferens, vt producat naturam humanam in Petro, vel in Paulo. Respondeo, naturam nunquam habere physicam indifferentiam, vt producat, vel non producat, quia vt ostendam Controv. 2. de anima Punct. 1. antequam res formaliter sit existens, nihil illius est, neque possibilitas rei importat aliquid distinctum formaliter ex parte obiecti ab ipsa re existente, ac proinde hæc differentia ad existendum tantum est obiectiua, quia id, quod physicè non est, non potest esse physicè indifferens: sed entitas antequam sit existens, & producta, physicè non est: ergo non potest esse physicè indifferens: ergo tantum habet obiectiuam indifferentiam. De hoc latius loco citato. Respondeo secundò, admissa hac indifferentia ad existendum, & non existendum, adhuc naturam nunquam futuram esse indifferentem, vt contraheretur per differentias indiuiduales, quia in illo statu, in quo natura consideretur eo modo, quo esset in illo esset contracta cum propriis differentia indiuidualibus, & eandem indifferentiam, quam haberet natura ad existendum, & non existendum, haberet differentia indiuiduales cum illa identificata, neque vnquam esset indifferens ad existendum cum his differentia indiuidualibus, vel cum illis, sed eo ipso



ipso, quod existeret hæc natura, quæ modò in me contracta dicitur, debuit existere cum meis differentiis individualibus, & eo ipso, quod eadem natura possibilis esset, & indifferens ad existendum, eandem possibilitatem, & indifferenciam haberet mea differentia individualis, ita ut nullo statu præcindibilis esset ante intellectus operationem naturæ, quæ modò est in me, à mea differentia individuali in eodem statu eadem ratione se habente.

Ad illud quod dicitur, videlicet Deum esse indifferentem ad producendam naturam in Petro, vel in Paulo, respondeo Deum esse indifferentem ad producendum Petrum, vel Paulum, & consequenter naturam Petri, vel naturam Pauli; non tamen esse indifferentem ad producendam naturam eandem realiter in Petro, vel in Paulo, quia eo ipso, quod produceret Petrum, illum produceret cum tali natura, quam non posset cum aliis differentiis individualibus, neque in alio à Petro producere. Ex quo inferitur Deum esse indifferentem ad producendam naturam, quam voluerit ex pluribus naturis, quamlibet in illo individuo, cum quo est identificata, non verò ad producendam eandem naturam in hoc, vel in illo individuo, ac proinde nullam dari naturam ante operationem intellectus indifferentem ad plura individua, quam dari necessum erat, ut daretur ante operationem intellectus naturæ universalis.

Age iam, admitto, quod falsissimum est, dari naturam ante omnem operationem intellectus indifferentem, ut contraheretur per hanc, vel per illam contractionem individualem, ita ut natura Petri, quæ per Petreitatem fuit contracta, posset contrahi per per Pauleitatem, adhuc affimo naturam illam, sic indifferentem ad plura individua universalem non esse futuram. Ratio est: natura illa non esset indifferens ad plura individua, ita ut posset simul contrahi ad plura simultate se tenente ex parte actus, sed tantum esset indifferens ad plures contractiones sub disjunctione futuræ, hoc est, ut contraheretur per hanc, vel per illam non verò per hanc, & per illam contractionem inter se coexistentes, & simul eandem naturam actu contrahentes, quia eadem natura non potest simul duo individua realiter distincta constituere, quia constituit individua per contractionem identitatis cum differentiis individualibus, & licet daretur naturam indifferentem, ut contraheretur per identitatem ad hanc, vel illas differentias individuales inter se distinctas, non tamen concedenda esset natura potens contrahi simul per identitatem ad differentias inter se distinctas, in quibus multiplicatur: implicat enim eandem rem contrahi per identitatem ad res oppositas, in quibus fiat realiter multiplex, quæ antea realiter fuerat una simplex entitas, quod per se notum est, quia etiam si natura divina contrahatur per identitatem ad personalitates distinctas in illis non multiplicatur, sed semper manet eadem simplex natura: ergo adhuc entitas illa contrahibilis per plures identitates sub disjunctione non esset universalis. Probo consequentiam de ratione quidditativa Universalis est, ut in inferioribus multiplicetur, & ut simul contrahatur ad plura individua, ut patet in hoc universali homo, quod non tantum est indifferens, ut consideretur in Petro, vel in Paulo, & ut prædicetur de hoc, vel de illo; sed etiam ut consideretur in Petro, & in Paulo, & ut prædicetur de utroque, & ut simul dicamus Petrus est homo; Paulus est homo. Sed natura illa non haberet hanc multiplicabilitatem: ergo natura illa non esset universalis.

Ex his infero, quod etiam si daretur distinctio ex natura rei formalis inter prædicata superiora, & inferiora, quæ sunt in Petro, non ideo dicendum esse dari naturam aliquam universalem; quia non ideo daretur una natura multiplicabilis in plures naturas, quia natura humana, quæ esset in Petro distincta formaliter ex natura rei à differentia individuali Petri, non esset realiter eadem cum natura humana Pauli, quæ esset in Paulo distincta formaliter ex natura rei à differentia individuali; quia identitates reales, quas haberent hæc naturæ cum differentiis individualibus, ratione quarum multiplicantur, impediunt naturas inter se identificari, & fieri unam naturam. Quod si natura Petri, & natura Pauli esset eadem natura identificata cum pluribus differentiis individualibus, ratione quarum in ratione naturæ non multiplicaretur, adhuc universalis non esset, sicuti universalis non est natura divina, etiam si identificetur cum tribus personalitatibus distinctis, quia non fit multiplex in ratione naturæ, etiam si cum multiplici

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

personalitate identificetur. Daretur autem ante operationem intellectus universalis natura, si daretur natura, quæ ante operationem intellectus esset una, & ante operationem identificaretur cum differentiis individualibus inter se distinctis, ratione quarum eademmet natura, quæ fuerat una fieret plures naturæ inter se distinctæ, quod fieri manifestam inuoluit repugnantiam.

Standum est communi sententiæ, quam defendunt D. Thomas 1. part. quest. 85. art. 12. & quest. 39. art. 7. & ferè omnes Doctores, non dari ante operationem intellectus naturam universalem, neque unitatem aliquam multis communem minorem unitate numerica, aut ab illa distinctam. Ratio petenda est ex identitate differentiarum individualium cum omnibus prædicatis superioribus, quæ in eodè individuo reperiuntur, quam modò suppono: quod si illam à me supponi non patiaris, adito Punct. 3. Controvers. 4. Metaphysicæ, ubi illam latè probo. Ex hac identitate differentiarum individualium cum prædicatis superioribus efficaciter desumuntur argumenta ad probandam sententiam iam traditam. Primum est: Differentia individualis Petri identificatur cum natura Petri: sed differentia individualis Petri non est communis Iohanni, neque habet unitatem communem Iohanni, aut distinctam ab unitate numerica: ergo natura humana Petri non est communis Iohanni, neque habet unitatem communem Iohanni, aut distinctam à numerica. Maiorem statuius modò, probandam posita loco citato: Minorem admittunt omnes: consequentia est legitima, quam sic corrobore. Ex duabus entitatibus identificatis realiter implicat aliquid realiter uni convenire, quod non conveniat realiter alteri, aliàs idem conveniret, & non conveniret eidem entitati: sed natura humana quæ est in Petro, & differentia individuales Petri identificantur: ergo implicat aliquid convenire naturæ humanæ, quæ est in Petro, quod non conveniat differentiis individualibus ipsius Petri: sed differentiis individualibus Petri non convenit esse communes Iohanni, neque habent aliquam unitatem communem Iohanni, aut minorem unitate numerica: ergo neque aliquid horum convenit naturæ humanæ, quæ est in Petro.

Secundò: Si natura eadem esset in multis individuis, & multiplicata ratione differentiarum individualium, esset eadem, & non esset eadem: Esset eadem, ut supponitur; non esset eadem, quia esset multiplex, ubi autem intercedit multiplicitas, distinctionem identitati contradictoriè oppositam intercedere necesse est, multiplicitas enim consurgit ex rebus distinctis, distinctionem autem opponi contradictoriè cum identitate certum est, quia etiam si dicatur unitatem & distinctionem in rebus positivis esse entitates positivas, quæ immediatè non opponuntur contradictoriè, quia oppositio contradictoria semper versatur inter duo extrema, quorum unum est positivum, & alterum negativum, nihilominus nullus negat distinctionem inper duas entitates habere sibi essentialiter coniunctam negationem identitatis inter entitates distinctas, quæ contradictoriè opponitur identitati ipsarum, & identitatem habere essentialiter coniunctam negationem distinctionis inter extrema identificata contradictoriè oppositam distinctioni: inuolunt ergo manifestam contradictionem identitatis, & distinctio respectu eorumdem extremorum: ergo eandem inuolunt identitatem, & multiplicitas, quæ essentialiter includit distinctionem. Quod si neges naturam identificatam multiplici differentia individuali multiplicem esse, & affirmes adhuc supposita hac identitate non esse multiplicem, sed simplicem, fingis in creaturis aliud mysterium simile Trinitatis mysterio, in quo reperiuntur differentie individuales identificate uni tertio, & non identificate inter se, & naturam identificatam cum pluribus differentiis individualibus inter se distinctis, quia ipsa sit multiplex, sed tantum una natura, quod in creatis admitti, plus est quàm chimæricum. Deinde hoc figmento admissio adhuc non daretur natura universalis, quia, ut supra dicebam, universale debet esse unum in se, & multiplicatum in inferioribus, & non sufficit identificari cum multiplici inferiori, si secundum rationem communem non multiplicatur, ratione cuius natura divina universalis non dicitur, sed una singularis natura, etiam si identificetur cum tribus subsistentiis distinctis, quia ex vi huius identitatis non fit multiplex in ratione naturæ, neque dicitur triplex natura, sed una triplici subsistentia identificata. Sic contingeret na-

G 2



tura humana, quæ vniuersalis non esset, sed particularis, si eadem absque sui multiplicatione in ratione naturæ identificaretur cum pluribus differentiis individualibus inter se distinctis.

12 Posses respondere contradictionem inuoluere naturam simul esse vnā, & multiplicem, quod non requiritur ad vniuersalem, ad quod sufficit naturam, quæ antea fuerat vna, fieri multiplicem illius vnitatem destructā, quod contingit in vniuersali intentionali, quod communis sententia constituit, cuius vnitatis deperditur cum ad plura inferiora contrahitur, huiusmodi enim contractio est diuisio vnus in plura, posita autem diuisione, ex qua resultat pluralitas, vnitatem diuisi destrui necesse est. Non tamen similem contradictionem reperiri in eo, quod natura quæ antea fuerat vna, postea multiplex fiat, quod sufficit ad vniuersalem constituendum. Respondeo verum esse sufficere ad vniuersalem constituendum naturam, quæ antea fuerat vna, fieri plures per identitatem adæquatam totius diuisi, seu totius naturæ cum quolibet membro diuisi, seu cum quolibet inferiori, ad quod contrahitur, in hoc tamen eandem contradictionem reperiri, ac in eo, quod simul sit eadem natura simplex, & multiplex, quia cum simplicitas & multiplicitas rebus per se ipsas conueniant, omni tempore, eodem modo conueniunt, & nequit eadem entitas modò esse simplex, & postea multiplex, quia eo ipso quod sit eadem, manet cum eadem simplicitate, quam habebat, ac proinde, si res quæ modò est simplex, postea fieret multiplex, retineret simplicitatem, quam haberet, & acquireret multiplicitem, ac proinde esset simplex, & multiplex. Idem contingit in omnibus predicatis inter se repugnantibus, quæ rebus per se ipsas conueniunt, sicuti esse hominem, & esse equum, eadem enim repugnantia est in eo, quod eadem entitas, quæ hodie est homo, cras sit equus, & in eo quod simul sit homo, & equus, & hæc ex illa necessario inferitur: quod si de entitate de qua est verum dicere modò, hodie est homo, esset verum dicere cras, erit equus, cras verum esset dicere, modò hæc entitas est homo, & equus. Deinde nullus potest assignari status ante operationem intellectus, in quo natura, quæ contracta ad plures differentias individuales est multiplex, præcesserit ut vna, cum non præcesserit ante hanc contractionem, quæ in quocumque individuo non distinguitur ab ipsa natura, quæ est contracta, quia naturam esse contractam ad differentiam individualement, nihil aliud est, quam esse identificatam cum differentia individuali, esse autem identificatam extremum non distinguitur ab ipso extremo, quod dicitur identificatum.

## PUNCTUM III.

An detur ante operationem intellectus vnitatis negatiua multis communis.

13 In puncto præcedenti subtiliter Doctorem nihil contra Angelicum docuisse de existentia vniuersalitatis ante operationem intellectus, quam nullatenus admisit Scotus, ut ex Magistri mente tradunt illius discipuli, & ex illius testimoniis clarè constat. Tam verò in præfati difficultate præcipuum Angelici Doctoris discipulum, Caietanum inquam, Scoti vestigia sequentem video, Afferit Caietanus cap. 4. de ente & essentia quæst. 4. cum Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. & 7. Metaph. quæst. 18. dari in natura vnitatem quandam communem, non positivam, in qua vniuersalitas consistit, sed tantum negatiuam, quam sic explicatam inuenio apud Scotum, Scoti discipulos, & Caietanum. Duplex communis vnitatis ab his authoribus distinguitur: quædam positiva, alia negatiua. Vnitatis positiva communis illa dicitur, quam habet natura ita indeterminata ad plura individua per separationem, & abstractionem à differentiis individualibus, ut eademmet sit proximè potens ut de illis prædicetur. Vnitatis communis negatiua est illa, quam habet natura, ex eo præcisè quod singularis non sit, quia natura communis negatiue nihil aliud est, quam natura non singularis. Ita has vnitates ex Scoto explicant Rada 1. tom. Controversiarum, Controversia 3. art. 1. & Merinero cap. 1. de vniuersalibus disp. 1. quæst. 3. sect. 2. Eadem ratione distinctionem hanc explicat Caietanus loco citato ubi afferit naturam humanam Petri distingui à natura humana Pauli

non ratione naturarum, quæ secundum se sunt vnum quid negatiuum, quatenus ex se non dicunt distinctionem, sed ratione differentiarum individualium cum quibus identificantur. Addit natura Petri ex se non repugnare esse in Ioanne, licet non habeat positivam aptitudinem ut sit in illo.

Hanc vnitatem negatiuam reicit communis Doctorum sententia, & illam ego eadem ratione impugno, quæ vnitatem positivam impugnauit. Hæc vnitatis negatiua non conuenit differentiæ individuali Petri: ergo non conuenit naturæ identificatæ cum eadem differentia individuali: implicat enim aliquid siue positivum, siue negatiuum à parte rei independentem à nostro intellectu competere alicui formalitati, & non competere alteri, cum qua formalitas illa est identificata. Alio modo idem argumentum conficio. Differentia individualis Petri ex se habet positivam repugnantiam ut sit in Ioanne: ergo natura Petri habet eandem positivam repugnantiam ut sit in Ioanne. Probanda est consequentia supposita identitate inter naturam, & differentiam individualement ex principio sæpe repetito, videlicet, debere affirmari, & negari de quacumque formalitate, quicquid de alia cum ipsa realiter identificata affirmatur vel negatur, tanquam quid illi conueniens independentem à nostro intellectu.

Vigeo: Natura negatiue vna est natura non singularis, ut volunt, qui hanc vnitatem negatiuam defendunt, sed ante operationem intellectus non datur natura ex se non singularis, neque negatiue, neque præcisè: ergo ante operationem intellectus non datur natura negatiue communis. Non dari naturam non singularem, hoc est, priuatam singularitatem, quæ possit intelligi carens singularitate, sicuti aer obscurus intelligitur carens luce, certum est quia nihil potest positivè intelligi carens illo, cum quo est identificatum, & cum quo per se ipsum est plusquam connexum, siquidem est idemmet. Non posse dari naturam præcisè non singularem, ex eo probatur, quia in his, quæ realiter identificantur, non nisi intellectus beneficio potest reperiri præcisio, & adhuc intellectus acie formalitates identificatas non posse ex parte obiecti præcindi, fert grauium Doctorum sententia, quam ut veriorē amplector Controversia 4. Metaph. Punct. 8.

Demum apud me insignis contradictio in his terminis reperitur. Natura ante operationem intellectus non est singularis ex se, sed ratione differentiarum, cum quibus identificatur, quia ante operationem intellectus nihil magis ex se potest conuenire rei, quam illud quod conuenit ratione formalitatis, cum qua est identificata, seu quæ est idem cum ipsa; quid enim magis ex se realiter, & physicè potest conuenire entitati, quam illud quod physicè, & realiter per se ipsum illi competit? Dices magis ex se formalitati aliquid conuenire, quod ratione eiusdem formalitatis conuenit, quam id quod illi conuenit ratione alijs formalitatis, cum qua identificatur, v.g. magis ex se conuenire animali identificato cum rationali esse principium sentiendi, quod conuenit ratione eiusdem formalitatis animalis, quam esse principium ratiocinandi, quod illi conuenit non ratione formalitatis animalis, sed ratione formalitatis rationalis, quæ identificatur cum formalitate animalis. Difficulus iste fessellit auctores oppositæ sententiæ, qui asserunt naturam hominis esse communem negatiue, quia non ex se formaliter ut natura hominis est, habet non esse communicabilem Petro, & Ioanni, sicut habet esse principium discurrendi, sed ratione differentie individualis, cum qua coniungitur.

Totam prædictam doctrinam non graui operâ facile peruerto. In re physicè eadem ante operationem intellectus non est hæc, & illa formalitas, quia has tantum intellectus acies partitur in obiecto physicè, & realiter impartibili, & omnino simplici, in quo non reperitur vnum, & aliud physicè distinctum: ergo ante intellectus operationem non potest aliquid alicui entitati conuenire ratione vnus formalitatis & non ratione alterius cum illa identificata, cum ante operationem intellectus non sit vna formalitas, & altera, sed simplex quædam, & indiuisibilis entitas, ratione cuius conueniunt omnia, & quæ entitati conueniunt intrinsicè per se ipsam, seu non per aliquid ab illa distinctum: ergo ante operationem intellectus non possunt reperiri in Petro natura, & differentia individualis quatenus sunt vna formalitas, & altera, sed quatenus sunt vna simplex entitas, neque potest conuenire incommunicabilitas positivæ naturæ Petri magis ratione differentie individualis,



indiuidualis, quam ratione naturæ, cum inter naturam, & differentiam indiuidualem nulla reperiatur præcisio ante intellectum, qui in entitate simplici duas partitur formalitates, & ex illis proprietatibus, quæ indiuidualiter, realiter, & physice eidem entitati simplici conueniunt, quasdam formaliter attribuit huic formalitati, & alias alteri formalitati accommodat.

Exemplum quod adducitur de sensatione, quæ homini conuenire dicitur quatenus animal est, & non quatenus est rationalis, aduersariorū sententiam non probat, sed meam; quia sensatio procedens ab homine, seu homini conueniens, seclusa intellectus præcisione non magis prouenit à formalitate animalis, quam à formalitate rationalis, sed indiuidualiter à toto homine physice indiuidualiter procedit, & homini secundum se totum sensatio conuenit, quia à parte rei non datur formalitas animalis à rationali distincta, sed tantum datur simplex homo, quem intellectus diuidit in formalitatem animalis, & in formalitatem rationalis, & cum dicimus, *homo ut animal sentit*, & non *ut rationale*, illud ut explicat formalitatem, cui intellectus specialiter sensationem attribuit, non illam à qua physice specialiter procedit, æque enim procedit sensatio à prædicato animalis, & à prædicato rationalis in homine, & hinc in equo identificato cum animali. Eadem profus ratione contingit in incommunicabilitate indiuiduali, quam intellectus differentiis indiuidualibus attribuit, & non naturæ, licet in re indiuiduali, v.g. Petrus, secundum se totum indiuidualiter sumptum sit Ioanni incommunicabile, ita ut nihil sit in Petro, quod ex se physice non repugnet Ioanni communicari, cum physice non sit in Petro natura, ut distincta à differentia indiuiduali, quæ possit dici ex se communicabilis, neque differentia indiuidualis ut distincta à natura, cui ex se specialiter conueniat incommunicabilitas, sed simplicissima entitas Petri secundum se totam à Ioanne distinctam.

Obiicies: De conceptu quidditatio, & essentiali naturæ non est singularitas: ergo de conceptu essentiali naturæ non est incommunicabilitas, sed distinctio ab alio, quæ conuenit naturæ & indiuiduali ratione singularitatis. Respondeo distinguendo primum antecedens. De conceptu quidditatio naturæ non est singularitas, sumpta naturæ metaphysice in ordine ad nostros conceptus, concedo antecedens: sumpta naturæ physice, & quatenus est in se sine respectu ad nostros conceptus, nego antecedens. Quia physice æque est de essentia Petri naturæ & differentia indiuidualis, imò physice loquendo non est natura, & differentia indiuidualis quatenus significatur per duos conceptus, sed simplex entitas quam intellectus partitur in duos conceptus, quorum vnum appellat naturam, & instar alicuius communis multis considerat, & aliud vocat differentiam indiuidualem, cui incommunicabilitatem attribuit.

Obiicies secundò: Natura, quæ est in Petro quatenus est ex se, non est incommunicabilis: ergo habet unitatem communem negatiuam, quæ consistit in negatione incommunicabilitatis, seu singularitatis. Probat antecedens si natura Petri esset incommunicabilis, non posset ab intellectu cognosci ut communicabilis, quia nulla entitas apprehendi potest cum prædicato opposito illi, quo gaudeat natura Petri præcisà à differentia apprehenditur ab intellectu ut communicabilis: ergo ex se non est incommunicabilis. In eo clare contra illationis vim. In sententia horum authorum natura non habet communicabilitatem positiuam, sed tantum communicabilitatem negatiuam, & negationem communicabilitatis positivæ, & intellectus apprehendit in natura communicabilitatem positiuam: ergo intellectus apprehendit in natura communicabilitatem positiuam contradictoriè oppositam cum negatione communicabilitatis positivæ: ergo etiam si natura habeat incommunicabilitatem positiuam poterit intellectus apprehendere in natura positiuam communicabilitatem, non enim potest reperiri maior repugnantia in eo, quod natura apprehendatur cum aliquo prædicato contrario, quam cum contradictorio illi quod nature inest. Ad argumentum respondeo naturam ex se esse incommunicabilem, & intellectum vi abstractionis posse illam apprehendere sine incommunicabilitate, præcisà incommunicabilitate ex parte obiecti, si præcisiones obiectivæ possibiles sunt, vel tantum ex parte actus, si tantum formales præcisiones sunt admittendæ, cui apprehensioni nulla subest falsitas, quia abstractionem non est mendam.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

cium, ex vi enim illius cognitionis non dicit intellectus naturam non esse positivè incommunicabilem, sed præcisè incommunicabilitatem omittit, & de illa nihil agit. Potest intellectus duplici modo naturam positivè communicabilem apprehendere. Primò non apprehendo positivam communicabilitatem ex parte obiecti, sed tantum obiectum ipsum incommunicabile, & incommunicabilitatem ipsam per quandam cognitionem, ita confusam, ut obiectum instar communicabilis appareat, & extrinsecè per ipsam cognitionem communicabile denominetur, ita ut cognitio non tangat communicabilitatem ut propriū obiectum, sed ipsa formaliter sit extrinsecè obiecti communicabilitas, in qua cognitione nulla falsitas reperitur, quia ex parte obiecti nihil apparet, quod in illo non sit. Alio modo potest apprehendi communicabilitas positiva tenens se ex parte cognitionis, & formaliter ut inherens naturæ cognitionem terminans, & tunc illa communicabilitas erit facta ab intellectu, & naturæ tantum intellectus fictione conueniens, & illa cognitio si tantum sit apprehensiva, falsitatem habebit, quam dicam Contr. 6. de anima Punct. 4. posse competere apprehensioni complexæ, quod si iudicativa fuerit absolutè & simpliciter erit iudicium falsum.

## PUNCTUM IV.

## De unitate vniuersalis.

## §. I.

## Nonnullæ opinioniones reiiciuntur.

Probaui non dari vniuersale ante operationem intellectus; insuper certum est intellectum apprehendere naturas vniuersales, & communes pluribus inferioribus, ut patet in conceptu, quo apprehenditur homo non apprehensis differentiis indiuidualibus Petri, aut Ioannis, seu nullo indiuiduali apprehenso, ex vi cuius obiectum indiuiduali representatur, & absque vlla distinctione, & potest contrahi in indiuidualia, ita ut illorum quolibet appareat tota formalis ratio diuisi, quod contingit, quando postquam apprehendi hominem in communi dico, *Petrus est homo, Ioannes est homo*, per quas prædicationes traho totam rationem hominis, quæ antea apprehendebatur præcisà ab indiuiduali, ad Petrum, & totam ad Ioannem.

Ex his necessariò inferitur naturam ut vniuersalem, seu vniuersalitatem fieri necessariò ab intellectu, quia per intellectus actum fingitur ens rationis, in quo vniuersalitas contingat, vel in eodem formaliter consistit, hæc est enim legitima consequentia: ablata cognitione non datur vniuersalitas, posita cognitione absque eo, quod aliquid aliud præsupponatur, vel comitetur cognitionem, datur vniuersalitas: ergo vniuersalitas consistit in ipsa cognitione, vel ab ipsa cognitione procedit. Scio dixisse nonnullos Thomistas vniuersale fieri ab intellectu agente, & consistere vniuersalitatem in specie impressa. Verumtamen audiendi non sunt, vel intelligendi de vniuersalitate radicali, & fundamentali, seu remotà, hoc est, de causa efficiente cognitionis, per quam fit vniuersale, quæ est species impressa, à qua producitur expressa, quam fit vniuersale. Neque in alio sensu speciem veritatis potest habere hæc opinio, quia species impressa non est formalis representatio obiecti, neque per illam obiectum representatur: ergo neque per illam formaliter representatur, aut cognoscitur obiectum ut vniuersale, neque ut singulare. Quod vulgò dicitur intellectum agentem per speciem impressam abstrahere obiectum à phantasmatibus, id solum importat speciem impressam produci ab intellectu agenti, quæ adiutus intellectus possit sine concursu immediato phantasmatum obiectum cognoscere actu immateriali seu spirituali, & modo immateriali, hoc est, præscindendo inter prædicata, quæ nequeunt præscindi actu potentie materialis.

Hæc doctrinā supposita est modò difficultas, quomodo intellectus per proprium actum vniuersale conficiat. P. Hurtad. disp. 5. Metaph. sect. 11. & P. Arriaga disp. 6. Logice sect. 1. referunt sententiam cuiusdam recentioris afferentis obiectum immediatum actus intellectus, per quem fit, & apprehenditur vniuersale, esse idolum quoddam, seu simulacrum mente confectum, quod in esse apprehensio



henso, & cognito habeat quiddam obiectū realiter habet: Ita vt quando ego concipio hominem meus conceptus formalis immediatē attingat simulacrum illud à me confictum, in quo ego considero prædicata similia his quæ realiter video in Petro, aut in Ioanne, qui remotè cognoscuntur in illo idolo, quatenus intellectus noster ex cognitione illius ducitur ad cognoscendum Petrum, & Ioannem. In hoc ergo idolo confictio prædicti recentiores affirmant consistere vniuersale, ipsūque idolum reperiri in Petro & in Paulo non intrinsecè, sed extrinsecè, & intentionaliter per similitudinem prototypi cum exemplari, ea ratione, quæ Cæsaris imago reperitur in ipso Cæsare.

4 Recentes alij ita se his simulacris dedere, vt omnia difficilia, quæ in Dialectica, & Metaphysica occurrunt, illis componere præsumant. Affirmant à nostro intellectu spectra quædam produci, quæ substituuntur loco obiectorum, & in illis tanquam in imaginibus ista cognosci, ita vt eatenus dicatur intellectus cognoscere animal, quatenus speculari spectrum quoddam, quod loco animalis substituitur, & eatenus dicatur rationale percipere, quatenus percipit spectrum aliud ab ipso productum, & subrogatum loco rationalis.

5 Intellectum nostrum per speciem expressam, seu cognitionem immediatē in se ipsis obiecta cognoscere, nullo idolo producto, quod immediatē attingat, seu in quo cognoscatur obiectum, tanquam in ipsius substituto probo Controu. 5. de anima Punct. 1. ad finem; ex his autem quæ ad illa impugnanda adduco, vnum præ aliis mihi magni momenti est, contra modum hæc spectra defendendi, quem secundo loco retuli. Videlicet sequi per actus supernaturales fidei, & charitatis non attingi à nobis Deum in se ipso, sed in simulacro quodam, quod intellectus loco Dei substituit, quia si intellectus tantum dicitur Deum cognoscere, quia cognoscit spectrum loco Dei subrogatum, immediatē non attingit per actum fidei entitatem diuinam in se ipsa, quod si illam non attingit per actum fidei, neque per alium intellectus actum, neque illam attingit per actum voluntatis, quia id amat voluntas, quod intellectus proponit, neque potest volitio attingere obiectum immediatē in se ipso, quod immediatē in se ipso intellectus non proposuit. Dicere autem actum charitatis erga Deum non attingere immediatē diuinam bonitatem in se ipsa, erroneum est.

6 Reicienda specialiter in præsentia sunt hæc spectra, seu idola, quia omnino inutilia sunt ad præsentem difficultatem, & alias huic affines definiendas: in primis enim illis admissis falsum est spectrum in se intrinsecè habere vniuersalitatem, ipsūque esse vniuersale, quia spectrum seu idolum animalis non identificatur adæquatè cum aliis spectris, quæ dicantur illius inferiora, neque cum inferioribus animalis, v.g. cum homine & equo: ergo spectrum animalis non est vniuersale respectu spectri hominis, & spectri equi, neque respectu ipsius hominis, & equi, cum quibus non identificatur, quia de ratione vniuersalis est identificari cum suis inferioribus, & de illis prædicari, quod sine identitate fieri nequit.

7 Dices spectrum animalis esse vniuersale respectu spectri hominis, & spectri equi, quia in illo vno cognoscit intellectus omnia obiecta, quæ in his duobus attingit. Contrà: si spectrum vniuersale dicitur respectu aliorum, quia repræsentat simul obiecta, quæ duobus aliis repræsentantur, eadem ratione posset dici vniuersalis vna cognitio Angelica respectu duplicis cognitionis humanæ, quia illa quæ homo attingit duplici cognitione, vnicè indiuisibili percipit Angelus. Eademque ratione hæc vox homo vniuersalis esset respectu harum Petrus & Ioannes, quia vox illa significat omnia indiuidua, quæ his distinctis vocibus, & aliis similibus significantur. Non ergo ad hæc vniuersalia assignanda necessaria erant illa spectra, posset enim in ipsis cognitionibus, seu speciebus expressis constitui, quæ in obiectis posset dici esse tanquam imagines in prototypo. Neque de his vniuersalibus sermo est in præsentia, sed de illis, quorum superiores naturæ cum inferioribus identificantur. Neque in ordine ad formalitates præcipientes, neque ad alias difficultates explicandas vtilia sunt: ea enim, quæ his spectris aguntur, eodem modo possunt cognitionibus, seu speciebus expressis agi, cùm enim obiecta referenda sint ad illa, loco quorum substituuntur, æquè difficile est dari spectrum relatum ad formalitatem animalis, & non ad formalitatem rationalis, loco animalis

& non loco rationalis substitutum, ac dari cognitionem immediatē relatum ad animal tanquam ad obiectum cognitum, & non ad rationale identificatum cum animali.

8 Alij recentiores apud Arriagam supra sect. 3. assentunt vniuersalitatem esse intrinsecam, & realem naturæ, pendere tamen tanquam à conditione extrinseca ab abstractione mei intellectus, quæ posita natura, quæ fuerat diuisa in inferioribus, & in vnoquoque distincta, sit per se ipsam vna in omnibus. Nusquam tam insignis figmentum referrem, ni postquam illud euulgauit Arriaga, aliquibus arriserit authoribus, qui non minori conatu, quàm difficultate illud propugnabant. Ne tamen huius genij recentiores hanc suam sententiam in meo opere desiderent, illam paucis retuli, & paucioribus impugnaui. In primis hoc vnum, quod bene expendit Arriaga, conuincit opinionem hanc chimericam esse: Qui fieri potest vt ex eo tantum, quod ego in meo cubiculo præcendam animalis prædicatum, seu habeam talē cognitionē, prædicatū animalis, quod erat in Petro existente Mariti, non tantum vniatur cum prædicato huius equi existente Romæ, sed etiam cum illo identificetur, ita vt sit verum dicere, idemmet prædicatum reale, quod modò est in Petro realiter, & à parte rei per se ipsum est in tali equo. Deinde quomodo fieri, aut dici poterit posita præcisione, ex vi cuius cognosco rationem communem animæ rationalis, omnes beatorum, & damnatorum animas, & omnium hominum, etiam Christi Domini in massam quandam confluere, & fieri vnam animam. Profectò si hæc attentè inspiciantur, alia impugnatione non indigent, simplici enim ipsorum propositione ab hominū sensibus abhorrent. Deinde in ipsis terminis, quibus hæc sententia explicatur, manifesta inuoluitur contradictio, implicat enim aliquid conuenire alicui entitati per se ipsam, & dependenter ab extrinseco connotato; quidquid enim rei per se ipsam conuenit, est cum illa identificatum, quod autem est identificatum cum re secluso quocumque extrinseco, illam necessariò semper comitatur, quia nequit aliquando id, quod est cum aliquo identificatum, ab ipso separari. Scio responderi huiusmodi formalitates identificatas dependēter à connotatis non separari quoad entitatem, sed separari quoad formalitatem ablati connotato, quia tantum sunt quoad formalitatem, quando adest connotatum, à quo tanquam à conditione dependunt. Superfedeo modo huic solutioni, quia hæc de connotatis doctrinā multis locis occurrit impugnanda, ideo ne passim eadem argumenta contra illam referrem, ex professo placuit illam euertere, vbi proprium sibi locum vindicatur, videlicet in relationibus, ex quibus ad alias materias, quibus his connotatis recentiores abutuntur, dimanauit. Ideo illam impugno Controu. 9. Metaph. Punct. 5. §. 2.

## §. II.

Natura constituitur vniuersalis & vna per abstractionem formalem seu cognitionem præcipientem.

9 VT propius ad veritatem accedamus præmittenda est duplex præcisio, quam circa gradus metaphysicos & formalitates diuersas eiusdē physice entitatis authores meditantur. Quædam dicitur præcisio obiectiua ex vi cuius intellectus attingit formalitatem aliquam, quin eadem cognitione attingat formalitatem cum illa identificatam, v.g. formalitatem animalis non attacta ex parte obiecti formalitate rationalis. Alia est præcisio tantum formalis, & ex parte actus, ex vi cuius attinguntur immediatē, & per se omnes formalitates, quæ intrinsecè sunt in obiecto, seu totum physicum obiectum, seu tota entitas physica: dicitur autem cognosci formalitas animalis & non formalitas rationalis, quia obiectum illud cognoscitur per operationes illas, quas intellectus attribuit animali, & non rationali, ex quo fit vt cognitio illa attingat confusè obiectum illud in ordine ad hominem, & equum, & reliqua omnia, quæ sunt animalia, quin vnum animal ab alio animali discernat, & distinctè respectu omnium quæ animalia nō sunt. De his Controu. 4. Metaph. Punct. 8. vbi accuratè has præcisiones explico, & latè probo non posse dari præcisionem obiectiuam inter prædicata realiter identificata.

10 Tert communis Thomistarum sententia vniuersale fieri per actum intellectus obiectiue præcipientem, ex vi cuius cognoscitur prædicatum hominis, quod est in Petro, & in Paulo



in Paulo abstractum ab omnibus differentiis indiuidualibus, quin Petrus aut Paulus cognoscantur, neque ex parte actus, neque ex parte obiecti, per quam cognitionem unitas quoddam rationis impingitur praedictam hominis quod est in Petro, & praedictum hominis, quod est in Ioanne, quia intellectus rationes hominis dispersas per indiuidua media illa cognitione adan, & cognoscit ut vnum simplex obiectum unitate non reali, sed ficta per illam cognitionem, quae respicit tanquam obiectum praedictam unitatem, non enim utrumque attingit praecisas rationes hominum, quae sunt in indiuiduis, sed formaliter ut vnam simpliciter rationem.

11 Opinio haec ex duplici capite mihi est falsa, primo, quia praecisiones supponit obiectiuas, quas non dari probo Controu. 4. Metaph. Punct. 8. Verumtamen quia familiaris est multis opinio, quae has praecisiones defendit, placet his admissis de hac sententia iudicium ferre, & explicare quomodo iuxta illius principia assignanda sit vniuersalitas, seu forma, per quam natura constituitur formaliter vniuersalis. Suppositis ergo obiectiuis praecisionibus, ex altero capite relicto praedictam sententiam, videlicet quia sine fundamento impingit naturae illam rationis unitatem, ad quam terminetur cognitio, quod sic probo. Ex eo tantum quod cognitio terminetur ad rationes hominis, quae sunt in Petro, & Paulo quin attingat differentias indiuiduales, omnes illae rationes hominis apparent intellectui absque vlla distinctione, seu diuisione: ergo apparebunt indistinctae seu indiuisae; ergo omnes illae obiectiuntur per hanc cognitionem sic praescindentem inlar vnus obiecti indiuisi apti praedicari de quolibet indiuiduo inferiori contento sub ratione hominis. Confirmatur: rationes hominis, quae sunt in Petro, & in Ioanne differunt formaliter in ordine ad nostrum intellectum per differentias indiuiduales, cum quibus sunt identificate: ergo ablatis differentiis indiuidualibus aufertur id, per quod rationes istae inter se distinguuntur: ergo ablatis differentiis indiuidualibus apprehenduntur inlar vnus obiecti indiuisi: ergo praecise per hanc cognitionem abstractiuam apprehenduntur omnes rationes hominis ad inlar vnus obiecti indiuisibilis: ergo unitas illa rationis superflue superadditur his naturis & absque illa per solam intellectus praecisionem omnes rationes hominum, quae in re sunt plures in pluribus indiuiduis contractae in ordine ad nostrum intellectum apparent inlar vnus obiecti apti praedicari de multis.

12 Dices per hanc praecisionem seclusa unitate rationis tenente se ex parte obiecti naturam non apprehendi ut vnam positiuam, sed tantum negatiue, quia unitate non apprehensa non potest vnum ut vnum formaliter apprehendi, & vniuersale debere apprehendi formaliter ut vnum unitate positiuam, quia vniuersale formaliter, & positiuum est vnum. Equiuocatio laborat praedictis discursus, confundi enim fieri vniuersale vnum, & apprehendi ut vnum, & fieri formaliter naturam vniuersalem unitate positiuam, & apprehendi ut vnam positiuam unitate, quae realiter distinguuntur, per cognitionem enim per quam fit natura vniuersalis, & constituitur ut vna unitate positiuam extrinsecam, apprehenditur tantum ut vna negatiue, eo enim ipso quod natura Petri, & Ioannis abstrahatur a differentiis indiuidualibus, & apprehendatur negatiue ut vna: resultat consequenter in illa denominatio cognita, ut vnus, per quam denominationem constituitur formaliter positiuam vna per intellectum, & vniuersalis unitate, & vniuersalitate positiuam, quae est cognitio respiciens tantum ut obiectum naturam negatiue vnam, hoc est, sine differentiis, per quas fit multiplex in ordine ad nostrum intellectum, & constituitur per se ipsam naturam vniuersalem, & vnam unitate positiuam extrinsecam, quae est cognitio. Quod si natura non tantum constituitur sit vniuersalis, & vna unitate, & vniuersalitate positiuam, sed etiam ut talis cognoscenda sit tenente se vniuersalitate, & unitate positiuam ex parte obiecti, cognoscenda erit per aliam cognitionem reflexam terminatam ad aliam cognitionem praescindentem naturam a differentiis, per quam constituta fuit vna, & ut vniuersalis unitate & vniuersalitate positiuam, & cognita tantum est vna vniuersalitate negatiua.

13 Dices, per cognitionem, per quam fit natura formaliter vniuersalis, debere cognosci formaliter ut vniuersalis, & ut vna unitate positiuam, & ita non posse fieri vniuersalem per ipsam cognitionem tanquam per formam, quia

cognitio abstractiua non terminatur ad se ipsam, & cognitio, quae cognoscitur natura ut vniuersalis, & ut vna debet terminari ad unitatem, & vniuersalitatem. Recte inferres cognitionem, per quam fit vniuersale debere terminari ad unitatem, & vniuersalitatem, & ita utramque distinguere a cognitione, per quam fit vniuersale, quia talis cognitio non terminatur ad se ipsam, si probares cognoscendam esse naturam ut vnam & vniuersalem unitate, & vniuersalitate positiuam, ex vi cognitionis, per quam formaliter constituitur talis, quod mihi falsum est; censeo enim ex eo quod natura cognoscatur ut vna negatiue, constitui formaliter vnam positiuam per ipsam cognitionem tanquam per formam extrinsecam, quia sicuti esse plura, seu distinguere per intellectum est cognosci cum differentiis, per quas distinguuntur, esse vnum per intellectum erit cognosci sine illis differentiis, quae sunt rationes differendi ab alio, sicuti enim per negationem distinctionis physicae, siue haec importet aliquid positiuum, siue negatiuum constituitur ens physice a parte rei formaliter vnum sic per negationem distinctionis intentionalis constituitur ens intentionalis existens vnum, seu vnum formaliter in ordine ad nostrum intellectum.

14 Ob hanc rationem dicunt nonnulli cognitionem factiuam vniuersalem esse cognitionem praecisiam terminatam tantum tanquam ad obiectum ad rationem illam, quae a differentiis praeciditur, & non ad aliquam rationis unitatem, resultare tamen ex hac praecisione unitatem quandam rationis in qua formaliter consistit vniuersalitas, & per quam natura formaliter constituitur vniuersalis & vna formaliter unitate, & vniuersalitate positiuam. Non probo hunc dicendi modum, quia ex cognitione tantum resultat in obiecto ad quod terminatur denominatio cogniti, quam non esse ens rationis, sed quid reale indistinctum ab obiecto quod denominatur, & ab ipsa cognitione denominante tanquam forma, probo Controu. 12. Metaph. Punct. 7. Quod si velis supra hanc denominationem cogniti aliud ens rationis resultare ab illa distinctione, denominatio fundamentum erit huius entis rationis, & prior illa ac proinde antequam intelligatur hoc ens rationis, obiectum erit constitutum formaliter vniuersale. Si vero contendas ipsam denominationem cogniti esse ens rationis, & affirmes vniuersalitatem consistere in ente rationis, quia consistit in hac denominatione, non a me dissenties in vniuersalitate assignanda, uterque enim dicemus consistere in extrinseca denominatione desumpta a praecisione formali, seu a cognitione, per quam natura sine differentiis cognoscitur, sed tantum inter nos erit dissensio circa naturam extrinsecam denominationis, quae in hoc loco non est componenda, sed ubi ex professo de natura denominationis extrinsecae disputatio instituetur, quam instituo citato loco.

15 Vidit Smigletius disp. 4. 15. q. 4. fol. 319. per abstractionem naturam ab intellectu fieri vniuersalem, quia per hanc abstractionem tollitur diuisione, seu distinctio, quae formaliter fit per differentias, quae diuisione ablata natura manet vna formaliter, & apta ut sit in multis, seu indifferens ad multa, quod est formaliter naturam manere vniuersalem, ne tamen in cognitione formaliter constitueret vniuersalitatem, asseruit vniuersalitatem consistere in negatione differentiarum tenentium se ex parte obiecti, quae essent rationes distinguendi obiectum, si ex parte obiecti cognitiones tenerentur, seu si attingerentur cognitione, quae negationes non debent apprehendi, sed sufficit non apprehendi habitus positiuos, videlicet differentias oppositas his negationibus, quia apprehensio tantum requiritur ad ens rationis, quod per apprehensionem habet rationem entis, negationes autem cum non sint entia, sed esse illarum sit non esse, non egent apprehensione, sed posito fundamento absolute conueniunt. Sic in praesenti materia, posita abstractione, seu cognitione terminata ad rationem hominis, & non ad differentias formalitatem hominis positiuam cognita conuenit ex parte obiecti negatio differentiarum indiuidualium. Eadem ratione, posita tanquam conditione terminata ad animal secundum se, & non ad aliquam differentiam specificam, ponitur ex parte obiecti cogniti, videlicet animalis, negatio rationalis. Ex hac doctrina fundamentum desumptis subtilis quidam recentior ad assignandum duplex ens rationis, quoddam positiuum factum per cognitionem positiuam, quod omnes admittunt: aliud negatiuum, quod



quod fiebat, quin cognosceretur per negationem cognitionis, supposita aliā cognitione positiua terminata ad ali-  
quid identificatum cum illo, quod non cognoscebatur  
quod fiebat cum cognoscebatur animal non cognito ra-  
tionali, quia tunc negatio rationalis non existentis ex parte  
obiecti, seu ipsum non existere rationale ex parte ob-  
iecti, erat opus rationis procedens ex eo, quod supposita  
tendentia cognitionis ad animal non daretur tendentia ad  
rationale, seu negatio tendentiæ ad rationale.

15 Adeo subtilis est hæc doctrina ut propria ipsius subtili-  
tate euanescat. Ex eo quod cognito animali non cog-  
noscatur rationale, non præcinditur in ipso obiecto  
realiter rationale ab animali, non enim vnum prædicatum  
in se realiter ab alio secatur ex eo quod vnum cognosca-  
tur sine alio, sed tantum præcinditur in ordine ad no-  
strum intellectum, quod tantum dicit non esse cognitum  
per cognitionem, per quam cognoscitur animal: ergo fi-  
cuti in animali esse cognitum per cognitionem, per quam  
non cognoscitur rationale, nihil aliud est, quam hanc  
cognitionem terminari ad animal, & non ad rationale,  
quod non distinguitur ab hac cognitione, quia hæc cog-  
nitio per se ipsam habet terminari ad animal, & non ter-  
minari ad rationale, sic in rationali non cognito, esse  
præcisum ab animali, quod cognoscitur, quod est non  
esse cognitum per cognitionem, per quam cognoscitur  
animal, dicit cognitionem terminatam ad animal non ter-  
minari ad rationale, quod non distinguitur ab ipsa co-  
gnitione, quæ per se ipsam habet terminari ad ani-  
mal, & non terminari ad rationale. Stat ergo animal  
constitui præcisum à rationali, & sine differentis in  
ordine ad nostrum intellectum per cognitionem termi-  
natam ad animal, & non ad rationale, ex vi cuius re-  
tar in animali denominatio cogniti, quæ non resultat in  
rationali per quam denominationem existentem in anima-  
li, & non in rationali constituitur animal, cognitum  
indiuisum in species, ad quas contraheretur per differen-  
tias, quod est constitui vnum, quia vnum & indi-  
uiduum sunt idem. Stat ergo absque vlla rationis di-  
finitione præcisè per præcisionem naturæ à differen-  
tiis, per quam natura cognoscitur negatiue ut vna con-  
stitui vniuersalem, & vnam formaliter vnitatem extrinsecā  
positiuā.

16 Obiicies: esse vniuersalis est cognosci: ergo non po-  
test esse natura formaliter vniuersalis, & positiue vna,  
quin cognoscat formaliter ut vniuersalis, & ut vna  
vnitate positiua. Respondeo esse vniuersalis constitui  
per cognitionem tanquam per formam, non verò per  
obiectum cognitionis: ex eo enim quod cognoscat  
natura, quæ in se est multiplex, negatiue vna consti-  
tuitur per cognitionem, quæ ita cognoscitur positiue  
vna. Ad argumentum in forma respondeo: esse vniuersa-  
le vniuersalitate, & vnitate positiua, est cognosci vni-  
uersalitate, & vnitate positiua tenente se ex parte ob-  
iecti, nego antecedens: vnitatem, & vniuersalitate negatiua  
tenente se ex parte obiecti, quod per ipsam cognitionem  
tanquam per forum habet vnitatem, vniuersalitem  
positiuam, concedo antecedens: deinde nego conse-  
quentiam.

17 In sententia præcendente tantum ex parte actus, &  
non ex parte obiecti, vniuersale constitui per ipsam  
formalem præcisionem, seu cognitionem terminatam  
ad indiuidua in ordine ad connotata similia, per quam  
omnia cognoscuntur instar vnus naturæ vnitate nega-  
tiua, & constituunt, positiue vnam naturam vniuersalem  
vnitate, & vniuersalitate positiua eisdem rationibus de-  
fenditur, quibus eandem conclusionem propugnauit iux-  
ta opinionem obiectiuæ præcidentem: imò ex his qui  
præcisiones obiectiuas defendunt, ferè omnes docent  
vniuersale constitui per vnitatem, & vniuersalitem ratio-  
nis, ex illis verò qui tantum præcisiones formales, ferè  
omnes asserunt vniuersale constitui formaliter per ipsam  
cognitionem.

18 Obiicies: Forma vniuersalis est cognitio: ergo forma vni-  
uersalis, seu vniuersalitas datur à parte rei. Sed natura seu  
uateria vniuersalis datur à parte rei: ergo materia, & for-  
ma vniuersalis: ergo datur vniuersale à parte rei, quod  
omnes Doctores vniuersales negant. Respondeo Doctores  
negare dari vnam naturam physicè multis communem in-  
dependentem ab intellectu, & independentem ab isto dari  
vniuersale: non tamen negant dari à parte rei vniuersale

constitutum per intellectus operationem à parte rei  
existentem, quod probat obiectio, & absque vlla repu-  
gnantia concedo.

Obiicies secundò: cognitio est singularis: ergo non  
potest constituere vniuersale. Distinguo antecedens: est  
singularis entitatiue, & physicè, concedo: in repræsen-  
tando, nego: quia non tantum repræsentat vnum, aut al-  
terum singulare, sed plura inter se confundit, ratione  
cuius, etsi entitatiue sit singularis, dicitur vniuersalitas,  
& vniuersale constituit, ut expresse docuit S. Thomas  
opuscul. 55. per hæc verba. *Est enim (de vniuersalitate lo-  
quitur) in solo intellectu singulari, & est vniuersalis in quan-  
tum habet rationem vnus forma ad omnia indiuidua, quæ sunt  
extra animam prout equaliter est similitudo omnium.* Mitto  
eandem obiectionem posse fieri contra illos, qui vni-  
tatem rationis fingunt ad vniuersale constituendum, quia  
illa vnitatem ficta, erit in se singularis & determinata facta  
per hanc numero cognitionem determinatam.

Obiicies tertio: vniuersalitas consistit in cognitione:  
sed cognitio per quam fit vniuersale specificum hominis  
differt in specie à cognitione, per quam fit vniuersale spe-  
cificum equi: ergo species hominis, & species equi in  
ratione specierum, & vniuersalium non tantum diffe-  
runt numero, sed etiam in specie. Retorqueo argumen-  
tum ad illos, qui per ens rationis vniuersale constituunt:  
cognitiones terminatæ ad rationem hominis, & ad ratio-  
nem communem equi distinguuntur in specie: ergo vni-  
tates rationis, quæ ex illis resultant distinguuntur in spe-  
cie, quia quoties cognitiones factiue entium rationis  
specie differunt, entia rationis per illas facta specie dif-  
ferre necesse est. Nonnulli consequentiam concedunt, qui  
tenentur asserere nullam dari speciem vniuersalem, quæ sub  
se duo indiuidua contineat, sed hæc omnia inter se specie  
differre, sicuti de Angelis dici solet. Verumtamen leui argu-  
mento in hanc difficultatem se coniiciunt, facile enim re-  
sponderetur, cognitiones illas differre specie physicā, seu  
quatenus sunt vniuersalitates, seu rationes confundendi, &  
repræsentandi plura indiuidua instar vnus obiecti, quia fi-  
cuti cognitio respondens huic voci *homo* confundit, & per  
modum vnus repræsentat omnia humana indiuidua, co-  
gnitio respondens huic voci *equus* confundit, & repræsen-  
tat omnia equina indiuidua, & ita tantum differunt quasi  
materialiter in ratione confundendi, & adiuuandi, quæ ad  
vniuersalitem pertinent.

Obiicies quartò, contra id, quod diximus cognitionem,  
per quam fit vniuersale vnum, non exprimere vnitatem  
tenentem se ex parte obiecti. Diuisio mentis Logi-  
ca est cognitio exprimens pluralitatem tenentem se ex  
parte obiecti: ergo vnitatem mentis Logica debet expri-  
mere vnitatem ex parte obiecti. Respondeo, non om-  
nem diuisionem Logicam exprimere pluralitatem ex  
parte obiecti, ut patet in diuisione totius in partes  
Metaphysicas, quæ nullam pluralitatem obiectiuam im-  
portant, genus enim & differentia, in quæ diui-  
ditur species, ex parte obiecti idem formaliter di-  
cunt, quod species ipsa. Imò ex diuisione ad indi-  
uisionem argumentum conficio, sicuti enim per actum  
diuidendi non repræsentantur membra diuidentia ut diui-  
sa, seu ut membra diuidentia, sed secundum se, & per  
illum actum constituuntur extrinsecè diuisa, seu membra  
diuidentia, sic in indiuisione, seu adunatione intellectus  
non repræsentantur illa, quæ sunt indiuisa, & vna formali-  
ter ut vna, sed tantum fundamentaliter, & constituuntur  
formaliter per talem actum positiue vnum, & indiui-  
sum, seu vniuersale.

Obiicies quintò, ad probandum nimiam similitudi-  
nem operationum non sufficere, ad hoc ut intellectus  
cognoscens simul plura indiuidua illa inter se confundat,  
& instar vnus apprehendat. Nimia similitudo tantum  
potest deferuire ut intellectus successiue videns duo in-  
diuidua illa confundat, ita ut cum hoc tantum videat,  
non valeat discernere, an hoc vel alterum videat, non  
tamen potest esse in causa, ut intellectus simul co-  
gnoscens vnum, & alterum non discernat inter hoc &  
illud, & cognoscat hoc ab illo distinguui, ut patet in qui-  
buscumque indiuiduis inter se similibus, in duobus ouis,  
v.g. quæ si successiue oculis obiciantur, non poterit intel-  
lectus discernere, an idem bis proponatur, an verò antea  
vnum, & modò alterum videat: at verò ut primum simul  
obiciantur, vnum ab alio discerneret. Respondeo nimiam  
similitudinem



similitudinem posse deferre ut intellectus non discernat inter illa indiuidua, etiam dum actu vtrumque simul cognoscit, quod obiectio non impugnatur. Exemplum additum ad rem non est, quia quando duo indiuidua corpora intuitiue videntur, apparent in diuersis locis, & ita quantitatibus similia sunt, ex præsentiarum destinatione, distinguuntur ab intellectu; quod si penetrata apparent, tanta poterat esse similitudo, ut postquam vtrumque simul intellectui obiceretur, non valeret intellectus vnum ab alio discernere. Ita fore credo, si duo oia omnino æqualia oculis obicerentur, in quibus vnum ab altero sensus, neque intellectus discerneret, sed vtrumque initar vnus apprehenderet.

PUNCTUM V.

De materia vniuersalis, cui contingit vnitatis.

§. I.

Iuxta obiectiue præcipientes rem dirimo.

1. **V**T vniuersalis essentia magis innotescat, explicanda est natura, cui tanquam subiecto contingit vniuersalitas, siue hæc in vnitatis rationis, siue in cognitione consistat, quod in opinione non præcipientem ex parte actus, etiam facile dicatur esse collectionem indiuiduorum, non sine difficultate videtur posse defendi. Meum est explicare quomodo iuxta hanc sententiam formaliter, & non obiectiue præcipientem, quam amplector, res sit componenda. Cum verò gratis in fauorem communis sententia, obiectiue præcipientis susciperem explicandam vniuersalis naturam, iuxta vtramque sententiam, iam teneor difficultatem hanc in vtraque explanare, quæ non minus, imò forsan magis obiectiue præcipientes vrget, quam tantum ex parte actus præcisiones admittentes.
2. Vulgo dicitur iuxta obiectiue præcipientes intellectum per cognitionem præcipientem, quæ non attingit differentias, attingere formalitatem quandam realem indiuisibilem potentem contrahi secundum se totam ad quodlibet inferius, & ad omnia, quæ sub illa continentur, ita vt per cognitionem, quæ abstrahitur animal ab omnibus differentiis, & speciebus cognoscatur vnum indiuisibile sentiendi principium, quod idem secundum se totum reperitur in homine, & idem secundum se totum reperitur in Petro, & modò ad hanc speciem, modò ad illam indiuisibiliter sumptum contrahi potest, quia seculis differentiis nullum est principium, per quod differant diuersæ rationes animalis, sed omnes sunt vnum eâ ratione, quæ sine differentiis constituuntur, & quia per rationem tantum rationes illa sunt extra differentias, per rationem tantum dicuntur habere vnitatem.
3. Sententiam efficacissimè impugnari, mihi semper suaui, nonnulla non leuis momenti contra illam expendam. Nihil est in Petro, quod realiter sit in Paulo: ergo implicat conceptus quidam obiectiuus, qui secundum totum id, quod importat, possit prædicari de Petro, & possit prædicari de Paulo. Antecedens probauit Controu. 4. Metaphys. Punct. 3. vbi probauit omnia, quæ sunt in Petro, esse identificata cum differentiis indiuidualibus Petri. Consequentiam probo. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo debet esse in Petro, & in Paulo: sed nullus conceptus, qui est in Petro est in Paulo: ergo nullus conceptus, qui prædicatur de Petro, & est in Petro, est in Paulo: ergo nullus conceptus, qui est in Petro, & prædicatur de Petro, potest prædicari de Paulo, cum nullus conceptus, qui in Paulo non est, possit de ipso prædicari. Dices posita abstractione resultare rationem omnino eandem, & communem Petro, & Paulo. Contra: posita abstractione non resultat in obiecto identitas aliqua realis, quia abstractio non immutat obiectum realiter: ergo tantum resultat identitas intentionalis vel rationis. Sed hæc non potest deferre ut vt verificentur de eodem subiecto illa, quæ soluta hac vnitatis rationis non habebant physicam identitatem: ergo vnitatis rationis non potest deferre ut vt rationes, quæ illa seculis realiter non identificantur cum subiecto, de illo identificentur. Huc vsque legitimus est discursus, primum enim antecedens, & consequens ex illo illatum,

admittunt Doctores, cum quibus agimus, & per se notum est recognitionem obiectum relinquere in se ipso inuariatum, ut contra recentiores supra ostendimus. Secundum antecedens est manifestum, quia verificatio sumitur ex identitate reali, quæ est inter subiectum & prædicatum, & non ex identitate, quam ego fingo, quantumvis enim ego per apprehensionem, vel quomodocumque fingam hominem identificari cum equo, tertium illud fictum ex homine, & equo, neque de homine, aut de equo verificari poterit, neque poterit verificari hominem esse equum, aut equum esse hominem. Consequentia est legitima: Pergo ulterius: sed illa ratio hominis vna per rationem, & multiplex realiter secundum totum id, quod dicit, non identificatur cum Petro, & Paulo, quia includit rationem hominis realiter identificatam cum Petro, quæ non identificatur cum Paulo, & rationem hominis identificatam cum Paulo, quæ non identificatur cum Petro: neque aliquid in illa ratione vna per intellectum reperitur, quod indiuisibiliter cum vtroque identificetur, quia rationis vnitatis cum nullo identificatur, & obiectum vnum identificatur cum Petro tantum secundum rationem hominis à Petro abstractam, & cum Paulo tantum secundum rationem hominis à Paulo abstractam, quæ realiter distinguuntur: ergo nihil est in illo obiecto vno, quod indiuisibiliter possit prædicari de Petro, & Paulo.

Verge, nihil est in Petro, aut in Paulo quando datur ratio hominis abstracta ab illis, quod non sit, quando deficit abstractio: sed quando deficit abstractio nihil est in Petro, quod sit commune Paulo, aut realiter identificatum cum Paulo: ergo neque quando abstractio adest: ergo adhuc posita abstractione, nihil datur, quod secundum eandem indiuisibilem rationem possit de indiuiduis distinctis prædicari. Idem infero in ratione generica respectu differentiarum, nihil enim potest includi in ratione animalis abstracta, quod secundum eandem rationem indiuisibilem prædicetur de homine, & equo.

Rursus si vna ratio indiuisibilis abstracta esset communis omnibus, secundum eandemmet indiuisibilem rationem ratio omnium hominum prædicaretur de Petro, & in Petro esset ratio aliqua, quæ eadem indiuisibilis esset in reliquis omnibus indiuiduis, & quodlibet indiuiduum in quocumque alio suam naturam agnosceret, quam ab ipso posset repetere, & aliud reddere non deberet, quia eodem iure illi competeat, potius posset respondere, quod petis intus habes, quia eademmet natura propria Petri, quæ esset in Ioanne, esse similiter propria Ioannis, & esset similiter in Petro, esset enim in vtroque, & vtriusque esset propria, quatenus propria cum alieno opponitur & neutrius propria diceretur, quatenus proprium opponitur communi, illa enim natura communis esset vtriusque indiuiduo.

Ob hanc rationem cenleo adhuc in opinione præcipientem obiectiue cognitionem terminatam ad conceptum hominis respicere tanquam subiectum vnitatis, per quam constituitur vniuersale, siue hæc sit ens rationis, siue ipsa abstractio realis, rationem hominis, quæ est in Ioanne, & aliam rationem hominis, quæ est in Petro, & sic alias rationes hominis dispersas per omnia indiuidua, quæ in se etiam secundum illas formalitates, ratione quarum terminant cognitionem, realiter non identificantur, etiam si illa à differentiis mente præcendantur, & per cognitionem identificentur vnitatis extrinsecæ, quæ à cognitione non distinguitur secundum veriorum sententiam, quam vt veriorum tradidi, ex vi cuius naturæ illæ cognoscuntur vt vnum obiectum vnitatis negatiuæ, quia ex eo præcisè, quod intellectus non percipiat illarum differentias indiuiduales eas omnes inter se confundit, & eodem modo se habet circa illas, ac se haberet sensus circa duo obiecta omnino similia, & æqualia penetrata, in quibus non discerneret vnum ab alio, & eodem modo se haberet in ordine ad obiecta distinguenda, ac si vnum tantum videret obiectum, licet in re duo attingeret. Confirmatur: materia illa, cui superadditur vnitatis intentionalis, seu ficta vt condistincta ab vnitatis illi superaddita non est vna, sed multiplex. Sed natura, quæ subternitur vnitati, vt distincta ab vnitatis terminat cognitionem per quam fit vniuersale: ergo natura multiplex, quatenus est multiplex realiter terminat cognitionem, per quam illi superadditur vnitatis intentionalis: seu rationis. Maior



ab omnibus admittitur: Minor facillimè probatur: Cognitio, per quam natura fit vna (esto ad vnitatem terminetur, quod mihi falsum est) non tantum terminatur ad vnitatem, sed concretum vnum; quod essentialiter dicit subiectum, cui subternitur vnitatis, quatenus ab vnitatem distinctum: ergo natura, cui accedit vnitatis, quatenus ab vnitatem distincta terminat cognitionem, per quam fit vniuersale: ergo natura vt multiplex realiter per se ipsam terminat cognitionem, per quam fit vniuersale, licet terminet eandem cognitionem, vt vna per rationem, quod ego iudico verum non esse, quia in mea sententia cognitio, per quam fit vniuersale, constituit naturam vt vnam, non verò ad illam vt vnam terminatur.

7 Obiicies: natura adhuc vt distincta ab vnitatem, & vt illius subiectum, non terminat cognitionem, per quam fit vniuersalis, secundum differentias, sed secundum prædicatum abstractum à differentis: ergo non terminat naturam vt multiplex: Probo consequentiam; non potest terminare cognitionem vt multiplex, & vt distincta, quin terminet secundum illam rationem, quæ est multiplex, & distincta: sed est multiplex & distincta secundum differentias: ergo si non terminat cognitionem secundum differentias, sicut de facto accedit, non terminat cognitionem quatenus multiplex & distincta. Respondeo concedendo antecedens, & negando primam consequentiam; deinde concedo maiorem; & distinguo minorem: natura est multiplex & distincta secundum differentias: in ordine ad nostrum intellectum concedo: in se est multiplex, & distincta per differentias, subdistinguo: per differentias tantum, nego; per differentias, & per se ipsam, concedo, quælibet enim formalitas, quæ abstrahatur à Petro, etiam ratione entis secundum se per se ipsam habet non esse in Ioanne, licet in ordine ad nostrum intellectum, secundum illam formalitatem præcisam non dicatur distincta, quia intellectus noster distinctionem, quam habet Petrus à Ioanne secundum quamcumque formalitatem, quam in se includit tantum attribuit differentie individuali.

8 Ex quo fit intellectum nostrum cognoscentem rationem hominis, quæ est in Ioanne præcisè differentis individualibus, cognoscere has rationes formaliter vt distinctas in se, seu secundum formalitates, quæ per se ipsas important distinctionem, licet non illas cognoscat vt distinctas in ordine ad intellectum, hoc est; secundum formalitates, quibus intellectus distinctionem attribuit, quod solemus explicare docentes intellectum cognoscere rationes has vt distinctas negatiuè, & non positiuè. Ex hac doctrina facile distinguitur consequens eodem modo: ergo si intellectus non cognoscit differentias, non cognoscit naturas vt distinctas in ordine ad intellectum, concedo consequentiam; vt distinctas in ordine ad se, nego consequentiam.

9 Ex his inferes cognitionem, per quam fit hoc vniuersale animal terminari ad formalitatem animalis, quæ est in homine, & ad formalitatem animalis, quæ est in equo, & in aliis speciebus, vt inter se distinctis realiter, quibus tribuit vnitatem extrinsecam sue rationis. Si verò difficile percipiatur præcisè differentis individualibus adhuc naturas inter se distingui hanc difficultatem secum fert opinio obiectiuè præcendens, quam ego non amplector; sed latè impugno in Metaph. Controu. 4. Punct. 8. Quomodo autem conceptus animalis in se includens animalitatem equi distinctam ab homine possit prædicari de homine, & conceptus hominis includens humanitatem Petri distinctam à Ioanne possit de Ioanne prædicari, dicam postea, dum explicem quomodo conceptus hominis, qui iuxta opinionem præcendentium formaliter dicit aggregatum omnium indiuiduorum, possit de Petro, & de quocumque indiuiduo prædicari.

## §. II.

*Iuxta præcidentes tantum formaliter questionem definio.*

10 EX hac doctrina necessariò inferitur quid dicendum sit iuxta opinionem præcendentem tantum ex parte actus, & non ex parte obiecti, quam ego constanter defendo. Affirmo in mea sententia formaliter tantum

præcendente cognitionem, per quam fit vniuersale terminari ad collectionem omnium indiuiduorum, quæ sub illa ratione communi contineri dicuntur, quæ omnia confusè cognita in ordine ad connotata communia, & similia instar vnius nature cognoscuntur, & extrinsecè per ipsam cognitionem vnum vniuersale denominantur. Hæc opinio est Nominalium, quos optimè vindicat Hurtad. à calumnia, quæ illis imponitur, videlicet ipsos negasse conceptus vniuersales, & tantum vniuersalia in rebus constituere. Tribuitur etiam D. Thomæ, quem cum Nominalibus sentire contendit Hurtad. & plura illius testimonia refert, confertque cum Nominalium testimoniis, ex quibus vnum tantum dabo, in quo videtur nostram sententiam, expresse ab Angelico Doctore fuisse traditam. Sic ille Opusc. 55. *Hæc autem similitudo sine species existens in anima est vna numero, & singularis, eius tamen vniuersalitas non ex eo, quod sit in anima, sed ex eo, quod comparatur ad plura singularia eodem modo se habentia opinata* (hoc est cognita) *eodem modo. En asserit Angelicus Doctor vniuersalitatem esse ex eo, quod cognitio terminatur ad plura singularia cognita eodem modo, hoc est, similia inter se. Eandem opinionem Hurtadus attribuit Patri Suarrio Disp. 5. Metaph. sect. 1. o. subsect. 2. vbi illam tenaciter amplectitur, eandemque defendit Arriaga disp. 6. Logicæ sect. 4.*

Ad huius opinionis faciliorem intelligentiam breuiter explico, de quo latè Controu. 4. Metaph. Punct. 8. quid sit rem confusè, quid distinctè cognoscere. Res confusè agnoscitur, quando ex vi illius cognitionis non potest secerni ab alia, quæ per eandem cognitionem attingitur, quod contingit, quando duæ entitates, quas cognitione confundi dicimus, & instar vnius attingi, cognoscuntur per connotata communia, & inter se similia, exempli gratià cognosco hominem, & equum per connotata similia, videlicet sensationes, quæ similes in vtroque reperiuntur, tunc dicor cognoscere animal, quod est confundere hominem, & equum, & vtrumque confundere vnum respectu alterius, quia ex vi illius cognitionis non valeo hominem ab equo discernere, neque equum ab homine, quod facerem si hominem non per sensationes, quas habet, quibus aliæ similes in equo correspondent, sed per intellectiones cognoscerem, quibus aliæ similes in equo non reperiuntur; tunc enim in ordine ad has operationes hominem ab equo distinguerem, seu hominem in ordine ad equum distinctè cognoscerem. Ex hoc fit posse idem obiectum confusè, & distinctè cognosci per eandem cognitionem in ordine ad diuersa extrema, cum enim cognosco hominem simul cum equo per operationes sentiendi, & dicor cognoscere animal, confundo hominem cum equo, in quo sunt operationes similes illis, per quas hominem cognosco, & illum distinguo à lapide, in quo similes operationes non reperiuntur. Hac ratione dicor per cognitionem, quæ apprehendo animal non apprehendere distinctè vt rationem hominis, quia etsi illam apprehendam, illam confundo cum equo, qui non est homo, quæ etiam ratione prædicatum animalis, quod est homo, confundo cum equo, quia tamen non illud confundo cum aliquo, quod non fit animal, sicuti confundo hominem cum aliquo, quod non fit homo, dicor distinctè cognoscere animal, & confusè cognoscere hominem, licet animal sit identificatum cum homine, & ipsum hominem in ordine ad eadem obiecta eodem modo cognoscatur, animal enim identificatum cum homine confunditur cum animali equi, & cum equo, & distinguitur ab omnibus, quibus non conuenit ratio animalis, quod etiam conuenit homini quatenus significato per hunc conceptum animal, ex vi cuius tantum confunditur cum equo, & aliis speciebus, quibus conuenit ratio animalis, & distinguitur à lapide, & ligno, & reliquis omnibus, quæ animalia non sunt. De hoc latius loco citato.

His positis, dico vniuersale specificum, v. g. homo includere pro materiali Petrum, & Ioannem, & reliqua indiuidua, in quibus ratio hominis reperitur, quæ omnia indiuidua tanquam per formam extrinsecè denominantur vnus homo, & vnum vniuersale per cognitionem, quæ omnia apprehenduntur in ordine ad operationes similes in omnibus, per quam cognitionem confunduntur inter se omnia indiuidua cognita, & omnia illa propter nimiam connotatorum similitudinem instar vnius cognos-



cognoscuntur, ita vt tantum possit intellectus omnia simul sumpta discernere ab illo indiuiduo, in quo similes rationes non inueniantur, verbi gratia ab hoc equo, non vero possit in ipsis indiuiduis vnum ab alio discernere, nec possit intellectus dicere an plura, vel pauciora cognoscat, cum nihil representatur in omnibus, quod propter nimiam similitudinem in quolibet illorum non videatur reperiri, est enim cognitio illa cuiusdam obiecti veluti definitiui in modo cognoscendi, quia non magis discernitur in toto illo obiecto, quam in qualibet parte illius, seu in tota indiuiduorum collectione, quam in quolibet indiuiduorum contento sub illa collectione, ratione cuius similitudinis, seu condistinctionis in ordine ad nostrum intellectum, tota illa collectio apparet instar predicabilis secundum de totam de quocumque indiuiduo, etiam si tantum de quocumque indiuiduo possit predicari secundum rationem inadeguam, in qua cum illo identificatur, vt postea dicam. Explicata iam materia vniuersalis speciei, facile vniuersalis generici materia innotescit, sicut enim vniuersale specificum hominis fit ex collectione indiuiduorum, quae sub hominis specie continentur, & vniuersale specificum equi ex collectione indiuiduorum, quae continentur sub specie equi, & sic de aliis speciebus, vniuersale genericum fit ex collectione indiuiduorum, ex quibus sunt species, verbi gratia hoc vniuersale animal ex his indiuiduis hominis, ex quibus fit species hominis, & ex indiuiduis equi, ex quibus fit species equi, & sic ex omnibus indiuiduis contentis sub ratione communi animalis. Quae omnia indiuidua dicuntur vnum animal ex vi cognitionis, quae attinguntur in ordine ad operationes similes in quolibet illorum repertas, ex vi cuius omnia inter se confunduntur, & tantum distinguuntur a reliquis indiuiduis, & speciebus, in quibus ratio animalis non reperitur, videlicet a ligno, & lapide. Secundum hunc discurrendi modum materia vniuersalis speciei, & differentialis, videlicet hominis, & rationalis non distinguuntur, quia vtrumque vniuersale respicit eadem indiuidua tanquam inferiora, quorum collectionem vtrumque dicit pro materiali; distinguuntur autem vniuersalia, quia rationale tantum connotat rationationes, quorum fit principium, sicut animal tantum connotat sensationes, homo autem connotat sensationes, & rationationes tanquam procedentes ab vno principio indiuisibiliter significato, quod est homo.

13 Materiam vniuersalis esse collectionem omnium indiuiduorum iuxta non praecindentes obiectiue eiusdem rationibus probatur, quibus probauimus materiam vniuersalis, esse collectionem rationum abstractarum, & non vnam simplicem rationem abstractam in opinione obiectiue praecindentium. Secundum specialius probatur iuxta principia huius sententiae. Ablata vna ratione praecisa ex parte obiecti nihil potest intellectui obici, quod antecedit unitatem, quae in cognitione consistit, praeter indiuiduum aliquod, vel plura, quae simul cognoscantur, sed vnum indiuiduum est materia apta vt fiat vniuersale multis commune, neque vt illi tribuatur unitas extrinseca, siquidem illam habet intrinsecam in se ipso: ergo illud, quod obicitur tantum potest esse indiuiduorum collectio, seu plura indiuidua habentia operationes aded inter se similes, vt in ordine ad illas, possit intellectus instar vnius obiecti indiuisi ea omnia indiuidua cognoscere. Confirmatur per vniuersale constitutum vnum, & indiuisum illud, quod a parte rei erat multiplex, & diuisum antecedenter ad cognitionem, per quam fiat vniuersale: sed a parte rei antecedenter ad cognitionem per quam fit vniuersale tantum erat collectio indiuiduorum, quae dicit plura indiuidua inter se diuisa: ergo tantum haec indiuiduorum collectio fieri potest vna & indiuisa, seu vniuersalis.

### §. III.

#### Argumenta soluta.

Occurrunt nonnulla soluenda argumenta contra doctrinam traditam, quibus solutis illius veritas clarius elucet.

14 Obiicies primò. Collectio indiuiduorum non potest predicari de quolibet indiuiduo, seu inferiori contento sub vniuersali: sed vniuersale predicatur de quolibet infe-

riori sub illo contento: ergo vniuersale non dicit totam collectionem indiuiduorum, seu inferiorum, quae sub continet. Idem argumentum fit contra doctrinam traditam iuxta opinionem obiectiue praecindentium, quorum vniuersale diximus continere plures rationes abstractas inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori potest predicari. Respondeo vniuersale predicari de omnibus indiuiduis non secundum se totum, sed secundum aliquam partem sui, quae apparet instar totius, quia intellectus non decernit inter partem, & totum, propter confusionem partium vniuersalis, videlicet singulorum indiuiduorum cum toto vniuersali, seu cum tota collectione indiuiduorum: collectio enim illa, vt supra dicebam, representatur quasi definitiue modo, ita vt non magis apparere videatur in tota illa simul sumpta, quam in qualibet parte illius, representatur enim qualibet pars sine ratione per quam in ordine ad intellectum distinguitur a comparte, & ita vt non distincta ex parte actus ab alia comparte, & consequenter vt non distincta a toto, quia pars tantum differt a toto per aliam compartem, cum qua simul totum componit, & non cognita alia comparte vt distincta, nulum est caput, ex quo cognoscatur pars vt distincta a toto. Ad argumentum in forma respondeo: Collectio, quam dicit vniuersale non predicatur de quolibet indiuiduo: aequialenter, & quoad modum predicandi, nego: ratione materiae, subdistinguo; secundum se totam, concedo; secundum aliquam partem sui, nego. Itaque collectio est predicabilis de pluribus indiuiduis, seu inferioribus secundum plures rationes, quas includit abstractas a plaribus inferioribus siue abstractione obiectiua, siue formali, & est predicabilis de quolibet indiuiduo seorsim sumpto secundum rationem abstractam ab illo indiuiduo, quae in illa collectione includitur.

15 Obiicies secundò. Si in hac predicatione *Petrus est homo*, non predicatur vniuersitas illa singularium saltem materialiter, sed vnum tantum, quod identificatur cum Petro, predicatio non erit vniuersalis, sed singularis. Respondeo in predicatione naturae vniuersalis de inferiori sub illa contento, predicatum non retinere vniuersalitatem, quam antea habebat, sed contrahi subiectum ad rationem illam inferiorem, quae subiectum circumscribitur. Dicitur autem predicatione naturae vniuersalis, quia est predicatum cuiusdam naturae, quae continebatur in illo vniuersali, quod per aggregationem inferiorum erat constitutum, & quia eodem modo significatur iam contracta in actuali predicatione, quo significabatur aggregatum, in quo continebatur, in hac enim predicatione *Petrus est homo*, ratio hominis identificata cum Petro, quae tantum se tenet ex parte predicati, eodem modo significatur, quo significabatur tota collectio hominum in hoc vniuersali specifico *homo*.

16 Obiicies tertio. In hac predicatione *Petrus est homo*, tantum se tenet ex parte predicati ratio hominis identificata cum Petro, & nihilominus est predicatione vniuersalis: ergo haec predicationes *Petrus est Petrus*; *Petrus est quidam homo*; *Petrus est hic homo*, erunt predicationes naturae vniuersalis, quia illarum qualibet idem dicit ex parte predicati, ac dicit propositio illa *Petrus est homo*. Respondeo praedictas propositiones non esse naturae vniuersalis, quia non dicunt ex parte predicati naturam identificatam cum Petro, quae in vniuersali continetur, eodem modo significatam, quo significatur totum vniuersale *homo*, sed affectam signo particulari, aut demonstratiuo, quibus non afficitur predicatum huius propositionis naturae vniuersalis *Petrus est homo*. Adde in hac propositione predicatum nominis praecise quatenus significatur ex parte predicati praecindere ex parte actus, vel ex parte obiecti eo modo, quo praecisiones admittuntur a differentiis indiuisibilibus, in illis vero non praecindere, quia signum particulare, & demonstratiuum illas important.

17 Obiicies quarto. Vniuersale est aggregatum omnium indiuiduorum: ergo hoc complexum *omnis homo* erit vniuersale. Respondeo negando consequentiam, quia in illo complexo significantur singularia distincta inter se, quia complexum illud ratione signi *omnis* resoluitur formaliter in istud, *hic homo*, & *hic homo*, & *hic homo*, &c. Sed instabis etiam in aggregato, in quo nos vniuersale constituimus, significantur indiuidua vt distincta inter se: ergo eadem est ratio in vtroque. Probatur assumptum: indiuidua significantur vt similia: ergo vt extrema distincta, relatio



enim similitudinis non potest esse nisi inter extrema similia. Respondeo in vniuersali non significari indiuidua vt similia formaliter, & positiue, sed materialiter, & negatiue, quia tantum significantur non differentia inter se propter similitudinem fundamentalem, quam habent, quæ apparet veluti quædam identitas, cum propter illam non possit intellectus vnum indiuiduum ab alio discernere.

## PUNCTUM VI.

De aptitudine vniuersalis ad essendum in multis, & predicandum de multis.

**I** Homines ferè omnes, in quibus est Rub. q. 4. procecial. n. 58. qui censent vnitatem vniuersalis esse ens rationis, eodem modo de aptitudine vniuersalis ad essendum in multis philosophantur, qui reiiciendi sunt rationibus infra dandis, & ex his, quæ contra illos de vnitatem vniuersalis tradidimus. P. Fonseca, & alij, qui nescio quam vnitatem multis communem naturæ intrinsecam meditantur, aptitudinem ad essendum in multis eodem modo intrinsecam eidem naturæ largiuntur, qui eodem modo reiiciendi sunt circa præsentem difficultatem, quo reiecti sunt circa vniuersalis vnitatem. Hurtadus Arriaga, & ferè omnes recentes, qui asserunt vnitatem consistere in cognitione, in eadem aptitudinem constituunt, asseruntque naturam esse aptam vt sit in multis, & vt predicetur de multis dicere in natura denominationem quandam extrinsecam à cognitione desumptam. Quid in questione tantum de nomine sentiendum sit, paucis explicabo.

**2** Dupliciter potest natura vniuersalis considerari apta esse in multis, aut actu in multis. Primò physice, & realiter, secundò intentionaliter, seu in ordine ad nostrum intellectum. Dicam prius quid circa aptitudinem, & existentiam physicam sentiendum sit, & postea ad intentionalem procedam.

**3** Sit PRIMA CONCLUSIO: Existencia realis & physica naturæ vniuersalis in suis inferioribus conuenit illi realiter & physice ratione partium quas includit. Ratio est, quia hæc existencia nihil aliud est, quam identitas singularium cum partibus materialibus vniuersalis: sed identitas non distinguitur ab ipsa natura identificata: ergo cum singularia, quæ identificantur sint realia; identitas singularium, quæ est existencia physica vniuersalis in suis inferioribus, ab ipsis singularibus non distinguetur, & eiusdem rationis erit cum illis. Consulto dixi hæc existentiam in multis vniuersali realiter conuenire ratione partium, & non ratione totius, quia cum totum non sit reale physicum, sed tantum intentionale, nihil potest illi conuenire ratione sui independentem ab intellectu. Secundò, quia physice totum nullam aliam habet identitatem cum partibus, præter illam quam singulæ partes habent cum inferioribus; eadem enim inferiora confusè cognita partes vniuersalis constituuntur, & ex hac identitate partium cum inferioribus resultat totum dici cum illis identificari. Itaque sicuti singula indiuidua, quæ in re erant plura, per abstractionem extrinsecè sunt vna natura vniuersalis, sic singulæ existentie indiuiduorum in se ipsis per abstractionem dicuntur vna aptitudo naturæ vniuersalis ad essendum in multis cum accommodata distributione, quæ de pluribus diximus prædictè. Ob hanc rationem doctè dixit Smigletius disp. 4. q. 1. n. 33. posita abstractione sequi ordinem, & aptitudinem naturæ ad essendum in multis, licet enim hanc aptitudinem habeat natura à parte rei, quia reuera est in multis; tamen non habet à parte rei aptitudinem per modum vnius, & cum multis, sed diuisa, & non vna: vnde hæc aptitudo non est realis, sed rationis, quia est fundata in abstractione, quæ fit per rationem. Per ly *rationem* non ficta, sed intentionalis aptitudo intelligenda est.

**4** SECUNDA CONCLUSIO: Ad actum existendi in multis per identitatem propriè loquendo nulla supponitur aptitudo, seu potentia, quia hic actus tantum dicit identitatem indiuiduorum secum ipsis; nulla autem entitas est potens identificari secum: quia identitas illi conuenit per suammet entitatem, ad quam in eadem entitate nulla potest potentia supponi. Sicuti de aptitudine ad existendum dicam Controv. 2. Metaph. quam dicam propriè non fuisse potentiam, cum quælibet res per se ipsam existat, quod clariùs cernitur in nostro casu; in quocumque enim statu

consideretur entitas, consideratur identificata secum ipsa, sic homo possibilis identificatur cum animali rationali possibili, & homo existens cum animali rationali existenti. Hæc de existentia physica naturæ vniuersalis in multis: venio iam ad existentiam intentionalem.

Duplicem existentiam intentionalem in inferioribus circa naturam vniuersalis contemplantur. Prima, quæ fit per simplicem comparationem, quæ sine iudicio naturæ cognoscitur, instar respicientis inferiora de quibus potest predicari, quæ conuenientia solet significari per hæc complexa, *natura ad inferiora; natura cum inferioribus; natura in inferioribus*, quæ conuenientia exprimitur quacumque relationi apprehensione, quotiescumque enim apprehendo patrem, apprehendo cum ordine ad filium, nullo iudicio intercedente; & cum quis dubitat an alia sint paria, apprehendit conuenientiam inter astra, & numerum patrem, nullumque conficit iudicium, imò sæpe apprehendimus totam propositionem ab alio prolatam, & totum obiectum illius, & nullum iudicium ferimus de illo obiecto; postquam enim ego audio hominem dicentem, *Petrus currit*, sæpe obiecto apprehenso hæret intellectus, nullumque fert iudicium de obiecto proposito. Alia existentia intentionalis fit per comparationem compositam, quæ formaliter dicit iudicium, ex vi cuius enunciamus hoc esse illud. His præmissis rem definio.

**6** Sit TERTIA CONCLUSIO. Per puram abstractionem naturæ ab inferioribus, quæ iam præcognita supponuntur, natura fit apta, & proximè potens vt comparetur per simplicem comparationem ad plura indiuidua. Probo hæc conclusionem: Ante ipsam comparationem nullus potest esse proximior naturæ status ad comparationem, quam status abstractionis, neque alius actus immediatus simplici comparationi potest excogitari, quam status abstractionis: ergo per hanc abstractionem constituitur natura proximè potens comparari ad plura, seu esse in pluribus per simplicem comparationem. Ex hac conclusione inferitur aptitudinem ad existendum intentionalem in multis per simplicem comparationem esse realem intentionalem, siquidem identificatur cum abstractione, quæ est realis cognitio.

**7** QUARTA CONCLUSIO: Existencia naturæ vniuersalis in inferioribus per simplicem comparationem consistit formaliter in actu, quo intellectus naturam, quam iam à multis abstraxerat ad eam comparat tanquam ad extrema, cum quibus habet conuenientiam, seu identitatem, quam intellectus per illum actum apprehendit, & non iudicat. Probo clare: esse in multis intentionaliter, dicit vt illud esse in multis, quod in se habet obiectum, habeat in mea intentione, seu in meo intellectu: ergo dicit, quod ego illud cognoscam; ergo dicit meam cognitionem: ergo comparatio naturæ ad multa dicit meam cognitionem: ergo comparatio non composita, seu non iudicativa dicit cognitionem, quæ non sit iudicium: ergo dicit apprehensionem.

**8** QUINTA CONCLUSIO. Hæc comparatio simplex naturæ ad multa, seu hæc apprehensio, in qua sita est prædicta comparatio non habet pro obiecto aliquod ens rationis, neque naturam abstractionem respicit formaliter vt habentem ordinem seu relationem ad inferiora, sed tantum instar habentis ordinem, seu relationem ad illam, eo modo, quo intellectus apprehendit Angelum non vt iuuenem, sed instar iuuenis. Probo hæc conclusionem: composita comparatio naturæ superioris ad inferiora, quæ illam de his prædico, vt cum dico *Petrus est homo, Ioannes est homo*, non habet pro obiecto aliquod ens rationis: ergo neque simplex; vtrique enim est inter obiecta identificata, neque maior ordo, seu relatio cognoscitur ex vi iudicii circa extremorum identitatem, quam ex vi apprehensionis circa eandem identitatem: ergo sicuti iudicium fertur per comparationem compositam naturæ superioris ad inferiora absque vilo figmento, sic potest dari apprehensio comparans naturam superiorem ad inferiora absque vilo figmento. Ratio à priori est, quia neutra formalis comparatio respicit relationem aliquam formalem ex parte obiecti, quæ esset rationis, quia relatio realis inter extrema identificata nequit reperiri, sed tantum obiectum exprimat modo relatiue representatum, quasi bis eadem indiuidua cognoscerentur, semel confusè per modum vnius naturæ vniuersalis, & iterum distinctè, ac si distinguerentur ab illo obiecto, quod confusè per eandem cognitionem repræsen-



representatur, eâ ratione, qua contingit in hoc iudicio homo est animal rationale respectu partium metaphysicarum hominis in quo semel ex parte subiecti confusè significatur per terminum homo, & iterum in eodem iudicio, ac si ab homine distinguerentur, seu instar distinctarum ab homine distinctè significantur ex parte prædicari per terminum animal rationale.

9 SEXTA CONCLUSIO. Per existentiam intentionalem naturæ in multis per simplicem comparisonem, eadem natura, seu idem vniuersale fit proximè potens esse in multis per comparisonem compositam. Probo hanc conclusionem eadem ratione, quâ probaui tertiam. Ante ipsam comparisonem compositam nullus potest excogitari status proximior ad illam, quàm status in quo natura per simplicem comparisonem cognoscitur in ordine ad indiuidua; neque alius actus potest excogitari immediatior comparationi compositæ, quàm simplex comparatio: ergo per simplicem comparisonem actualem fit vniuersale proximè potens prædicari de pluribus inferioribus.

10 SEPTIMA CONCLUSIO: Naturam esse actum in multis per comparisonem compositam dicit actum prædicari de multis per prædicationes, quibus dicimus Petrus est homo, Ioannes est homo, & sic quæcumque alia inferiora de superiori naturâ prædicantur. Hæc conclusio facillimè suadetur: esse physicè naturam in multis, est esse identificatam cum multis: ergo esse intentionaliter in multis est cognosci identificatam cum multis; ergo esse intentionaliter in multis per comparisonem compositam, est cognosci in multis per cognitionem, quæ sit compositio, seu iudicium: ergo dicit iudicium, quo natura prædicatur de hoc inferiori, & iudicium quo prædicatur de illo.

11 Ex his infero puram actualem abstractionem esse potentiam ad comparisonem simplicem actualem, & hanc simplicem comparisonem actualem esse potentiam ad comparisonem compositam, & comparisonem compositam esse vltimum actum vniuersalis, ex vi cuius natura, quæ erat diuisa, & diuisibilis in plura, actu diuisa constituitur, & iam non rursus diuisibilis manet, sicut quantitas diuisibilis in tres plamos, postquam in hos fuit diuisa iam non in eosdem rursus manet diuisibilis: destruitur ergo per actum existendi in multis vniuersalitas naturæ, quia per illum destruitur illius vnitas, & indiuisio, & fit diuisio, & multiplicitas eiusdem naturæ. Diuidi enim naturam in inferiora nihil aliud est, quàm contrahi ad illa, & de eisdem prædicari. Ob eandem rationem destruitur vniuersalis vnitas per simplicem comparisonem, si hæc fiat respectu singulorum inferiorum, vel omnium distributiuè sumptorum, eo enim ipso, quod comparatur ad istud indiuiduum vt conditum à reliquis, contrahitur natura illa comparata ad illud, quod cum hoc indiuiduo, seu inferiori identificatur, quod non potest esse vniuersale, quia tantum in hoc inferiori, & non in pluribus esse erit aptum. Facienda ergo est simplex comparatio naturæ abstractæ sumptæ ad omnia inferiora collectiuè sumpta, nulla factâ distributione partium naturæ vniuersalis ad singula indiuidua per comparisonem ad illa seorsim, seu distributiuè sumpta, quia hac comparatione factâ destruitur vnitas vniuersalis naturæ, & iam hæc non manebit diuisibilis, sed diuisa in plura inferiora. Neque ideo nego posse naturam abstractam ad indiuiduis immediatè comparari ad singula indiuidua, seu ad omnia distributiuè sumpta, sed affirmo huiusmodi comparisonem non constituere vniuersale prædicabile in ratione vniuersalis, potius illud destruere, & diuidere in partes, quas continet prædicabiles, quamlibet de inferiori, cum quo identificatur, quæ prædicabilitas non erit naturæ vniuersalis, neque superioris de inferiori, sed æqualis de æquali.

12 Placet etiam aduerteere has potentias, & hos actus non adeo strictam ordinem actus, & potentie inter se habere, sicuti habent intellectus, & intellectio, & alie potentie cum suis actibus in quibus intercedit stricta dependentia actus à potentia, ita vt sine illa ille dari nequeat, sed laxiori quodam modo, ita vt simplex comparatio, quam dicimus esse actum puræ abstractionis, possit dari sine eo, quod talis abstractio præcesserit; & hæc comparatio ad omnia indiuidua collectiuè sumpta, quæ dicitur potentia ad comparisonem compositam, non necessariò illam debeat præcedere, quia potest intellectus affirmare Petrum esse hominē, & Ioannem esse hominem nulla præcedenti comparatione simplici. Assignatur autem prædictus ordo po-

Franc. de Oudeo, Philosoph. Tom. I.

tentie, & actus inter prædictas abstractions, & comparationes, quia actus illi, quos potentias, seu aptitudines ad alios esse dicimus, plurimum ad illos conducunt, etsi simpliciter neque ipsi, neque alij loco ipsorum necessarij sint. Ob hanc rationem censendum non est cum aliis asserentibus hos actus, quos nos potentias, seu aptitudines cum communi sententia vocamus, non ita esse dicendos, sed tantum condiciones applicantes naturam ex se intrinsecè potentem alios actus terminare propter identitatem, quam habet cum extremis, ad quæ per apprehensionem, vel iudicium comparanda est, & extrinsecè à possibilitate actuum, per quos formaliter est comparanda, & à potentia intellectus ad illos actus, seu ad illas comparationes, formales eliciendas. Tantum enim dicimus hos actus ad illos supponi, & fatemur non supponi vt potentias illorum strictè sumptas, sed illis potentiarum seu aptitudinum nomen sumus imperiti, vt cum communi sententia loqueremur, neque tenuemus concedere potuisse dici hos actus, qui ad alios supponuntur, supponi tanquam condiciones applicantes obiecta, in quæ alia feruntur, verumtamen id non fert communis loquendi modus, cui standum est præcipuè cum parum referat hoc, aut illo modo loqui.

13 Explicatâ iam vnitate, & aptitudine vniuersalis facillè essentia vniuersalis Metaphysici, & Logici deprehenditur, quam facillè assigno in vtroque. De essentia vtriusque vniuersalis tam Logici, quàm Metaphysici est vnitas, & existentia physica in multis per identitatem partium vniuersalis cum suis inferioribus; quia de essentia vtriusque vniuersalis est continere per modum vnus illa, quæ in inferioribus vt plura significantur: ergo de illius essentia est vnitas, & identitas cum inferioribus, quæ dicit existentiam physicam in inferioribus. Essentia vniuersalis Metaphysici dicit vnitate, & aptitudinem ad essendum in multis per simplicem comparisonem, quia vniuersale metaphysicum dicit naturam purè abstractam in ordine ad inferiora, per quam abstractionem constituitur proximè potens ordinari, seu comparari ad illa per simplicem comparisonem, vt dicebam Conclusionē 3. Essentia verò vniuersalis Logici, quod formaliter includit comparisonem ad indiuidua dicit naturam per apprehensionem comparatam ad collectionem indiuiduorum, per quam comparisonem constituitur apta esse in multis per compositam comparisonem, quod est naturam esse aptam prædicari de multis. Rectè ergo describitur vniuersale metaphysicum *vnus aptum esse in multis* quod esse intelligendum est per comparisonem simplicem ad quam ex vi puræ abstractionis vniuersale constituitur aptum, & vniuersale Logici definitur *vnus aptum prædicari de multis*, cum qua aptitudine constituitur per simplicem comparisonem, vt satis explicui.

PUNCTUM VII.

An natura abstracta ab vno indiuiduo sit vniuersalis.

1 R Atio dubitandi est, quia natura abstracta ab vno indiuiduo videtur non posse habere vnitatem indiuidualem, quia omnia, quæ ad indiuiduationem pertinent supponimus iam ab illa præcisa, neque aliquid habet per quod differat à naturis reliquorum indiuiduorum, vnde omnibus talis natura communis videtur esse dicenda. Ex alio capite non apparet, quomodo possit esse vniuersalis, quia natura ad illa indiuidua dicit ordinem, à quibus est abstracta: sed tantum supponitur ab vno indiuiduo abstracta: ergo tantum dicit ordinem ad vnum indiuiduum: ergo non est vniuersalis, quia de ratione vniuersalis est dicere ordinem ad plura.

2 Non desuerunt, qui existimarent posse dari vnitatem quandam mediam inter indiuidualem, & vniuersalem, & hanc esse de mente Patris Soarj disp. 6. Met. sect. 1. n. 8. & 9. vbi asserit præter vnitatem indiuidualem dari vnitatem formalem ratione distinctam, quia quot sunt modi diuisionis, tot debent esse modi vnitatis: sed in rebus datur diuisio materialis, & formalis: ergo datur veritas materialis & formalis. Insuper quia vnitas indiuidualis non conuenit naturæ secundum se præcisè, sed necessariò includit aliquid ratione distinctum, vt indiuidua fiat, quapropter essentia abstracta ab indiuiduis non includit vnitatem indiuidui, etiam si includat vnitatem formalem seu essentia.

H Caterum



3 Ceterum cum P. Suar. ibid. num. 10. & 11. asserat hanc vnitatem formalem non distingui ab indiuiduali, neque ante intellectus operationem dari naturam vniuersalem, aut vnitatem multis communem, imò implicare naturam seu vnitatem esse realiter in indiuiduis, & ab illis numero distingui, nullo modo potest asserere dari vnitatem mediam inter singularem, & vniuersalem, sed tantum loco citato intendit docere dari vnitatem quandam sumptam à tota entitate materialiter accepta, & aliam non physicè, & realiter, sed metaphysicè desumptam à prædicatis essentialiter, & metaphysicè primò entitatem constituentibus, quia vnitas est prædicatum transcendens, & ita tot debent dari vnitates, quot formalitates; quælibet enim formalitas eo modo, quo differt ab alia, eo habet vnitatem ab illa distinctam; & sicut formalitates tantum, ratione differunt, ita formalitates tantum habent vnitates ratione distinctas; & sicut prædicata essentialia metaphysicè rem constituentia tantum per rationem differunt ab eadem entitate physicè sumptâ, sic vnitas realis illorum prædicatorum tantum per rationem differt ab vnitatem totius entitatis materialiter sumptæ. Dico vnitatem prædicatorum esse realem, quod intelligendum est de vnitatibus omnium prædicatorum, quæ reperiuntur abstracta à Petro, Ioanne, & reliquis indiuiduis in hoc vniuersali *homo*, non quatenus omnes constituunt vnâ simplicem vnitatem multis communem, hoc enim habent extrinsecè ab intellectu, sed quatenus in se sunt entitatiuè plures, quia sicuti in hoc complexo *homo*, quantumvis præcisio fiat ex parte obiecti reperiuntur pro materiali plures rationes abstractas à pluribus indiuiduis, quas intellectus confundit, & adunat, sic reperiuntur plures vnitates transcendentes illas rationes abstractas, quas confundit intellectus, & facit extrinsecè in vnâ simplicem vnitatem, in ordine ad ipsum confluere.

4 P. Hurtad. disp. 5. Metaph. sect. 9. & P. Smigletius disp. 4. quæst. 4. num. 313. affirmant naturam abstractam ab vno indiuiduo, ab omnibus, & pro omnibus esse abstractam. Apud vtrumque hanc lego rationem: natura abstracta ab vno indiuiduo cognoscitur sine vlla singularitate: sed natura cognita sine omni singularitate abstrahitur ab omnibus, quia abstrahere est vnum sine alio cognosci: ergo natura abstracta ab vno indiuiduo ab omnibus abstrahitur. Sic Hurtad. §. 114. & Smigletius loco citato. Prædicti authores in præsentem non attentè inspexere, quid sit intellectum vnum prædicatum ab alio abstrahere, non enim abstractio dicit tantum vnum sine alio cognosci, quando enim cognosco animal non cognito lapide, non dicor abstrahere animal à lapide. Est ergo abstrahere cognoscere vnum sine alio, quod cum ipso est identificatum. Vnde ab illo dicitur prædicatum abstractum, sine quo cognoscitur, & cum quo identificatur, quod nemo poterit negare. Ex hoc principio argumentum Hurtadi, & Smigletij soluo, illudque in hos authores desumo. Soluo argumentum concedendo naturam abstractam ab vno indiuiduo cognosci sine omni differentia, & negando abstrahi per intellectum ab omni, sed tantum ab illa, cum qua est identificata, abstraheretur autem ab omnibus, si cum omnibus esset identificata. Argumentum defumo ex eadem doctrina: ab illo abstrahitur per intellectum entitas, cum quo identificatur: sed natura, quæ est in vno indiuiduo tantum est identificata cum vno indiuiduo; ergo etiam si cognoscatur sine omni differentia indiuiduali tantum ab vno indiuiduo, & tantum ab illius indiuiduali differentia dicetur abstrahi.

5 Virgeo eandem rationem. De illo tantum potest prædicari natura, quæ sine differentiis indiuidualibus cognoscitur, cum quo realiter, & physicè identificatur: sed natura, quæ est in Petro quantumvis cognoscatur sine differentiis indiuidualibus, realiter, & physicè tantum identificatur cum Petro, quia abstractio per intellectum non illi tribuit identitatem realem, quam in se non habet: ergo natura quæ est in Petro quantumvis cognoscatur sine omnibus differentiis indiuidualibus, tantum potest prædicari de Petro: ergo natura abstracta ab vno indiuiduo non est vniuersalis. Liqueat conclusio ex tota doctrina tradita de natura vniuersalis, illiusque formâ, & materiâ. Hoc vniuersale *homo* continens naturam Petri, & Pauli, & aliorum indiuiduorum non prædicatur de Petro secundum eandem rationem, secundum quam prædicatur de Paulo, sed de quocumque indiuiduo, secundum illam

rationem, secundum quam cum illo habet identitatem; ergo cum prædicatur conceptus iste *homo* de Petro ex naturis omnium indiuiduorum, quæ in illo conceptu vniuersali extra prædicationem præcontinebantur, tantum prædicatur natura Petri, quæ cum aliis erat confusa, quæ natura de nullo alio prædicatur, quia si conceptus ille vniuersalis de Ioanne esset dicendus, ab illo extraheretur natura cum Ioanne identificata: ergo quantumvis natura vnius indiuidui cognoscatur absque vlla differentia indiuiduali, tantum poterit de vno indiuiduo prædicari. Rem declaro: si sufficeret ad hoc vt quælibet natura posset de quocumque indiuiduo prædicari, ipsam cognosci sine aliqua differentia indiuiduali, totum quod est in hoc conceptu vniuersali *homo* posset prædicari de Petro, & non latius pateret extra prædicationem quam intra prædicationem de Petro hic conceptus *homo*: sed sic est quod non prædicatur de Petro totum, quod extra prædicationem dicit hic conceptus *homo*: ergo non sufficit naturam cognosci sine vlla differentia indiuiduali, vt posset de quocumque indiuiduo prædicari. Maiorem probô: omnis natura, quam dicit hic conceptus *homo* cognoscitur absque vlla differentia indiuiduali: ergo si ex eo, quod natura quæcumque cognoscitur absque vlla differentia indiuiduali posset de quocumque indiuiduo prædicari, omnis natura contenta in hoc conceptu vniuersali *homo*, posset de quocumque indiuiduo, & consequenter de hoc indiuiduo Petro prædicari. Non omnem naturam contentam in hoc conceptu vniuersali *homo* prædicari de Petro latè tradidi inter materiam, & vnitatem vniuersalis explicandam. Quod si dicas, omnem naturam contentam in illo conceptu vniuersali prædicari sub disunctione, in actuali prædicatione, cum dicitur, *Petrus est homo*, argumentum eandem vim obtinet, quia etsi omnes sub disunctione prædicentur, in ordine ad vnâ verificatur propositio, si enim in ordine ad omnes verificaretur, non tantum sub disunctione, sed copulatiuè posset de subiecto prædicari: ergo seclusâ illâ naturâ respectu cuius verificatur propositio, reliquæ omnes nullo modo manent prædicabiles de Petro, & tamen cognoscuntur sine vlla differentia: ergo non eo ipso, quod natura cognoscatur sine vlla differentia fiet prædicabilis de quocumque indiuiduo.

6 Arguit Hurtadus: Natura abstracta ab vno indiuiduo est prædicabilis de illo indiuiduo à quo fuit abstracta: ergo de reliquis indiuiduis illi similibus, quia illud indiuiduum non fuit magis clarè cognitum, quam cætera: ergo non est magis prædicabilis de vno, quam de omnibus. Rationem à priori reddit: ille actus est confusus de suo obiecto, quia confusione vnit omnes partes sui obiecti, quia illas non discernit: ergo per illum actum habet obiectum indiuisiōnem in se, quæ opponitur diuisioni clarè dissecanti obiectum in suas partes. Hac obiectio eò tendit, vt subiectum quæstionis destruat, si enim cognitio illa, de qua agimus æquè confusè attingit plura indiuidua; ergo cognitio illa attingit rationem abstractam à pluribus indiuiduis, quia ratio abstracta à pluribus indiuiduis nihil aliud est, quam plura indiuidua confusè cognita, vt Hurtadus defendit: ergo cognitio illa non abstrahit naturam ab vno tantum indiuiduo: ergo non datur natura abstracta ab vno indiuiduo: ergo non subsistit quæstionis subiectum, neque dicendum est naturam ab vno indiuiduo abstractam esse vniuersalem, sed non posse dari naturam ab vno indiuiduo abstractam.

7 Sic aliquando sentiebam ego, dicebamque implicare naturam abstrahi ab vno indiuiduo, & arguebam hac ratione abstrahere est confundere illa, quæ in re distinguuntur: ergo cognitio abstrahens est cognitio confundens illa, quæ in re distinguuntur: ergo cognitio abstrahens necessariò attingit obiecta in re distincta, quæ inter se confunditur: ergo cognitio abstrahens attingit plura obiecta, quæ ex vi illius confunduntur: ergo abstrahit ab illis obiectis distinctis, quæ confundit: ergo necessariò abstrahit à pluribus, vbi enim confusio distinctorum, necessariò intercedit pluralitas, sine qua distinctio nequit reperiri.

8 Ceterum re attentius inspectâ, deprehendi specie rationis non incompertè fuisse deceptum: duplex enim est cognitio confusâ; quædam representans tantum vnum obiectum in se vnum, & indiuiduum, hoc tamen ita imperfectè, vt si postea aliud obiectum ab ipso distinctum loco illius appareret ex vi aliûs cognitionis, vel per impossibile, ex vi illius,



illius, non posset intellectus discernere inter obiectum de-  
nud apparen, & antea cognitum propter imperfectionem  
vtriusque cognitionis. Alio modo potest esse cognitio  
confusa, quæ duplex obiectum attingat de facto per se  
ipsam, & neutrum ab alio discernat. Exemplum prioris co-  
gnitionis habes in Petro à longè viso, quem tantum vides;  
diceris autem confusè videre Petrum, quia si loco Petri  
substitueretur Ioannes, & inciperes videre Ioannem, &  
non Petrum, non posses discernere inter Ioannem, quem  
modò videres, & Petrum antea visum. Posterioris cog-  
nitionis exemplum esto visio terminata ad Petrum & Ioan-  
nem à longè existentes, quos adeò imperfectè vides vt pro-  
pter nimiam loci distantiam, & obiectorum approximat-  
ionem, & similitudinem, appareant sensui & intellectui, ac  
si tantum essent vnus homo, ita vt intellectus ex imperfec-  
tione visionis duos homines instar vnus apprehendat, &  
ex hac imperfecta apprehensione fundamentum desumat  
ad iudicandum obiectum sensu perceptum esse tantum  
vnum hominem. En duplicem cognitionem vtramque  
confusam, quarum vna attingit tantum obiectum in se vnū.  
& altera attingit obiecta in se plura, & instar vnus, seu eo-  
dem modo, ac si essent vnum obiectum. Ex his cognitio-  
nibus illa quæ plura attingit obiecta proprius confusa seu  
confundens dicitur, quia actu illa, quæ in se sunt distincta  
confundit. Prior verò vnum tantum obiectum attingens  
non ita propriè potest dici confundens, sed confusa dicitur,  
quia ex vi illius non poterit intellectus discernere ob-  
iectum cognitum ab alio, quod denuo incipiat apparere.  
Dicitur propriissimè vtraque cognitio non distinguens,  
quia neutra distinguit obiectum, seu obiecta in se singula-  
ria, ad quæ terminatur, ab aliis eiusdem rationis cum ipsis.  
Et hanc singularium indistinctionem essentialiter habet  
omnis abstractiua cognitio, quæ cōuenit cognitioni abstra-  
henti naturam ab vno indiuiduo, quâ ratione abstractionis  
habet ex eo, quod ita cognoscat indiuiduum, vt ex vi  
illius cognitionis non possit intellectus illud discernere  
ab alio, quod cognouerit, vel cognoscere incipiat, quod  
provenit ex eo quod illud cognoscat per operationes, qui-  
bus alias similes in quocumque alio indiuiduo cogno-  
scet. Habet insuper cognitio abstractiua per se ipsam con-  
fundere omnia illa, quæ attingit secundum illam rationem,  
à qua dicitur abstrahere, seu præcindere, quia eo ipso  
quod attingat plura, & inter illa non distinguat, illa neces-  
sariò confundit, & per modum vnus cognoscit; actu verò  
plura per se ipsam confundere non est de ratione cogniti-  
onis præcisiuæ vniuersaliter sumptæ, sed de ratione cog-  
nitionis præcindentis à pluribus.

9 Ex his ad rationem Hurtadi respondeo cognitionem  
præcindentem naturam ab vno indiuiduo tantum at-  
tingere vnum indiuiduum à cuius differentia dicitur naturam  
abstrahere, & reliqua omnia nullo modo per se ipsam res-  
picere. Instabis; natura abstracta tantum à Petro, tantum  
est prædicabilis de Petro: ergo natura abstracta tantum  
à Petro, & Ioanne, tantum poterit prædicari de Petro,  
& Ioanne: ergo vt natura possit prædicari de omnibus in-  
diuiduis debet ab omnibus abstrahi. Respondeo has om-  
nes confectiones esse legitimas, & vera omnia conse-  
quentia, & absque formidine admittenda.

10 Sit ergo firmum naturam ab vno indiuiduo abstractam  
vniuersalem non esse. Non tamen ideo danda est vnitas  
aliqua media inter vniuersalem, & particularem; sed di-  
cendum naturam abstractam ab vno indiuiduo in se habere  
vnitatem singularem, & ex parte obiecti esse positiuè  
singularem, præcipuè in nostra sententia, quæ nulla præ-  
cisionem ex parte obiecti admittit; in ordine verò ad no-  
strum intellectum neque positiuè erit singularis, neque po-  
sitiuè vniuersalis, aut aliquam positiuam vnitatem habebit,  
sed tantum negatiuam, quæ poterit dici negatiuè vniuersa-  
lis, quia habet præcisionem à differentiis, quæ requiruntur  
ad hoc vt natura denominetur vniuersalis, non tamen ha-  
bet aliud prærequisitum ad vniuersalem, videlicet in re esse  
plura, & posse in plura diuidi, quæ actu cognitione con-  
fundantur, poterit etiam dici negatiuè singularis, quia ha-  
bet hoc quod est non posse in plura diuidi, quod est de ra-  
tione singularis, & non habet in ordine ad intellectum  
præcindentem ex parte actus differentiam indiuidualem,  
cui intellectus indiuidualem attribuit.

## PUNCTVM VIII.

## Nonnulla expediuntur de natura vniuersalis.

1 Circa actum intellectus, per quem fit vniuersale, aliquæ  
difficultates occurrunt, quas breuiter percurram. Pri-  
ma esto: an vniuersale fiat non tantum per abstractionem  
negatiuam, sed per abstractionem, seu præcisionem positiuam.  
Præcisio negatiua est cognitio illa, ex vi cuius vnum præ-  
dicatū cognoscitur alio nullo modo cognito: v. g. cognitio  
respondens huic voci *animal*, quæ nullo modo rationale at-  
tingit. Præcisio positiua est illa cognitio, ex vi cuius prædi-  
cata realiter identificata per eandem cognitionem at-  
tinguntur ac si inter se distinguerentur, & essent coniuncta,  
seu vnita, vt contingit in cognitione respondentis his voci-  
bus *animal rationale*. Per abstractionem negatiuam fieri vniuersa-  
le mihi certum est, neque caput inuenio, ex quo possit op-  
positum in questionem verti, per illam enim cognitionem  
illa, quæ in re sunt plura, confunduntur, & extrinsecè sunt  
vnum. Circa abstractionem positiuam affirmo, prædicatū  
minus vniuersale, seu coniunctum cum alio, quod non sit  
minus vniuersale illo, habere eandem vniuersalitatem in  
præcisione positiua, quam in abstractione, quod sic probō.  
Prædicatum minus vniuersale, rationale, v. g. coniunctum  
cum animali in hoc complexo *animal rationale*, se extendit  
ad omnia illa, ad quæ se extenderet si non esset coniun-  
ctum cum animali, & illa significat cum eadem confusio-  
ne, seu indistinctione inter se, quâ eadem significaret, si  
non coniungeretur cum animali, quia conceptus anima-  
lis non restringit conceptum rationalis sibi coniunctum,  
cū ex se animal latius patet quàm rationale, neque dis-  
cernit rationale à rationali: ergo rationale eandem vni-  
uersalitatem habet, quando coniungitur cum animali ac  
si cum illo non coniungeretur, cū vniuersalitas consistat  
in pluralitate obiectorum, & ipsorum confusione.

2 De termino vniuersaliori coniuncto cum alio minus  
vniuersali censeo non retinere in præcisione positiua eandem  
vniuersalitatem, quam haberet in negatiua: quia con-  
ceptus animalis adiunctus conceptui rationalis in hoc cō-  
plexo *animal rationale* non supponit pro omni animali, con-  
trahitur enim per rationale adiunctum ad illa animalia,  
quæ sunt rationalia, & pro illis tantum supponit, & nō pro  
aliis, sed ex vi præcisionis negatiuæ, quâ tantum apprehen-  
deretur *animal* conceptus iste se extenderet ad omnia ani-  
malia: ergo ad pauciora se extendit animal in præcisione  
positiua, quàm in negatiua. Affirmo nihilominus non om-  
nino suam vniuersalitatem amittere conceptum illum, sed  
manere vniuersalem respectu illorum inferiorum, ad quæ  
alter conceptus minus vniuersalis se extendit, quia omnia  
sub se continet, & illa inter se confundit absque discretio-  
ne vnus ab alio. Itaque in hoc complexo *animal ratio-  
nale*, rationale retinet eandem vniuersalitatem, quam ha-  
beret si non esset animali adiunctum; & animal amittit  
vniuersalitatem, quam habebat respectu equi, & leonis,  
aliarumque specierum, & remanet vniuersale respectu Pe-  
tri & Pauli, & aliorum indiuiduorum speciei hominis, quæ  
omnia absque ipsorum discretione comprehendit, & nullo  
modo alia ab his distincta.

3 Secunda difficultas est; an actus per quem fit vniuersa-  
le attingat omnia indiuidua distinctiue, vel copulatiue.  
Hurtadus disputat. 5. Metaphysic. sect. 10. §. 157. &  
§. 179. affirmat actum illum distinctiue attingere omnia  
indiuidua, & hac ratione defendit totum vniuersale posse  
prædicari de quocumque indiuiduo, quia omnia indiuidua  
distinctiue sumpta bene possunt de vno indiuiduo præ-  
dicari, sicuti prædicantur in hac enunciatione *Petrus est ali-  
quis homo* quæ formaliter cum infra conuertitur, *Petrus  
& Ioannes, vel Paulus, vel Franciscus, &c.* Melius affir-  
mat Arriaga disput. 6. sect. 6. subsect. 2. per actum at-  
tingentem indiuidua distinctiue non posse fieri vniuersale.  
Ratio præsto adstractus disjungens indiuidua, seu infério-  
ra illa inter se distinguit, distinctio enim sine distinctione  
esse nequit, necessario enim illud, quod ab aliquo distingui-  
tur, ab eodem distinguitur: ergo actus ille non representat  
illa indiuidua vt vnum, seu instar vnus naturæ indiuisibi-  
lis: ergo actus ille non constituit naturam vniuersalem.  
Quod si dicas per actum, quo cognoscitur hic homo, vel  
ille homo, vel ille homo, non perfectè cognosci illorum



singularitates, ac proinde has inter se confundendum facit, quia etsi aliquo modo confundantur, quia perfectè non cognoscuntur, non ita confunduntur, ut non appareat distinctio singularium, & ut representantur instar vnius obiecti indiuisibilis, quod requiritur ad vniuersale constituendum. Neque alia ratio reddi potest, propter quam hi conceptus, *omnis homo, aliquis homo*, vniuersales non sint, nisi quia representant plura expressa ipsorum conjunctione, & disjunctione, quæ æquè distinctionem arguunt. Quomodo vniuersale de quocumque indiuiduo possit prædicari iam dixi, & asserui vniuersale tantum secundum hanc partem sui, de hoc indiuiduo prædicari, & secundum illam partem de illo indiuiduo, & sic accommodè per partes distributum de omnibus inferioribus prædicari.

4 Huic difficultati affinis valde est alia, an per actum iudicii fiat vniuersale, quæ alio modo inquiritur, an videlicet natura in actuali prædicatione maneat vniuersalis. Consequenter ad id, quod in difficultate præcedenti dicebat Hurtad. dicendum esset naturam manere vniuersalem in actuali prædicatione, etiam si illius subiectum sit indiuiduum, quia de illo totum vniuersale prædicaretur, si hoc diceret omnia indiuidua sub disjunctione. Nos verò consequenter ad doctrinam traditam necessariò tenemur dicere prædicatum naturæ vniuersalis secundum totum id, quod dicitur identificari cum subiecto, neque extra illud se extendere, ac proinde in hac prædicatione *Petrus est homo* prædicatum non manere formaliter vniuersale, quod sæpe dixi.

5 Difficilius est definire an quando subiectum, & prædicatum ex se sunt æquè vniuersalia utrumque suam vniuersalitatē retineat, & consequenter an quando vnum est vniuersalius alio, minus vniuersale suam retineat vniuersalitatē, & magis vniuersale illam coarctet ad inferiora alterius extremi minus vniuersalis sicuti modò dicebamus de terminis positivè prædictis.

6 Ad hanc difficultatem definiendam noto, dupliciter posse supponere subiectum propositionis. Primò simpliciter seu immobiliter secundò personaliter. Simpliciter seu immobiliter, supponere dicitur subiectum, quando non verificatur de illius inferioribus distributivè, aut distributivè sumptis, sed de toto illo immobiliter sumpto, sicuti in hac propositione *homo est species*, personaliter subiectum supponit, quando de illius inferioribus distributivè, aut distributivè sumptis dicitur prædicatum, ut in his propositionibus *homo currit, homo est rationalis* ex quibus licet inferri: ergo hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis. His præmissis assero in hac prædicatione, *homo est species*, subiectum retinere eandem vniuersalitatē, ac haberet extra illam, quia ad eadem inferiora, & æquè confusè in hac propositione, & extra illam eodem omni modo se extendit.

7 De terminis personaliter supponentibus maior est difficultas, circa quos primò statuendum est, in propositionibus quarum alter terminus afficitur signo distributivo, aut disunctivo neutrum illorum esse vniuersalem. De termino signo affecto certum est, quia termini illi extra propositionem vniuersales non sunt; ergo neque intra propositionem. De extremo altero, de rationali, v.g. in his propositionibus, *omnis homo est rationalis, & aliquis homo est rationalis*, eadem ratione probatur. Quia sicuti subiectum huius propositionis distributivè supponit, & huic æquivaleret *hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis*, & distinctionem connotat in indiuiduis tenentibus se ex parte subiecti propter illorum conjunctionem significatam signo *omni*, sic eadem distinctio significatur ex parte prædicati, quod cum subiecto identificatur eadem distributione, qua subiectum significatur, hoc rationale cum hoc homine, &c. Similiter disunctio subiecti disunctionem prædicati significat, quia cum dicimus, aliquis homo est rationalis, sensus non est hunc vel illum hominem esse rationalem ut sic, seu omnia indiuidua rationalia copulativè sumpta, sed esse hoc rationale, vel illud rationale, &c. ob eandem rationem dicendum est in propositionibus, quarum prædicatum accidentaliter de subiecto dicitur, extrema non posse esse vniuersalia, quia tunc subiectum disunctivè supponit & nunquam de toto illo copulativè sumpto, prædicatum enunciat, cum enim dicimus, homo est albus, idem formaliter est ac dicere, aliquis homo est albus, neque de collectione hominum copulativè sumpta dicimus esse albam.

8 Super est tantum difficultas de hac propositione homo est rationalis, & aliis eiusdem rationis cum ista. Per hanc propositionem naturam fieri vniuersalem defendunt Arriaga disput. 6. sect. 9. & plures alij recentiores. Ratio est, quia in illa propositione tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati confunduntur singularia, & absque distinctione prædicantur, & de tota collectione hominum significata per modum vnius prædicati collectio rationalium eodem modo significata. Alij negatiuam partem tenentur, quia in propositione illa, indiuidua tenentia se ex parte subiecti distributivè significantur, & consequenter cum distinctione, quam involuit distributio, hæc enim propositio *homo est rationalis*, & alia huiusmodi indefinitæ in materia necessaria, æquivalent vniuersalibus, quarum subiectum signo *omni* afficitur, ac proinde idem est dicere *homo est rationalis*, ac dicere *omnis homo est rationalis*, & sicuti in hac posteriori propositione subiectum vniuersale non est, sic neque in priori. Sentio utrumque sensum posse habere propositionem respondentem his vocibus *homo est rationalis*, quæ substitui possunt loco conceptus, qui significet collectionem hominum per modum vnius representatam identificatam cum collectione rationalium eodem modo significata, ex vi cuius conceptus fiet vniuersalis natura. Possunt etiam substitui loco conceptus, qui significet distributivè identitatem hominum cum rationabilibus, ex vi cuius conceptus non constituitur vniuersalis natura propter rationes posterioris sententiæ. Frequentius tamen fieri contingit posterior iste conceptus, ideo dicitur propositiones indefinitas æquivalere vniuersalibus, in materia necessaria, quod intelligendum est, quando in materia necessaria non fit prædicatio de collectione contenta sub nomine communi per modum vnius significata. Quod si ita collectum sumpta in propositione sumantur, propositio illa non æquivaleret propositioni indefinitæ, propriè loquendo, poterit tamen ratione materiz aliquo modo dici æquivalens, quia ex indefinita vniuersalis licet inferri. Idem iudicium fertur de simplici comparatione, si enim natura vniuersalis cum indiuiduis seorsum sumptis comparatur, per illam vniuersalis non fiet; si autem tota natura vniuersalis comparatur cum tota collectione indiuiduorum, ex vi huius comparationis vniuersalis euadet, ut supra dicebam.

9 De comparatione per quam fit vniuersale in dubium vertitur, an includat simplicem actum, an plures. Affirmant nonnulli includere duplicem actum, quendam ex vi cuius apprehenditur natura secundum se, per quem constituitur vniuersalis; alium per quem apprehenduntur indiuidua, ad quæ natura illa comparatur. Ratio est, quia in comparatione apprehenditur natura secundum se, quod est apprehendi omnia indiuidua confusè, & indistinctè, & apprehenduntur indiuidua seu inferiora, ad quæ natura comparatur ut inter se distincta, quod implicat fieri ex vi eiusdè cognitionis, quia eademmet cognitio non potest distinguere, & confundere eadè inferiora, aliàs eademmet inferiora distingueret, & non distingueret, confundere enim est non distinguere: ergo eo ipso, quod inferiora confundat, non distinguit illa: ergo si distinguit & confundit eadem indiuidua, eademmet indiuidua distinguet. Verius patet comparationem dicere simplicem actum, ex duplici enim non posset fieri vna comparatio, quia cognitio, quæ apprehenderet inferiora distinctè, disparatè se haberet respectu cognitionis, ex vi cuius eadem inferiora confusè representarentur. Ad rationem adductam pro opposita sententia respondeo eademmet indiuidua bis representata per eandem cognitionem ac si essent duplex obiectum distinctum semel in recto, & iterum in obliquo, posse in recto significari confusè, & non distingui, & in obliquo distingui, & significari distinctè, in quo nulla est contradictio, distingui enim indiuidua ut significata in obliquo per hanc cognitionem, & non distingui ut significata in recto, nullo modo opponuntur, sicuti non opponuntur in hac propositione, *homo est animal rationale*, partes hominis ut significatæ ex parte subiecti confundi, & non distingui, & ut significatæ ex parte prædicati distingui, & non confundi.

10 Circa potentiam, à qua fiat vniuersale, dico breuiter à Deo non fieri vniuersale cognitione immediate terminata ad naturam, seu ad indiuidua, quia Deus cognitione immediate terminata ad obiecta illa distinguit, & secundum omnem sui ultimam perfectionem intimè penetrat. An verò Deus



Deus possit facere vniuersale cognitione immediatè terminatà, ad cognitionem, ex vi cuius illam conficio, in qua cognoscat indiuidua eà ratione, quā ego eadem cognosco pendet ex difficultate, quam Theologi tractant i. part. quest. ... an videlicet dicat imperfectionem in Deo ipsum confusè obiecta cognoscere in medio, quod tantum determinat ad illa confusè cognoscenda, in qua quidam dicunt cognitionem imperfectionem inuoluere, in quorum sententia dicendum est Deum nullo modo posse facere vniuersale. Alij negant huiusmodi cognitionem aliquam in Deo imperfectionem importare, iuxta quos dicendum est, Deum posse facere vniuersale non cognoscendo in se ipsa immediatè naturam, sed in cognitione creata, ex vi cuius confusè omnia indiuidua cognoscuntur, & instar vnius naturæ indiuidua repræsentantur. Quæ harum sententiarum verior sic alienum est ab hoc opere definire.

11 Eadem ratione respondendum questioni inquirenti, an vniuersale fiat à potentia Angelica, quæ dependet ex modo, quo Angeli cognoscunt, si enim Angelo non repugnet species aliqua, ex vi quarum confusè, & instar vnius ea, quæ in re sunt plura cognoscat, non repugnabit ab Angelo per hanc cognitionem vniuersale fieri. Si verò Angelus huiusmodi cognitionem habere non possit, non poterit ab illo fieri vniuersale. An verò huiusmodi species Angelus de facto habeat, & an illi repugnet à Theologis definiendum est.

12 De nomine tantum est questio. An vniuersale possit fieri à voluntate, certum enim est voluntatem posse ferri in obiectum eadem ratione, quā ab intellectu proponitur, & propositis pluribus indiuiduis instar vnius naturæ indiuidue per cognitionem, ex vi cuius fit vniuersale, posse eademmet obiecta, ac si essent vnum, sine aliqua ipsorum distinctione amare. Ob hanc rationem quidam affirmant voluntatem facere vniuersale, quia amat obiecta, quæ in se sunt plura, ac si essent vnum indiuiduum obiectum. Alij negant ex hoc capite dici posse à voluntate posse fieri vniuersale, quia voluntas non præcindit illud obiectum, sed illud supponit præcsum. Non acquiesco huic rationi, quia etiam obiectum supponit præcsum, potest iterum, & iterum præcindi, quia præcindi nihil aliud est quàm hac ratione attingi actu intentionali, & postquam hac ratione attractum est per hunc actum, potest per alium, & alium actum eadem ratione attingi. Alij melius negant vniuersale fieri à voluntate, quia volitio quantumvis obiectum præcsum agnoscat, illud non constituit præcabile, quia ab ipsa voluntate non potest prædicari, neque immediatè ex ipsa volitione intellectui vt præcabile repræsentatur.

13 Ob eandem rationem negandum est fieri vniuersale à sensibus externis, & interno, quia sensus prædicationes non eliciunt, neque sensatio immediatè proponit intellectui obiectum præcabile, est verum fit aliquando percipere simul duo obiecta adeò imperfectè, vt instar vnius sensui appareant, vt contingit cum à longè videmus plura obiecta, in quibus distinctionem sensus non percipit, sed instar vnius indiuidui illa, quæ in se diuisa sunt intuerur.

## PUNCTUM IX.

## De predicatione actuali.

1 PREDICATIO est actus potentie prædicabilis, ideo postquam vniuersalis prædicabilitatem explicauimus ad actuale prædicationem descendimus. Prædicatio est enunciatio vnius de alio, de qua in præfati tantum agimus, quatenus his, vel illis terminis sub hac vel illa subiecti, & prædicati dispositione constat, in præfati que suscepimus explicandum, quomodo inter se in ratione subiecti, & prædicati possint & debeant termini comparari, vt prædicatio vera euadat.

2 Duplex est prædicatio; quædam directæ, alia indirectæ. Prædicatio directæ est illa, in qua subiectum est inferius, & prædicatum superius, vel si sint inæqualia prædicatum se habet per modum forme respectu subiecti, sicut in his propositionibus, *homo est animal; homo est rationalis*. Prædicatio indirectæ est, in qua prædicatum est inferius subiecto, vel si sint æqualia, subiectum ex sese habet veluti formam prædicati, sicut in his propositionibus, *animal est homo;*

Franc. de Ouedo, Philosoph. tom. I.

*rationalis est homo.* Rursus prædicatio alia est formalis, alia identica. Identica est illa, in qua subiectum non solum est idem cum prædicato, sed in qua subiectum eodem omnino modo ac prædicatum apprehenditur, vt in hac propositione, *Petrus est Petrus*. Propositio formalis est illa, in qua subiectum & prædicatum diuerso modo significantur vt in hac propositione, *animal est rationale*.

3 Cæterum in omni propositione formali est identitas inter subiectum, & prædicatum, quæ in omni propositione vera semper identificantur, vocatur autem identica propositio, quando subiectum & prædicatum obiciuntur eodem modo, quia tunc est pura identitas non solum conceptuum obiectiuorum, sed etiam formalium, in hac enim propositione, *Petrus est Petrus*, non reperitur vnus conceptus ex parte subiecti, & alter ex parte prædicati, sed idem bis repetitus, quod non reperitur in propositione formali, in qua etsi sit identitas in conceptibus obiectiuis, non hæc in formalibus reperitur. Hinc est, quod in his propositionibus formalibus, quædam sint veræ tantum ratione identitatis, quam continent obiectiui conceptus; alie verò non solum ratione identitatis, sed ratione conuenientie. Exemplum priorum sint hæc propositiones *alio est passio; iustitia Dei est misericordia*, licet non sint formales, veritatem desumunt non ex aliqua conuenientia forme ad subiectum, vel superioris ad inferius, aliisve rationis, quæ sit inter extrema, sed propter puram identitatem. Hæc autem conuenientia est vt prædicatum, & subiectum habeant aliquem ordinem, vel generis ad speciem, vel speciei ad indiuiduum, vel differentia ad speciem quam componit, vel ad genus, quod contrahit, vel forme ad subiectum.

4 Hinc inferes ad propositionem veram purè formalem tria requiri; identitatem subiecti cum prædicato; diuersum modum significandi; ordinem inter prædicatum ad subiectum, superioris ad inferius, vel subiecti ad formam siue physicam, siue metaphysicam, siue accidentalem. Hinc est quod prædicatio generis de speciebus, & speciei de indiuiduis sint formales, quia sunt prædicationes superiorum ad inferiora, & prædicationes tertij, quarti & quinti prædicabilis, quia sunt prædicationes formarum, quæ physicè aut metaphysicè subiectum afficiunt.

5 Insuper animaduertendum est terminos prædicationum aliquando esse nomina abstracta, aliquando concreta. Rursus tam concreta, quàm abstracta, quædam sunt accidentalia, alia substantialia. Concreta dicuntur, quando significantur non solum forme aut subiecta nuda, sed forma connotans subiectum, aut suppositum, vel subiectum, vel suppositum vèritum formam. Abstracta dicuntur quando significantur forme præcisæ, vt humanitas & albedo. Insuper vtraque concreta aliquando significantur substantiue per modum per se stantis, aliquando adiectiue, seu per modum alteri adiacentis. Concreta substantialia substantiua sunt homo, & equus; adiectiua animatum, & humanatum. Concreta adiectiua sunt album, & dulce; substantiua arrifex, & creator: addunt nonnulli huiusmodi complexa albedo in pariete, dulcedo in saccharo. Tandem concreta, & abstracta, quædam sunt primæ intentionis, quæ independenter ab intellectu suas habent entitates sicut homo, & humanitas, album, & albedo; quædam secundæ intentionis, sicuti genus, & species, genericitas, & specieitas. Frequens est apud aliquos vsus horum nominum substitutum, & constitutum, ne tamen vocis nouitate terrear, scito constitutum esse idem, quod concretum, quod ex forma & subiecto constituitur, seu constitutum est, & substitutum dici subiectum, quod forme subternitur.

6 Supponendum est etiam tam concreta accidentalia, quàm substantialia significata per modum adiectiui dicere subiectum in recto, & in obliquo formam, album enim idem est, ac habens albedinem, & animatum idem importat, ac habens animam. Deinde suppono concreta substantialia substantiue significata significare in recto naturam, & in obliquo substantiam, homo enim idem est ac natura humana cum substantia. Hæc propositio non est certa apud omnes, illam tamen optimè propugnat P. Valsq. tom. 2. i. partis disp. 135. num. 8. & 18. Abstineo à rationibus, quas adducit P. Valsquez, quia Theologica sunt, quandamque ad Philosophiam spectantem breuiter subiicio. Hæc est vera propositio *homo est constans corpore & animâ*: ergo id, quod ponitur ex parte subiecti est natura, & non substantia, quia de hac non dici potest constare corpore & animâ,

H 3 sicuti



sicuti de natura dicitur, prædicatum autem debet verificari de illo, quod ex parte subiecti in recto ponitur, non de illo, quod ponitur in obliquo. Item suppono concreta accidentalia substantiæ simpliciter nomine significata dicere subiectum in recto, & formam in obliquo, dicimus enim, *artifex est homo: artifex est muscus*, propter identitatem subiecti, quod signum est in recto significari, quia identitas illorum, quæ in recto significantur ex parte subiecti, & ex parte prædicati, est quæ conducit ad veritatem propositionis. Concreta accidentalia his complexis significata, *albedo in pariete, dulcedo in saccharo*, dicere formam in recto, & subiectum in obliquo per se notum est. His præmissis, de his omnibus terminis explicandum est, quomodo in propositione vera possint inter se comparari, quod iam nonnullis conclusionibus trado.

7 Dico primò: Concreta superiora, siue accidentalia, siue substantia, & inferiora de superioribus rectè prædicantur. Prior pars per se patet, natura enim superior essentialiter conuenit inferiori, ut homini esse animal, albo esse coloratum. Posterior faciliè suadet, quia quando dicimus, animal est homo, coloratum est album, idem est ac dicere aliquod animal est homo, aliquod coloratum est album. Ratio est, quia prædicatum se habet per modum accidentis ad subiectum, in propositione autem, cuius prædicatum est accidens respectu subiecti, subiectum indefinitum æquivalens particulari, ex quo oritur differentia inter prædicationem superioris de inferiori, & inferioris de superiori, quod illa possit affici signo vniuersali non ista.

8 Dico secundò: Abstracta superiora, siue accidentalia, siue substantia possunt prædicari de inferioribus, & inferiora de superioribus, hæc in propositione particulari, & illa in vniuersali. De abstractis accidentalibus conueniunt omnes, certum enim est prædicari *albedo est color*. De substantiis negant plurimi, existimant enim dici non posse, *humanitas est animalitas*; ratio disparitatis est, quia illa abstrahuntur tantum à subiecto, & non ab essentia, quæ abstractio est physica, non metaphysica, ab proinde manent albedo, & color abstracta à subiecto, metaphysicè concreta, sicut homo, & animal. Cæterum licet hæc differentia vera sit, affirmo nihilominus hanc prædicationem veram esse *humanitas est animalitas*, quod sic probo. Hæc propositio est vera *homo est animal*: ergo & ista *humanitas est animalitas*. Respondent auctores oppositæ sententiæ negando consequentiam, quia homo & animal prædicantur connotando idem suppositum, & ita ratioe suppositi communis verè prædicantur, sicuti ratione subiecti communis hæc sunt veræ propositiones *album est coloratum*, etiam si albedo non esset color, sicut hæc *album est dulce*, & sic similiter *homo est animal*.

9 In multis displicet solutio, primò quia sicuti iuxta communem sententiam quælibet pars physica habet suam substantiam physicam physicè distinctam; sic partes metaphysicè distinctæ debent habere suas substantias metaphysicè distinctas, ac proinde in homine, & animali substantia non erit metaphysicè eadem, quod eodem modo continget in humanitate, & animalitate. Secundò: si hæc propositio *homo est animal*, tantum est vera, quia humanitas, & animalitas connotant idem suppositum: ergo non est vera in sensu formali, sed tantum in sensu identico. Probo consequentiam, hæc propositio *album est dulce*, tantum est vera in sensu identico, quia non verificatur ratione formarum, sed ratione obiecti communis: ergo si hæc propositio *homo est animal* non verificatur ratione humanitatis & rationalitatis, sed tantum, quia suppositum harum formarum est commune, tantum erit vera in sensu identico, & non in sensu formali, & eodem modo dicitur, *homo est animal*, ac dicitur *Deus est homo*, sensus enim illius propositionis erit suppositum, quod est homo, est animal, sicut sensus huius est suppositum, quod est Deus, est homo.

10 Dico tertio: Abstracta differentiarum non prædicantur de abstractis generum in sensu formali, sed tantum in sensu identico, neque de abstractis aliarum differentiarum superiorum, hæc enim propositio *rationalitas est animalitas*, vel *rationalitas est sensibilitas*, tantum sunt veræ in sensu identico. Hæc conclusio constabit ex dicendis Controv. I. Metaph. Punct. 4. ubi probo differentiam infimam non includere formaliter subalternam neque genus. Idem dico ob eandem rationem de differentiis infimis respectu differentiarum subalternarum, & respectu generum. Huiusmodi

differentias illiusque rationes abstractas in sensu identico prædicari, certum est apud omnes.

Dico quartò: Abstracta non possunt prædicari de concretis substantiis, neque accidentalibus adiectiue significatis, hæc enim sunt falsæ prædicationes *album est albedo*, *animatum est anima*, quia id, quod significatur in recto ex parte subiecti, subiectum videlicet non identificatur cum prædicato. Ob eandem rationem non possunt hæc concreta prædicari de suis abstractis, non enim possumus dicere *albedo est habens albedinem*. Obiter nota de his concretis prædicari eorum substituta, rectè enim dicitur, *paries habens albedinem est paries*; corpus habens animam est corpus, ratio est, quia prædicatum identificatur cum subiecto rectè significato, etiam si non identificetur cum illo, quod indirectè significatur, quod non refert ad veritatem propositionis. Hanc doctrinam attentè obserua pro veritate plurium propositionum.

Dico sextò: Abstracta essentialia transcendentia possunt prædicari de quibuscumque concretis, dicimus enim *album est entitas*, & *homo est entitas*, ens est entitas. Hæc propositio inconcussa est apud omnes, ratio illius desumitur ex transcendentia prædicati, ratione cuius cuiusque subiecto formaliter conuenit.

Dico septimò: Abstracta substantia possunt prædicari in sensu identico de propriis concretis, & si subiectum afficiatur signo demonstratiuo erit prædicatio formalis superioris de inferiori, hæc enim est vera prædicatio *homo est humanitas*. Hanc conclusionem tradit Arriaga disp. 7. sect. 10. subiect. 2. quam efficaci ratione probo. Homo dicit in recto naturam, & in obliquo personalitatem: ergo idem est homo ac natura humana cum substantia: ergo sicut hæc propositio est identicè vera, *natura humana cum substantia est natura humana*, ita hæc erit vera *homo est humanitas*. Probo antecedens: subiectum & prædicatum secundum id, quod dicunt in recto sunt idem, & sicut ob hanc rationem hæc est vera propositio, *paries habens albedinem, vel cum albedine, vel connotans albedinem est paries*, quia etiam id, quod significatur ex parte subiecti in obliquo non identificatur cum prædicato, identificatur quod significatur in recto, sic est ista propositio, *natura humana cum substantia est natura humana*: ergo & hæc, homo est humanitas, quia in vtraque propositione idem formaliter ponitur ex parte subiecti, & ex parte prædicati.

14 Quod si subiectum afficiatur signo demonstratiuo prædicationis superioris de inferiori: faciliè suadet, quia sicuti hæc propositio *homo est homo* est idetica, & hæc est formalis, & specifica *hic homo est homo*, sic ista, *natura humana cum substantia est natura humana*, erit idetica, & hæc erit specifica, hæc natura humana cum substantia est natura humana, quia in vtraque dicit prædicatum rationem subiecti à differentiis indiuidualibus præcisam.

Dico octauò, non valere ad conuertentiam *homo est humanitas*: ergo *humanitas est homo*, quia licet in priori propositione prædicatum identificetur cum subiecto, tamen arguit à non restricto ad restrictum, in quibus non valet affirmatiue consequentia, quia homo, est tantum dicat naturam humanam in recto, dicit illam restrictam per connotatum in obliquo, ac proinde latius ex se patet prædicatum, quam subiectum in hac propositione *homo est humanitas*, & ita ad conuertentiam non dicuntur, sicut enim dicimus, *est pallium Petri*: ergo *est pallium*, non tamen licet inferri *est pallium*: ergo *est pallium Petri*, sic licet inferri *est humanitas cum substantia*: ergo *est humanitas*, non tamen licet arguere, *est humanitas*: ergo *est humanitas cum substantia*. Hæc ita distinctè exposui ne quis iudicaret inferri ex nostris principiis, quod aliqui rem non percallentes ex hac propositione *homo est humanitas* inferebant, videlicet veram esse futuram hanc propositionem, *Deus assumpsit hominem*, quæ aliena est à vera & Catholica doctrina, neque ex his quæ diximus potest inferri, quia homo dicit naturam cum substantia, & etiam si vera sit hæc propositio *Deus assumpsit humanitatem*, falsa est hæc *Deus assumpsit hominem*, quia est dicere *Deus assumpsit humanitatem cum substantia*, quod est falsum. Sed nonnulli hoc modo nobis obiciunt: homo est humanitas: ergo humanitas est idem cum homine. Sed sic est quod Deus assumpsit humanitatem: ergo assumpsit hominem. Respondeo concedendo primum antecedens, & distinguendo consequens: ergo humanitas est idem cum homine, secundum quod homo dicit in recto, concedo: secundum quod dicit in obliquo



obliquo, nego. Deinde concedo minorem, videlicet Deum assumptisse humanitatem, & distingo consequens: assumpsit hominem, secundum id quod dicit in obliquo, nego; secundum id præcisè, quod dicit in recto, videlicet secundum humanitatem, concedo.

16 Dico nonò: Hæc propositio, *humanitas est homo*, est propositio accidentalis, sicut hæc, *accidens est inherens subiecto*, quæ potest esse vera, & potest esse falsa, de facto tamen semper est vera. Prior pars probatur, quia facit hunc sensum *humanitas est natura humana cum subsistentia*, esse autem cum subsistentia, accidens est quod potest separari: ergo est prædicatio accidentalis, cui veritas, & falsitas potest contingere. De facto veram esse ex eo infero, quod nulla detur humanitas, quod non sit cum subsistentia propria, vel aliena, imò si vna tantum haberet subsistentiam, esse vera, quando terminus *humanitas* poneretur indefinitè ex parte subiecti, quia terminus indefinitè positus in materia accidentali æquivaleret particulari.

17 Dico decimò: De concretis accidentalibus substantiis simplici nomine significatis, sicuti artifex, & creator, non possunt abstracta prædicari. Hæc conclusio est per se nota, non enim dicimus *artifex est arx*: ratio à priori est, quia hæc cōcreta dicitur in recto subiectu, quod à forma distinguitur.

18 Dico undecimò: De concretis accidentalibus, quæ significantur per huiusmodi complexa *albedo in pariete, dulcedo in saccharo* rectè prædicantur propria abstracta, hæc enim est vera prædicatio *albedo in pariete est albedo*, quia dicunt formam in recto, quæ per nomen abstractum significatur, & ita prædicatum harum propositionum identificatur cum illo, quod in recto ex parte subiecti significatur. Ob eandem rationem huiusmodi concreta de propriis abstractis prædicantur, accidentaliter tamen ratione illius quod ex parte prædicati additur in obliquo, hæc enim est accidentaliter prædicatio *albedo est albedo in pariete*.

19 De terminis secundæ intentionis assero, concreta secundæ intentionis prædicari de concretis primæ intentionis, dicimus enim *homo est species animalis est genus*, ita tamen prædicata subiecta afficiunt, ut illa immobiliter faciant supponere, non enim licet prædicatum per inferiora distribui, nec possumus inferre, homo est species: ergo Petrus est species. Prædicantur item concreta secundæ intentionis de abstractis primæ intentionis, dicimus enim *animalitas est genus*, quia cum hæ sint veræ prædicationes *humanitas est animalitas: equinitas est animalitas*, animalitas se habet tanquam genus respectu humanitatis, & equinitaris. Non tamen possunt prædicari abstracta secundæ intentionis de concretis, neque de abstractis primæ intentionis, non enim potest dici *homo est species animalis est generitas*, neque *humanitas est species animalis est generitas*, aut *animalitas est generitas*. Concreta verò secundæ intentionis inter se rectè prædicantur, rectè enim dicitur *universale est genus: genus est universale, & genus est species*. Tandem dico circa concreta & abstracta secundæ intentionis inter se prædicanda regulariter easdem regulas observandas esse, quas tradidimus de terminis primæ intentionis, videndum tamen in his sæpe confundi formas cum subiectis, nam eadem formalitas, quæ modò consideratur afficiens naturam, postea consideratur affecta alia formalitate, v. g. generitas, quæ consideratur tanquam forma afficiens naturam, quam denominat genus, potest rursus considerari tanquam subiectum, cui contingit specieitas, ex vi cuius species denominatur, generitas enim species dicitur respectu huius, & illius genericitatis. Ratio est, quia cum hæ formæ, per rationem adueniant, in infinitum ferè possunt procedere, quapropter in re parum vtili non ultra procedam.



## CONTROVERSIA IV.

### *De genere.*

**R**OSTQVAM explicuimus naturam vniuersalis in communi, aggredimur iam explicationem suorum inferiorum in particulari, quæ vulgò quinque prædicabilia dicuntur, quorum primum sibi locum Genus vendicat, cuius naturam præfens Controversia explicabit.

## PUNCTVM PRIMVM.

### *Quid sit genus.*

**R**elictis variis acceptionibus huius nominis *genus*, genus Logicum, de quo nostra instituitur disputatio, primò fuit à Porphyrio definitum, *Genus dicitur, cui supponuntur species*; secundò, *Genus est quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur*. Prima difficultas quæ circa hanc definitionem occurrit est, an illa constet genere, & differentiâ; videtur enim generis non posse dari genus, aliàs genus esset species, quod videtur implicare, quia ratio generis, & speciei inter se opponuntur.

2 Affirmant nonnulli in hac definitione nullum reperi genus, quia accidentia & concreta accidentalia rectè per subiectum loco generis constitutum definiuntur. Communis veriorque sententia asserit in hac definitione reperi verum genus, & generis posse dari genus, quod sic euinco. Genus habet hoc quod est taliter prædicari de suis inferioribus: ergo in genere reperiuntur duo conceptus, primus est esse prædicabile de inferioribus, qui communis est quinque prædicabilibus; secundus est taliter prædicari de inferioribus, per quem differt formaliter à reliquis prædicabilibus, & in ratione generis constituitur: ergo genus species quædam est respectu cuius vniuersale se habet tanquam genus: ergo rectè poterit per proprium genus, & propriam differentiam explicari.

3 Difficultas primò proposita, & aliæ eiusdem rationis, quæ in hac re molestè obiciuntur, expeditam solutionem habent, si rem attentè inspicias. Respondeo id, quod est essentialiter genus posse accidentaliter speciem denominari per aliam secundam intentionem, quæ accidentaliter illi contingit, sicuti homo qui essentialiter tantum est animal rationale, potest accidentaliter species denominari, quod accidit generi, hoc enim essentialiter est genus, & dicit concretum quoddam constitutum per cognitionem confundentem plures species, sicuti species dicit concretum aliud constitutum per cognitionem aliam confundentem plura indiuidua, quæ rationes essentielles sunt generi, & speciei. Iam ergo genus, & species sic essentialiter constituta possunt confundi per aliam cognitionem reflexam, ex vi cuius absque vlla distinctione vtrumque cognoscatur significatum per hunc conceptum vniuersale, ex vi cuius cognitionis ab illis ratio quædam abstrahetur, respectu cuius veluti species se habeant. Cum verò accidentale sit generi ita confundi per illam cognitionem, quam terminat simul cum specie, quia ex se tantum petit tanquam formam cognitionem confundentem species, & non aliam ad ipsum terminatam, per quam confundatur; hinc est quod accidentaliter denominatio speciei generi conueniat, & non per eandem formam, quia genus constituitur essentialiter per cognitionem confundentem speciem quam intrinsecè includit in ratione generis, & denominatur species per formam extrinsecam, videlicet per cognitionem ad ipsum terminatam, ex vi cuius confunditur cum aliis prædicabilibus, & cognoscitur vniuersale tanquam obiectum, & hoc constituit formaliter genus respectu primi prædicabilis, & reliquorum prædicabilium, quæ omnia sunt species vniuersales.

4 Ex his inferes genus non ita opponi cum specie, ut generi iam essentialiter constituto non possit alia forma extrinseca accidere, ratione cuius denominetur species, sed tantum opponi secundum formas essentialiter constitutivas vtriusque, ita ut implicet per eandem formam constitui formaliter genus, & speciem, & essentialiter non differre formam constitutiuam generis, & constitutiuam speciei.

5 Ex hac doctrina respondebis alij argumento, quod multum negotij recentibus Dialecticis facessit. Sic obicitur: Genus definitur per genus: ergo definitur per se ipsum, quod implicat, quia definiri nihî aliud est quam explicari, nihil autem potest per se ipsum explicari. Respondeo genus, neque aliud quodvis definitum non definiri, neque explicari per genus, sed per naturam,

H 4 cui



cui accidentaliter contingit ratio generis. Exemplum fit in definitione hominis, quæ rationem hominis explicat per conceptum animalis secundum se sumptum, seclusâ omni alia ratione superadditâ animali secundum quam rationem animal formaliter non est genus, quia animal constituitur formaliter in ratione generis per formam extrinsecam, videlicet per abstractionem, ex vi cuius animal cognoscitur sine homine, & equo, quæ est cognitio confundens hominem, & equum. Sic contingit in definitione generis, ex vi cuius genus non definitur per genus, sed per prædicabile imbibitum in ipso genere, cui postea accidit denominatio generis, cum enim genus definimus, non dicimus *genus est genus de pluribus specie distinctis*: Sed genus est prædicabile de pluribus specie distinctis, cui conceptui prædicabilis in ipso genere imbibito accidentaliter conuenit ratio generis quatenus per cognitionem reflexam à genere abstrahitur, & confusè cognoscitur cum reliquis prædicabilibus, sicuti animali imbibito in homine, per quod essentia hominis explicatur, accidentaliter conuenit denominationi generis quatenus ab homine abstrahitur, & confusè cum reliquis animalibus cognoscitur.

6 Eadem ratione fit conceptum vniuersalis, qui secundum suam rationem essentiali latius patet genere, & est id, per quod genus explicatur, accidentaliter fieri inferius ipso genere quatenus illi contingit denominatio generis, quæ non est de conceptu quidditatio vniuersalis, quia vniuersale ex se, per quod genus explicatur, abstrahit à differentia constitutiva generis, & speciei, sicuti animal à rationali & inanimabili: est ergo vniuersale secundum conceptum quidditatio essentiali vniuersalis præcisè sumptum, natura quæ latius patet genere, & per quam genus explicatur, & ratione differentie generis, quæ illi accidentaliter accidit respectu quinque prædicabilium fit inferius ipso genere, quia formaliter vt denominatum tali differentia iam contrahitur ad tale genus, & non potest conuenire speciei, sicuti animal vt genus formaliter, non potest conuenire homini, aut equo. Quod verò vniuersale formaliter vt superius, & vt genus continetur sub aliqua specie, videlicet sub primo prædicabili, non est ex eo præcisè quia ab illo abstrahitur, animal enim formaliter vt superius, & vt genus sub nulla specie à qua abstrahitur continetur, sed quia denominatio generis, quæ contingit rationi vniuersalis abstracte ab omnibus prædicabilibus, constituit quoddam singulare genus, à quo, & à reliquis omnibus generibus abstrahit primum prædicabile, quod est species vniuersalis sub se continens tanquam propria indiuidua hoc & illud genus.

7 Secunda difficultas est, quid importet genus in eo quod quid prædicari. Prædicari in quid dicit prædicari essentialiter, quia dicit prædicari tanquam quidditas subiecti, quidditas autem rei dicit illius essentialiam. Ex quo differt à proprio, & accidenti. Prædicari autem in eo quod quid, sentiunt nonnulli esse prædicari per modum partis materialis, seu per modum materie, quam in concretis quod appellare solemus. Ex hoc capite asserunt recentes isti genus differre à specie, & differentia, quia species prædicatur tantum in quid, quod est prædicari essentialiter & non vt partem, & consequenter vt totum, à differentia, quæ prædicatur in quale quid, quod est prædicari vt partem formalem essentiali, quia prædicari in quale, dicit prædicari vt partem formalem.

Non inficior genus ex eo differre à reliquis prædicabilibus, quia prædicatur tanquam pars materialis de suis inferioribus; ceterum gratis sibi fingunt hanc rationem partis exprimi per illam particulam quod appositam in definitione generis, neque id tantum sine fundamento contingunt, sed expresse contra Porphyrium, qui capite tertio de specie, speciem his verbis definiuit: *Species est quæ de pluribus differentibus nunciat in eo, quod quid est prædicatur*. Ex qua definitione clare euincitur particulam quod partem materiale non significari, siquidem species non vt pars materialis, sed vt tota quidditas prædicatur. Neque ratio aliqua ex ipsa rei natura, aut loquendi modo inuenitur potest ad asserendum particulam quod significari partem materiale, præcipue totius metaphysici, quod æquè dicit in recto genus & differentiam, quæ se habent insar materie, & forme, homo enim æquè dicit in recto conceptum animalis, & conceptum rationalis. Dicitur ergo prædicari in eo quod quid prædicari tan-

quam id, quod est quidditas subiecti, quod dicit prædicatum subiecto essentiali, & æquè conuenit generi, speciei, & differentie, quia hæc non differt à duobus prædicabilibus ex eo quod prædicatur in eo quod quid, quia prædicari in eo quod quid nihil addit supra prædicari in quid, quod conuenit differentie, sed quia differentia non prædicatur in quid purè, sicuti duo priora prædicabilia, sed in quale quid.

Melius dicitur prædicari in quid esse prædicari essentialiter, & prædicari in quale esse prædicari per modum partis formalis quæ non opponuntur, cum confluant in differentiam, quæ prædicatur essentialiter, & per modum partis formalis, & ideo dicitur in quale quid prædicari. Iuxta hanc explicationem prædicandi in quid, prædicandi in quale, genus & species prædicantur in quid purè, quia prædicantur essentialiter, & non per modum partis formalis, & proprium, & accidens prædicantur in quale purè, quia prædicantur per modum partis formalis, & non prædicantur essentialiter. Restat modò aliquod caput assignandum, ex quo possumus cognoscere, quando prædicatum per modum partis formalis de subiecto dicitur, quod breuiter tradam. Quotiescunque prædicatum accidentale est subiecto, prædicatur per modum partis formalis siue nomine substantiuo, siue adiectiuo significetur, quia tale prædicatum dicit pro formali accidens, quod essentialiter habet esse partem formalem concreti, seu compositi, ad quod ordinatur, quia omne accidens essentialiter habet rationem forme respectu subiecti, cui conuenit. Ex hoc inferes has prædicationes *Petrus est albus*, & *Petrus est artifex*, seu *Petrus est efficiens*, seu *effector* æquè esse in quale, etsi subiectum prioris nomine adiectiuo, & posteriorum subiecta nominibus substantiuus exprimantur. Cum verò prædicatum est essentiali indifferens est vt sit pars formalis, vel pars materialis, aut totum, & ita tunc videndum est, an significetur nomine substantiuo, vel adiectiuo, quod si nomine adiectiuo significetur, dicendum est significari per modum forme, quia significatur per modum alteri adiacentis, quod proprium est forme, quæ subiecto adiacet. Si verò significetur nomine substantiuo dicendum est non prædicari tanquam partem formalem, quia significatur per modum per se stantis, quod proprium est totius, & partis materialis, seu materie.

10 Proprium modum prædicandi generis, qui est prædicari per modum partis materialis, censuo explicari per hoc, quod est prædicari in quid purè de pluribus differentibus specie, quia eo ipso, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, non potest prædicari tanquam tota essentia, quia tota essentia vnius speciei nequit esse communis alijs specie, & ita prædicatum huius speciei quod alijs est commune, non est tota essentia huius speciei, quia alijs specie conuenit, neque tota essentia alijs, quia conuenit huic. Infertur ergo genus non prædicari vt totam essentiam, ex eo quod prædicatur de pluribus differentibus specie, infertur etiam quod prædicatur essentialiter ex eo quod prædicatur in quid, & consequenter infertur, quod prædicatur vt pars essentialis, quia quod essentialiter prædicatur, & non vt tota essentia, necessariò prædicatur vt pars essentialis. Vltimò infertur non prædicari, vt partem formalem ex eo, quod prædicatur in quid purè, & pars formalis prædicatur in quale quid, & consequenter prædicari vt partem materiale, quia ex partibus tantum materialis in quid purè, & formalis in quale quid prædicantur.

11 Clariùs essentia generis definiretur quod prædicatur de suis inferioribus vt pars materialis. Per quam definitionem primâ terminorum apprehensione explicatur id, quod per longos discursus debemus inferre, & per id quid, & quod satis inuoluntè traditur, in hoc enim quod est de inferioribus prædicari conuenit genus cum reliquis prædicabilibus, & per hoc quod est prædicari per modum partis materialis differt à reliquis omnibus, quia species prædicatur vt tota essentia, & tria posteriora prædicabilia prædicantur vt partes formales. Vitatur etiam hac definitione vitiosus circulus, qui solet committi definiendo genus per differentiam, & differentiam per genus.

12 Inquirunt multi quod sit definitum huius definitionis, quos accusat neoterics quidam quasi serid in scholis interrogantes eodem modo, quo solemus puerulos simplices interrogare, quis pater filiorum Zebedæi? quodnam enim in definitione



definitione generis præter ipsum genus poterit esse definitum; Veruntamen non omnino contemnenda est interrogatio, petit enim quid intelligatur nomine generis cum dicimus per hanc definitionem genus definiti, & quod sit subiectum, cui hæc definitio conuenit, & ex vi illius definitum dicitur.

13 Duo enim dicit genus naturam, & secundam intentionem, & in his dubium est cui definitio conueniat, an naturæ, an secundæ intentioni, an concreto ex natura, & secundæ intentione resultanti, sed adhuc in hac questione vix mihi videtur posse contentionem locum dari, quia apud omnes certum esse debet definiti id, quod formaliter est genus, per hanc enim definitionem respondemus inquirenti, Quid est genus, & dicimus genus est quod prædicatur, &c. cum autem inquirimus, quid sit concretum aliquod accidentale, non rectè respondemus explicantes quidditatem subiecti, ineptè enim quis responderet inquirenti, quid est quantum, definiendo materiam primam, quæ est quantitatis subiectum. Quod si Scotus, quem sui sequuntur, asserat per hanc definitionem per se & in recto definiti secundam negat sententia, quæ asserit hanc definitionem non conuenire in recto secundæ intentioni, sed concreto, quod in obliquo secundam intentionem importat, ideo est, quia Scotus quest. 8. vniuersalem affirmat omnia concreta accidentalia importare in recto formam accidentalem, & in obliquo subiectum, & reliqui auctores, qui ab Scoto discedunt, asserunt concreta accidentalia dicere in recto subiectum, & in obliquo formam; omnes tamen in eo consentiunt, quod hæc definitio concreto accidentali constituto ex natura & forma accidentali conueniat, & eadem ratione applicari naturæ, & secundæ intentioni, quæ in concreto continentur, quia immediatè definitio de toto concreto prædicatur, & toti concreto primariò, & per se conuenit. Ratio est clara cum definitur genus, non explicatur natura animalis secundum se sumpta, hæc enim per viuentis sensibile deberet explicari, sed per hoc quod est prædicari de pluribus, quod illi est accidentale, & extrinsecum. Secundò conceptus obiectiuus explicatus per definitionem formalem non debet esse omnino contingens, & per accidens se habens respectu definiti; sed conceptus obiectiuus est omnino contingens, & per accidens se habet respectu naturæ secundum se sumptæ, cui accidentaliter, extrinsecè, & per accidens conuenit prædicabilitas respectu suorum inferiorum: ergo natura secundum se sumpta, non potest esse definitum huius definitionis.

14 Secundam intentionem secundum se sumptam, naturæ seclusa, non definiti per hanc definitionem, quod vulgò dicitur Caietanum docuisse cap. de genere, qui forsitan à Scoto non dissentit, haud difficiè probatur. Secunda intentio secundum se sumpta non est prædicabilis de suis inferioribus: ergo secundæ intentioni non conuenit hæc definitio. Deinde secunda intentio per se ipsam non est genus, neque denominatur genus, potius est generitas, quæ naturam genus denominat, ergo siue definitur, quod formaliter est genus, siue definitur, quod genus denominatur, non definitur secunda intentio, quæ neque formaliter est genus, neque denominatiue genus dicitur.

15 Standum ergo est communi sententiæ asserenti per hanc definitionem explicari concretum constitutum ex natura & secundæ intentione, quod dicitur prædicabile. Rationem huius conclusionis omnibus communem instituo. Illud est formale definitum cuiuscumque definitionis, cui formaliter conuenit definitio. Sed definitio formaliter conuenit concreto ex natura & secundæ intentione constituto: ergo hoc concretum est formaliter definitum. Minorem probò: natura secundum se non est prædicabilis, sed constituitur prædicabilis per secundam intentionem: ergo prædicabile formaliter dicit concretum ex natura, & secundæ intentione, sicut album dicit formaliter concretum ex pariete, & albedine constitutum, ex pariete tanquam ex subiecto, & ex albedine tanquam ex forma: ergo id, quod est prædicabile formaliter de pluribus per modum partis materialis est concretum ex natura, & secundæ intentione resultantem: ergo hoc est, cui formaliter conuenit definitio generis, & quod formaliter definitur.

16 Vulgare argumentum est ad probandum naturam tantum esse definitum huius definitionis, naturam tantum identificari cum suis inferioribus, ac proinde hanc tan-

tum de illis prædicari, quia id tantum de subiecto dicitur, quod cum subiecto identificatur. Ex quo inferitur naturam tantum esse prædicabilem de inferioribus, & consequenter ipsam tantum esse genus, quod est formaliter id, quod prædicatur, & est prædicabile de suis inferioribus. Vulgari argumento vulgaris solutio est, naturam prædicari vt quod, & secundam intentionem prædicari, vt quo, hoc est esse rationem formalem prædicandi. Veruntamen solutio ista obscura est nimis, & rem non omnino dirimit, videtur enim rationem formalem prædicandi esse rationem formalem, ex vi cuius prædicatum conuenit subiecto, & cum hæc non sit secunda intentio, adhuc ista ratio formalis prædicandi videtur non esse dicenda, & consequenter neque prædicatum vt quo, ideo placet clarioribus terminis difficultatem dirimere, huiusque materiæ veram doctrinam propalare.

17 In primis in memoriam reuocandum est vniuersale, & consequenter genus, quod species quædam est vniuersalis, non esse actum prædicatum, sed prædicabile, imò eo ipso, quod actum prædicatur de inferioribus non manere vniuersale, sed destrui illius formam, quæ est vnitas, quia prædicatio cuiuscumque vniuersalis de suis inferioribus, est diuifio ipsius vniuersalis in sua inferiora, ex vi cuius prædicationis, seu diuifionis destruitur illius vnitas, & vniuersalitas, & iam non manet vnum, & vniuersale, sed plura singularia. Consequenter ad hanc doctrinam diximus Controuersiâ præcedenti vniuersale formaliter vt vniuersale non prædicari, sed esse prædicabile, quod per ipsam prædicationem destruitur, sicut diuifibile per ipsam diuifionem definit esse diuifibile. Ex hoc inferes rationem formalem vniuersalis, seu prædicabilis de pluribus, quæ est quo generis, seu id, per quod genus formaliter constituitur non esse quo actualis prædicari, neque ad ipsius constitutionem pertinere, sed tantum ad ipsum præsupponi. Deinde ex eadem doctrina inferitur nullo modo, neque vt quod, neque vt quo actum prædicari id, quod formaliter est prædicabile, formaliter vt tale, sed subiectum, quod denominatur prædicabile per secundam intentionem, cum qua constituit prædicabile formaliter, iam nudum hac secunda intentione, & prædicabilitate actum prædicari secundum id, quod materialiter includebat concretum prædicabile, quod per prædicationem actualem destruitur, sicut destruitur diuifibile per diuifionem.

18 Ex hac doctrina facilè respondeo secundam intentionem neque vt quod, neque vt quo actum prædicari, hoc est, non esse prædicatum, neque formam, qua prædicatum constituitur, nihilominus esse formam quæ constituitur prædicabile de inferioribus per modum partis materialis, quod est definitum huius definitionis, genus enim non est prædicatum de pluribus differentibus specie sed prædicabile de pluribus differentibus specie, neque ita est prædicabile, quod quatenus tale est actum prædicatur, seu actum sit prædicatum, sed quod est prædicatum secundum sui partes & quod per actualem prædicationem, formaliter amittit prædicabilitatem de pluribus, & vniuersalitatem, sicut lignum est diuifibile, & formaliter vt diuifibile includit vnionem, licet formaliter vt diuifibile, & vt includens vnionem non sit actum diuifum, potius vt diuifum, dicit negationem vnionis, quæ nunquam vt talis est diuiditur, sed definit esse per diuifionem, nihilominus formaliter pertinet ad diuifibile, vt diuifibile est, & cum diuifibile definitur non tantum definiuntur partes secundum se, quæ actum diuifæ remanent, & separate, sed hæ partes vt includentes vnionem. Sic prorsus contingit in genere, & in quocumque prædicabili, quod formaliter vt prædicabile est vnum includens tanquam vnionem secundam intentionem, quæ non prædicatur vt quod, sed constituit vt quo prædicabile vt prædicabile de pluribus, & vt vnum, quod per prædicationem actualem amittit prædicabilitatem de pluribus, & vnitatem, quam habebat per secundam intentionem.

19 Argumenta, quæ contra nostram sententiam obici solent leuis sunt momenti: vnum est, per definitionem hanc non explicari essentiam aut passionem naturæ, ex quo inferri intenditur nullo modo esse definitum huius definitionis. Respondeo per hanc definitionem non explicari essentiam, aut passionem naturæ secundum se, explicari tamen essentiam concreti resultantis ex natura, & secundæ intentione, & ita hoc concretum esse definitum talis definitionis, quod essentialiter includit naturam. Alterum argumentum est concretum ex natura, & secundæ intentione



tione esse quoddam aggregatum per accidens, cuius non potest dari definitio, ac proinde dici non posse tale concretum esse definitum huius definitionis. Respondeo de Concreto omnino per accidens, cuius partes nullum habent ordinem, neque respectum saltem extrinsecum non posse dari definitionem aliquam, neque de concreto accidentali includente materiam, & formam spectantes ad diversa predicamenta, etiam cum vnione, & ordine inter se non posse dari vniam definitionem, quæ quidditatiuè explicet naturam cuiuscumque partis secundum se sumptæ vt condistinctæ ab alijs; posse tamen dari definitionem, quæ explicet essentiam partium præcisè quatenus formaliter conducunt ad illud totum, & quæ explicet totum, quod ex illis componitur formaliter sumptum, sic definiuntur exercitus, musica, Respublica, & alia huiusmodi tota. Neque contra hanc doctrinam aliud argumentum alicuius momenti inuenio.

## PUNCTUM II.

*An genus predicetur vt pars vel vt totum potentiale vel actuale.*

1. **Q**uestionem leui momenti leui operâ peragam. Genus potest considerari vt totum quoddam actu compositum ex alio genere superiori, & ex differentiâ animal, v.g. ex viuente, & ex sensitivo, sub qua ratione dicitur totum actuale. Hæc ratio non pertinet ad constitutionem generis neque ad illius rationem formalem, quia genus supremum, quod propriè est genus hac compositione caret. Secundò conceptus animalis formaliter, & intrinsecè non dicit talem compositionem, sed tantum extrinsecè, vt probabo Controv. 6. Punct. 2. n. 6. & seq.

2. Genus totum, potentiale dicitur, quæ denominatio optimè potest illi competere, quatenus est quoddam totum, quod in potentia continet plures species, & quatenus potest in illis reperiri, & per illarum differentias contrahi. Sub hac etiam ratione pars specierum potest dici, non actu illas componens, sed potens illas componere, quia licet totum dicatur respectu illarum, quia omnes illas in se includit, & ultra quamlibet in particulari se extendit ad aliam, & ad omnes ita vt non latius pateant omnes species simul sumptæ, quàm genus, quod proprium est totius, quod se extendit ultra quascumque sui partes, in quibus non illarum tota collectio continetur cum qua iuste commensuratur, nihilominus eatenus potest ad quamcumque speciem contrahi, quatenus potest coniungi cum differentia constitutiva illius speciei, & sub hac ratione potest dici pars potens componere quamcumque speciem. Neque illa ratio totius potentialis, cum hac ratione partis opponitur, quia sub diuersis rationibus genus dicitur totum, & dicitur pars: totum dicitur in ordine ad extensionem specierum, quatenus ultra hanc, & illas, ad alias potens est se extendere quovis cum omnium collectione adequatè commensuretur; pars verò dicitur quatenus potens est contrahi in ordine ad quamcumque speciem, & quatenus potest adiungi cum differentia constitutiva talis speciei, & cum illa speciem constituere, & componere ea ratione, quâ species potest dici composita. Potest etiam genus totum potentiale dici respectu specierum, quatenus pro materiali speciebus omnibus constat, ex quibus componitur; possunt autem species istæ dici partes potentiales, & genus totum potentiale denominari, quatenus sub distincto specierum conceptu actu non continentur in toto, quo inter se per conceptum generis confunduntur, sed tantum sub hoc expresso conceptu dicuntur esse in potentia in genere, à quo possunt extrahi, & diuiso genere distinctè vt membra diuidentia, quæ partes sunt totius, cui contigit diuisio, sub expresso conceptu distinctè cognosci.

3. Rationes istæ totius potentialis, & partis potentialis generi conueniunt, vt genus est, quia de essentia generis est posse se ad omnes species extendere per predicationem, quod est posse de omnibus prædicari, & posse quamcumque speciem componere, quod est contrahi per differentiam illius speciei constitutivam, ex quo infero genus esse prædicabile vt est totum potentiale, & pars potens componere omnes species, quia hæc habet vt genus, & vt genus est prædicabile de pluribus speciebus. Infero si-

militer genus in actuali predicatione non retinere rationem totius potentialis, quia per actuale predicationem contrahitur ad hanc speciem, de qua prædicatur, & iam non manet sub illa ratione, sub qua prædicatur commune alijs speciebus. Eadem ratione inferitur non manere genus in actuali predicatione partem potentem componere species alias distinctas ab illa, à qua prædicatur, siquidem secundum rationem, secundum quam, per predicationem coniungitur cum differentia huius speciei, de qua prædicatur, non potest coniungi cum alijs differentiis. Ex quibus fit genus non prædicari vt totum potentiale, neque vt partem potentem componere plures species; sicuti non prædicatur vt genus, neque vt vniuersale, sed predicationem generis tantum posse dici esse predicationem totius potentialis, & partis potens componere plures species, eo sensu quo dicitur eandem predicationem esse predicationem generis, & vniuersalis, hoc est, naturæ, quæ ante predicationem actualem cum alijs confusa denominabatur totum potentiale, & pars potens componere plures species, & quæ in actuali predicatione ex parte prædicati, quod in actuali predicatione contrahitur, præcisè sumpti eadem ratione significatur, quâ ante actualem predicationem, & contractionem factam, ex vi illius significabatur.

4. Infero similiter genus, quod ante actualem predicationem erat pars potens componere per predicationem actualem constitui partem actualem metaphysicam speciei, quam componit. Ratio est quia posse componere plures species nihil aliud est quàm posse contrahi per plures differentias, cum quibus plures species constituatur; ergo componere actu plures species erit contrahi per plures differentias ad plures species: ergo componere hanc speciem erit contrahi per hanc differentiam ad hanc speciem: sed contrahi per hanc differentiam ad hanc speciem est prædicari de hac specie: ergo per predicationem actualem quæ est contractio, constituitur genus actu speciem componens. Secundò genus componere speciem, eo modo quo illam componit, de quo dicam disputans de differentia, nihil aliud est, quàm coniungi cum differentia, quam simul cum genere includit species tanquam sui partem essentiali: sed per predicationem coniungitur genus cum differentia: ergo per predicationem constituitur pars actualis.

5. Concludo ex his genus prædicari vt partem actualem de specie, quod non ita intelligendum est, vt predicatione terminetur ad ipsam rationem formalem partis vt actu componentis, seu ad ipsam actualem compositionem, sed ad partem secundum se, quæ constituitur actu componens per ipsam predicationem. In hoc sensu potest dici genus vt partem potentialem, & vt totum potentiale prædicari de specie, hoc est predicationem generis de specie terminari ad naturam, quæ ad ipsam predicationem supponebatur vt pars potentialis, & vt totum potentiale, & constituitur per ipsam predicationem pars actu componens, eâ ratione quâ diuisio terminatur ad totum, quod ad diuisionem supponebatur vnitum, & per diuisionem constituitur non vnitum, sed diuisum. Hac ratione componi poterunt diuersæ opiniones circa hanc questionem, opinio enim, quæ asserit genus prædicari vt totum potentiale, & vt partem potentem componere, vera est, si intelligatur de genere sub illa ratione, quâ supponitur ad predicationem, sicuti verum est dicere, diuisionem terminari ad totum vnitum, si sermo sit de toto quatenus ad diuisionem supponitur. Opinio autem quæ asserit genus non prædicari vt totum potentiale, neque vt partem potentialem, sed vt partem actualem, vera est, si intelligatur de genere sub illa ratione, sub qua constituitur ex vi predicationis, sicuti loquendo de diuiso sub ratione, sub qua constituitur ex vi diuisionis verum est dicere, non terminari ad totum vnitum, sed ad totum scilicet in membra diuidentia.

6. Partem metaphysicam, quæ ex eo pars dicitur, quod non dicat expressè quidquid totum, dicere confusè quidquid dicit totum, est certum apud omnes, in hac enim predicatione *homo est animal*, ethi rationale non expressè ponatur ex parte prædicati, confusè continetur in illo, & ob hanc rationem potest dici genus prædicari vt totum confusum de specie, quia omne prædicatum saltem confusè dicit quidquid continet subiectum, aliàs prædicatio non esset vera, sicuti non est vera prædicatio *homo est caput*, quia homo præter caput dicit partes alias, quas neque distinctè, neque



neque confusè dicitur caput, in quo sensu potest dici genus, & quicumque partem metaphysicam de specie ut totum consulum prædicari, quod non opponitur cum hoc, quod est prædicari ut partem, quia rectè potest idem prædicatum dici pars secundum rationem in illo destinatè significatam præcisè sumptam, & dici totum secundum rationes in illo distinctè, & confusè significatas.

PUNCTUM III.

*An genus essentialiter requirat plures species.*

**F**ert communis sententia genus requirere essentialiter plures species, sine quibus non potest subsistere, quia ex eo ab specie differt, quod genus prædicetur, seu fit prædicabile de pluribus speciebus, & species de pluribus individuis. Oppositam sententiam amplectuntur recentiores non pauci, quam sic probant. Ex eo quod prædicatum animalis esset prædicabile de pluribus individuis esset vniuersale, quia vniuersale tantum requirit plura inferiora, insuper distingueretur ab homine, quia homo prædicatur de Petro, & Ioanne tanquam tota essentia, & animal ut pars materialis essentia: ergo casu, quo tantum essent humana individua, homo, & animal essent vniuersalia, & prædicabilia respectu illorum, homo ut tota essentia, & animal ut pars materialis essentia: ergo differrent hæc duo prædicabilia, eadem ratione, quâ modò differunt: ergo homo esset species, & animal esset genus, quod constituitur ex eo præcisè quod prædicetur de pluribus per modum partis materialis, & non per hoc quod est prædicari de pluribus numero, vel specie differentibus. Confirmatur: genus subalternum & supremum prædicantur de pluribus differentibus genere, & genus infimum tantum prædicatur de pluribus differentibus specie, & nihilominus non constituunt distincta prædicabilia, neque diuersum modum prædicandi habere dicuntur, quia tam supremum genus, quam subalternum, & infimum prædicantur ut partes materiales: ergo non ex eo quod prædicetur genus de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero differunt inter se hæc prædicabilia, sed ex eo quod genus prædicetur ut pars materialis, & species ut tota essentia: ergo eo ipso quod genus ut pars materialis fit prædicabile de pluribus, quicumque illa sint retinebit rationem generis: ergo animal respectu indiuiduorum eiusdem speciei, de quibus per modum partis materialis prædicatur, poterit esse genus: ergo seclusa quacumque alia specie rationem generis retinebit.

**H**oc argumento conuincor asserere animal retenturum rationem generis, eo ipso quod esset prædicabile de pluribus individuis eiusdem speciei per modum partis materialis, etiamsi de aliis non esset prædicabile, sentio tamen implicare prædicatum, quod possit per modum partis materialis prædicari de pluribus individuis vnius speciei, & non de pluribus speciebus, & indiuiduis distinctarum specierum. Et ex hoc capite affirmo genus essentialiter requirere plures species, à quibus abstrahatur ut pars materialis, quia ratio partis materialis non nisi à pluribus speciebus potest abstrahi. Rationem partis materialis non nisi à pluribus speciebus posse abstrahi sic probo. Casu quo tantum cognosceremus animalia naturæ rationalis, v. g. Petrum, Ioannem, & Franciscum, prædicatum animalis non latius pateret, quam prædicatum hominis, sed se haberent ut omnino aequalia, sicuti modò se habent intellectuum, & volituum, in quibus nullum dicimus esse superius altero, quia nullum intellectuum cognoscimus, quod non sit volituum, neque volituum, quod intellectuum non sit: ergo tunc rationale non contraheret animal. Probo consequentiam: illud quod contrahitur debet esse superius illo, ad quod contrahitur, sed animal tunc non esset superius homine, aut rationali: ergo tunc non contraheretur ad hominem per rationale: ergo ex hoc capite animal non se haberet ut materia, neque ut pars materialis respectu hominis. Secundò in illo casu rationale, & sensitiuum æquè paterent: ergo nullum esset caput ex quo posset dici supponi concretum constitutum per sensitiuum, videlicet animal, tanquam partem materialem contrahibilem per rationale: ergo nullum esset caput, ex quo posset dici animal esse partem materialem, cui rationale adiaceret. Rem intueri in differentiis intellectui, & voli-

tiui, quarum neutra dicitur constituere concretum se habens per modum partis materialis, cui tanquam pars formalis altera adiaceat, non enim principium intellectuum substantiuè sumptum se habet tanquam materia, cui adiaceat volituum adiectiuè sumptum, quod ex eo est quod æquè patet vtrique differentia, & inter se nunquam separantur: si enim agnosceremus vnum principium potens intelligere, non potens amare, & alterum potens intelligere, & amare, principium intelligens se haberet tanquam genus, & pars materialis, cui adiaceret differentia volitui.

Sentio in prædicto casu, quo tantum cognosceremus indiuidua humana, à quibus posset abstrahi ratio animalis, tunc differentias sensitiui, & rationalis futuras esse inadæquatas, & vtramque in vnam simplicem, & adæquatam esse confluram, ex vi cuius constitueretur species infima hominis, quæ tunc vltimò constitueretur per principium sentiendi, & ratiocinandi, sicuti modò constituitur principium intelligendi, & amandi, & sicuti modò vno simplici nomine *rationalis* significamus differentias inadæquatas intellectui, & volitui per modum vnius differentie indiuisibiliter constitutis speciem infimam hominis, sic in illo casu ex rationali, & sensitiuo tanquam ex duplici differentia inadæquata coalesceret vna simplex adæquata differentia constitutis vnam speciem infimam, cui differentie totali aliud tertium nomen impertiretur, quod per modum vnius adiectiuè significaret principium sensationum, & ratiocinationum. Moueor ad hanc conclusionem, quia nullum aliud est caput, ex quo possumus cognoscere differentias adæquatas, & inadæquatas, nisi ex separatione aut inseparatione operationum, neque rationem aliquam poteris reddere, propter quam principium intelligendi ut distinctum à principio volendi, & principium volendi ut distinctum à principio intelligendi adiectiuè significata, non sint duæ differentie adæquatè constitutis duplicem speciem, & duplicem substantie gradum inter se distinctum, sicuti distinguuntur principium sentiendi, & ratiocinandi, nisi quia intellectiones, & volitiones inter se non separantur, & ita in sententia, quæ asserit posse dari principium intellectuum non volituum, principium potens intelligere superius est principio potente amare, & contrahibile per differentiam volitui, sicuti animal contrahibile est per differentiam rationalis. Eadem ratione principium sensationum externarum, & internarum simplici differentia sensitiui constitutis animal significamus, & non constituimus speciem quandam viuentis potentis elicere sensationes internas & aliam potentis elicere externas, quod fieret si cognosceremus vnum animal, quod tantum posset sensationes externas elicere, & aliud, quod posset elicere externas, & internas, tunc enim potens externè sentire esset genus contrahibile per principium sensationum externarum, sicuti modò animal est contrahibile per principium ratiocinationum: ergo casu, quo non cognosceremus adhuc ut possibilia alia indiuidua sensitiua præter indiuidua humana, numquam apprehenderemus sensationes separabiles à ratiocinationibus, & sic has, & illas operationes simplici differentie tribueremus constitutis speciem infimam hominis, quæ æquè primò constitueretur in ratione speciei infimæ per principium sentiendi, & per principium ratiocinandi, sicuti modò æquè constituitur per principium intelligendi, & volendi.

Ex his inferes tunc prædicatum animalis, quatenus animal dicit principium præcisè potens sentire, fore prædicatum speciei infimæ inadæquatè, quod distingueretur ab homine, eâ ratione, quâ modò ab eodem homine distinguitur principium præcisè potens intelligere, quia sicuti nunc homo secundum rationem speciei infimæ dicit principium potens intelligere, & potens amare, tunc diceret principium potens intelligere, potens amare, & potens sentire, quorum diceretur vna simplex differentia constitutiva, pro operationibus sentiendi, intelligendi, & amandi, sicuti modò datur rationale pro operationibus intelligendi, & amandi.

Ex his infero ad hoc ut genus prædicetur ut pars materialis adhuc respectu indiuiduorum eiusdem speciei necessariò requirere plures species, quibus sit commune, ac proinde non posse esse prædicatum genericum prædicatum illud, quod pluribus speciebus commune non est, neque posse dari genus sine pluribus speciebus saltem possibilibus. Hæc conclusio communis est inter auctores, quam suadet discursus supra factus, & confirmat auctoritas Philosophi



Philosophi 4. Topicor. cap. 3. ubi hæc habet: *Quoniam omnis generis plures species, inspicendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam non si est, manifestum quoniam non erit genus omnino, quod dictum est.* Quibus verbis docet expressè Philosophus non posse dari genus non respiciens plures species. Accedit discursui supra factò, quod illum rursus explicabit, genus tantum dici partem materialem non physicam, sed per analogiam, & similitudinem: ergo ablata similitudine, quam habet ad materiam, aufertur ab illo tota ratio partis materialis. Huc usque firmus est discursus, pergo ulterius: sed tota similitudo generis cum materia in eo sita est, quod natura generica sit contrahibilis per formas, & quod indifferens sit ad illas: ergo hac similitudine ablata aufertur tota ratio generis. Sed hæc similitudo aufertur ab animali si nunquam separaretur à rationali, quia tunc non contraheretur per rationale, tanquam quid superius, seu indifferens ad hoc ut illi adiungeretur, vel non adiungeretur rationale, illud enim per modum adjacentis alij contemplamur, quod aduenit subiecto indifferenti ad illud: ergo auferretur tota ratio similitudinis, quam habet animal in ordine ad rationale cum materia in ordine ad formam: ergo auferretur tota ratio generis.

6 Sentio insuper genus ex se indifferens ut contrahatur à pluribus speciebus, à quibus abstrahitur, iam semel ab his abstractum, per ordinem ad individua vnius speciei alijs secluis posse considerari ut genus essentialiter, licet non integraliter completum. Ratio est, quia animal abstractum ab homine, & equo prædicatur per modum partis materialis de omnibus individuis omnium specierum: ergo de individuis speciei hominis: ergo in ordine ad individua speciei hominis habet prædicari de pluribus individuis, et si eiusdem speciei per modum partis materialis: ergo habet rationem essentialiter generis, quæ consistit in hoc quod est prædicari de pluribus per modum partis materialis, quomodocumque hæc plura specie inter se differant, ut probabat ratio dubitandi initio Puncti adducta. Genus in ordine ad hæc individua non habere totam suam latitudinem integram certum est, cum genus ex se æquè prædicetur de omnibus individuis omnium specierum, & de omnibus speciebus. Sententia hæc à nobis tradita poterit explicari dicendo genus ratione vniuersalitatis contentum esse pluribus individuis eiusdem speciei, ratione verò materiæ, à qua illius abstractio est facienda essentialiter requirere plures species, quia ad hoc ut sit pars materialis respectu plurium individuorum eiusdem speciei, essentialiter requirit esse abstractum ab individuis speciei differentibus, seu à pluribus speciebus.

7 Obiicies: Etiam si tantum individua hominis essent possibilia, homo haberet eandem essentiam, ac nunc habet: sed nunc non pertinet ad illius differentiam constitutionem prædicatum sensitiui: ergo neque tunc ad eandem differentiam pertineret. Respondeo in utroque casu hominem eadem prædicata essentialia esse habiturum, in utroque enim casu esset essentialiter sensitiuus & rationalis, illius tamen prædicata non habitura eandem vniuersalitatem, quam nunc habent, quia prædicatum animalis, quod modò concipitur commune homini, equo, & leoni, tunc conciperetur proprium hominis, & non communicabile alteri, ex quo fieret tunc dicendum esse prædicatum illud pertinens ad speciem subalternam animalis, quod extrinsecum est homini, & animali secundum se sumptis.

8 Obiicies secundò. Potest dari materia prima physica contrahibilis tantum per vnam formam specificam, seu per formas individuas vnius tantum speciei: ergo potest dari materia metaphysica tantum contrahibilis per individua vnius speciei: Respondeo dato antecedenti negando consequentiam, quia tota ratio materiæ metaphysicæ in materia generica sumitur ex similitudine, quam habet cum materia, quam modò agnoscimus, in hoc, quod est esse indifferens ut contrahatur per plures differentias, si materia est indifferens, ut contrahatur per plures formas, & ita hac ablata similitudine aufertur tota ratio materiæ metaphysicæ, licet non auferatur ratio materiæ physicæ, ex eo, quod auferatur indifferencia ad plures formas, quia potest excogitari alia formalitas, in qua constituitur formalis ratio materiæ physicæ. Quod si intes posse reperiri in prædicato metaphysico aliam similitudinem cum materia physica, ratione cuius possit dici ana-

logicè materia metaphysica ablata indifferencia ad plures differentias specie distinctas, dicam ego hæc rationem materiæ non sufficere ad rationem generis, quia hæc posset reperiri in prædicato potentis intelligere respectu differentie volitui, quod non habere rationem materiæ requisitam ad constituendam naturam genericam apud omnes est inconcussum.

9 Obiicies tertio: Animal abstractum ab individuis vnius tantum speciei prædicatur de illis ut prima pars quidditatis illorum: ergo prædicatur ut materialis: ergo ut genus. Respondeo animal sic abstractum ab his individuis, alijs nunquam cognitis non esse primam partem essentie individuum, à quibus abstraheretur, quia tunc principium sensationis, & principium ratiocinationis essent prædicata infima essentialiter constituenta illa individua, sicuti modò principium intellectuum, & principium volitionum sunt prædicata infima essentie hominis, quæ simpliciter differentie constituenti speciem infimam tribuunt.

## PUNCTUM IV.

## Quomodo prædicetur genus de individuis.

1 Duplex est individuum; quoddam completum, aliud incompletum. Individuum completum est illud, quod continet in se totam rationem specificam, & rationes omnes per quas potest contrahi ratio generica, sicuti Petrus, & hic homo, in quibus reperitur vltima differentia speciei infimæ contrahens rationes omnes superiores contracta per vltimam individuaalem differentiam. Individuum incompletum est illud, quod non continet totam essentiam speciei, sed tantum aliquod illius prædicatum præcisum ab alio cum quo componit speciem, & immediatè contractum per differentiam individuaalem, sicuti hoc animal, in quo rationale non consideratur, ut hoc rationale, in quo non inspicitur animal, licet enim animal confusè & implicite dicat gradum specificum, videlicet rationale; & hoc rationale eadem confusione inuoluat prædicatum genericum videlicet animal, expressè tamen, & distinctè hoc animal non dicit rationale, neque hoc rationale dicit animal.

2 Scio negari à Thomistis huiusmodi individua incompleta, quia putant animal tantum posse medià specie in individua multiplicari, non immediatè in individua diuisum. Ceterum si Thomistæ loquantur de multiplicatione reali, & à parte rei, animal neque medià specie, neque mediis individualibus differentibus multiplicatur, quia in his, quæ realiter sunt idem, non potest realiter mediatur, & immediatè reperiri, sed per se ipsum est plura individua per se ipsa multiplicata. Si verò sermo sit, ut oportet esse de multiplicatione per intellectum nullam rationem poterunt Thomistæ reddere, propter quam non possit intellectus diuidere immediatè animal in hoc animal, & illud animal non cognitè differentia specificà, quare non possit intellectus prædicatum animalis cum sua differentia individuali non præscindere à rationali: Imò vulgari exemplo animalis à longè visi, in quo apprehenditur ratio animalis non apprehensà ratione rationalis, nostram conclusionem suadeo, quia tunc non tantum apprehendo animal ut sic, sed vnum individuum animal, & ex vi illius apprehensionis possum dicere animal visum est vnum numericè, & non possum dicere, est hinnibile, aut est rationale: ergo rectè potest per intellectum contrahi ratio animalis ad hoc numero animal differentia specificà non apprehensa.

3 Affirmo naturam genericam immediatè prædicari de his individuis completis, non tamen formaliter ut genus, sed ut speciem respectu talis individui incompleti. Priorem partem conclusionis probō. In hac prædicatione *hoc animal est animal* non mediat ratio specificà inter prædicatum & subiectum, quia hæc non est de conceptu prædicati, neque de conceptu subiecti, in quo tantum includitur ratio generica immediatè contracta per differentias individuales: ergo nihil mediat: ergo est prædicatio immediata. Posteriorē partem haud difficiliter probō: in hac prædicatione, *hoc animal est animal* prædicatum dicit expressè, & distinctè quiddam dicit subiectum seclusà differentia individuali, ergo prædicatum dicit totam essentiam subiecti: ergo



subiecti: ergo non est prædicatio generis in qua prædicatum tantum dicit partem materialem essentie subiecti, sed prædicatio speciei, talis essentialiter dicitur ex eo, quod prædicatum dicat totam essentiam subiecti, seu totum quod dicit subiectum indiuiduum differentia indiuiduali seclusa. Confirmatur, & declaratur eadē ratio: si hæc prædicatio *hoc animal est animal* esset incompleta, quia prædicatum non diceret rationē rationalis sed hæc ratio non includitur in subiecto ut modò probauimus: ergo ex hoc capite non est incòpleta: ergo ex nullo: ergo est completa.

Obiicies in hac prædicatione *hoc animal est animal* includitur confusè & indistinctè ratio specifica ex parte subiecti, quæ non includitur ex parte prædicati: ergo non est prædicatio còpleta. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia ratio prædicationis còplet, & incompleta, non sumitur ex rationibus confusè significatis ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sed ex rationibus distinctè significatis. Quod si attendendum esset ad rationes confusè significatas, posset dici in hac prædicatione *hoc animal est animal*, confusè importari ex parte prædicati prædicatum rationalis eadem ratione quā dicitur importari ex parte subiecti.

Obiicies: Supremum genus potest prædicari immediatè de indiuiduo incompleto, in hac prædicatione *hæc substantia est substantia*, aut in illa *hoc ens est ens*: ergo datur species absque genere, quia nulla est ratio superior, quæ possit esse generica respectu generis supremi. Respondeo concedendo consequentiam, ex vi cuius nullum absurdum infertur, quia species tantum ut subiicibilis, & non ut prædicabilis, dicit ordinem ad genus, species autem illa prædicabilis esset & non subiicibilis.

Obiicies rursus: In hac prædicatione *hæc substantia est substantia* vel *hoc ens est ens*, prædicatum est supremum genus, & subiectum infimum indiuiduum: ergo inter utrumque debet poni prædicatum medium. Respondeo medium poni inter supremum, & infimum, in illa serie, quæ includit infimum, medium, & supremum in serie autem, quæ tantum includit duo extrema infimum, & supremum esse immediatè, huiusmodique esse seriem factam ex ente, & hoc ente, seu ex substantia, & hac substantia, si substantia est omnium supremum genus.

Circa indiuidua completa fert communis sententia de illis mediata tantum prædicari, & immediatè tantum de specie, & ideo animal prædicari de Petro, quia prædicatur de homine. Nonnulli recentes sententiam hanc sic impugnant. Species prædicatur immediatè de indiuiduo: ergo genus. Probatur consequentia, genus continetur in specie: ergo eo ipso quod species immediatè prædicatur de indiuiduis, de eisdem immediatè prædicatur genus. Vrgent: species prædicatur immediatè de indiuiduis non solum secundum differentiam, sed secundum se totam, ergo non solum species hominis prædicatur immediatè de indiuiduis secundum prædicatum rationalis, sed secundum prædicatum animalis: ergo animal immediatè prædicatur de indiuiduis. Non vrget hæc ratio, quia tantum probat animal ut inclusum in conceptu hominis, in quo cum rationali confunditur, prædicari immediatè de Petro, non verò ut præcìsum à rationali, sicuti significatur in hac prædicatione *Petrus est animal*, de qua est questio an sit prædicatio mediata, vel immediata.

Argunt secundò in hac prædicatione *Petrus est animal*, inter prædicatum, & subiectum non mediat homo quatenus animal, quia sub hac ratione non distinguitur à prædicato, non quatenus rationale, quia *Petrus* ut rationalis formaliter non est animal: ergo nullo modo. Responderi potest inter subiectum, & prædicatum huius prædicationis mediat hominem non secundum præcìsum conceptum animalis, neque secundum conceptum præcìsum rationalis, sed secundum simplicem conceptum hominis, quo animal rationale confunditur.

Instant: hæc prædicatio *Petrus est animal* rationale est immediata: ergo animal immediatè prædicatur de Petro. Respondeo animal iam contractum per rationale, in hoc complexo *animal rationale* immediatè prædicari de Petro ratione contractionis, quam habet cum animali, quod non est absolutè animal immediatè de Petro prædicari, sed mediata contractione ad rationale tenet se ex parte prædicati.

Alia me cogit ratio ad affirmandum genus immediatè posse prædicari de indiuiduis, quam sic constituo. Genus nihil aliud est quàm aggregatum quoddam indiuiduorum

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

pertinentium ad diuersas species: ergo licet possit immediatè diuidi in plures species diuisione quadam habente membra diuidentia vniuersaliaiora, poterit etiam immediatè diuidi in indiuidua, ex quibus coalescit. Rem explicet exemplo vlnæ, quæ constat ex semi-vlnis, & palmis, quæ potest immediatè diuidi in duas semi-vlnas, & postea quælibet semi-vlna in duos palmos, & potest etiam immediatè diuidi in quatuor palmos. Sic ergo, etiam si genus immediatè possit diuidi in plures species, ex vi aliis diuisionis potest diuidi in plura indiuidua, & sicuti ab alio aggregato plurium indiuiduorum potest immediatè extrahi species quædam in hac propositione *homo est animal*, ad quam contrahatur genus, & in qua extrahantur omnia indiuidua humana: sic ab illo aggregato potest immediatè extrahi vñ indiuiduum, ad quod immediatè contrahatur genus in hac prædicatione *Petrus est animal*. Confirmatur: extrahi ab illo toto generico speciem vnā nihil aliud est, quàm extrahi hæc omnia indiuidua singularia, quibus clauditur talis species: ergo sicuti extrahuntur hæc omnia simul in prædicatione generis de specie, poterit vnū extrahi in prædicatione speciei de indiuiduo. Vrgo: hæc prædicationes *homo est animal*, *equus est animal*, *leo est animal*, &c. in omnium sententia sunt immediatæ, etiam si genus potuit aliis vniuersalioribus prædicationibus adæquatè diuidi in hominē & brutum: ergo etiam si animal possit diuidi vniuersalibus prædicationibus in hominem, & quæ, &c. seu etiam si possit immediatè diuidi in membra diuidentia vniuersalia, potest immediatè in membra diuidentia singularia, sicuti omne totum constans pluribus partibus finitis, potest primò diuidi in partes diuisibiles, quæ rursus vltimò diuidantur, & potest primò immediatè diuidi in partes non vltra diuisibiles, seu in prima elementa ex quibus componitur.

Eandem conclusionem rursus confirmo. Eadem ratione, quā prædicatum aliquod abstrahitur ab inferioribus potest de illis prædicari: sed cognitis indiuiduis diuersarum specierum, v. g. cognitis his duobus equinis, tribus leoninis, & quatuor humanis potest ab illis immediatè abstrahi ratio animalis: ergo potest immediatè de illis prædicari. Maior est certa, quia eadem ratione, quā aliquid ab illo abstrahatur in illo reperitur, & eadem ratione, quā aliquid in aliquo reperitur potest de illo prædicari. Minorem probat: illa indiuidua possunt immediatè cognosci in ordine ad operationes in omnibus similes, siquidem in illis omnibus immediatè reperiuntur: ergo posset ab illis omnibus immediatè abstrahi quædam ratio communis generica.

Affirmo posse prædicari ex aliarum prædicationum genus de indiuiduis media specie, & de specie mediis indiuiduis. Prior pars admittunt ferè omnes, quia potest assumi ut medium ad probandum *Petrus* esse animal, quia est homo. Posteriorem ex eodem principio sic probat: animal potest immediatè prædicari de Petro, & de Ioanne, &c. ergo potest probari hominem esse animal, quia indiuidua sunt animalia, ergo potest animal mediis indiuiduis de homine prædicari. Probo priorem consequentiam: hic discursus est legitimus, *Petrus est animal*, & *Ioannes est animal*, &c. sed *Petrus*, *Ioannes* &c. est homo: ergo homo est animal. Confirmatur: potero ego postquam diuisero animal quod antea erat abstractum ab indiuiduis genere differentibus, in Ioannem, Petrum, hunc equum, & illum equum &c. rationes animalis repertas in Petro, & Ioanne adunari in hoc vno conceptu hominis, in quo confunduntur Petrus, & Ioannes, ex vi huius prædicationis *homo est animal*: ergo potest ratio generica vi intellectus mediis indiuiduis speciei attribui: ergo potest ratio generica mediis indiuiduis de specie prædicari.


Obiicies: Genus definitur in ordine ad species, & non in ordine ad indiuidua: ergo tantum dicit immediatum ordinem ad species. Responderi posset genus definiri in ordine ad species, & non in ordine ad indiuidua, quia ex ordine ad species in definitione expresso infertur ordo immediatus ipsius ad indiuidua, & ideo necessum non fuit illum exprimere terminorum multiplicatione. Melius tamen existimo responderi genus æquè definiri in ordine ad indiuidua, & in ordine ad species, quia genus non definitur per hoc quod est prædicari de pluribus speciebus, sed de pluribus differentibus specie, siue hæc quæ specie differunt sint species, siue indiuidua: rectè enim indiuidua equina dicuntur specie differre à singularibus leoninis, sicuti dicuntur specie differre homo, & equus. Abstrahitur in hac definitione generis quod prædicatur de pluribus differentibus



*differentibus specie in eo quod quid ab speciebus, & indiuiduis, & sensus illius est, quod prædicatur de pluribus differenti-  
bus secundum prædicatum specificum, differunt autem se-  
cundum prædicatum specificum Petrus, & Brunus hic  
equus, sicut homo, & equus.*

- 14 Obiicit: genus ut genus prædicatur de pluribus dif-  
ferentibus specie: sed quando animal v.g. prædicatur im-  
mediatè de Petro, & Ioanne, non prædicatur de pluribus  
differentibus specie: ergo non prædicatur ut genus. Eadem  
ratione posset inferre, non prædicari ut genus, quando præ-  
dicatur de specie hominis, seu de homine secundum con-  
ceptum communem. Respondeo genus non solum esse præ-  
dicabile de pluribus differentiibus specie, sed etiam de plu-  
ribus inter se tantum numero differentiibus, & specie ab  
aliis. Quando autem prædicatur de Petro, & Ioanne, non  
prædicatur ut actu genus, sed tanquam natura quæ ante-  
cedenter ad prædicationem erat genus formaliter apprehen-  
sa simul cum aliis instar vnus communis pluribus spe-  
cie differentiibus.

- 15 Inquiri solet an eodem respectu, quo genus respicit  
speciem, respiciat indiuidua in illis contenta, cui quæstioni  
respondeo eodem respectu, quo attingit species attingere  
indiuidua cuiuscumque speciei, ut confusè, & instar vnus  
significata in specie propria, non tamen indiuidua ut inter  
se distincta, quia diuersus actus est, quo comparatur ani-  
mal ad hominem sub hoc conceptu confuso hominis, ab  
actu quo comparatur ad Petrum, & Ioannem, & reliqua  
indiuidua ut inter se distincta.



## CONTROVERSIA V.

### De specie, & indiuiduo.

**R**IPLICITER sumi solet species: primò  
improprie pro quacumque eleganti & pul-  
chra forma, quo sensu dicitur præstantem  
speciem dignam esse imperio. Secundò su-  
mitur pro specie Logica, quæ est correlatiua gene-  
ri. Tertiò pro specie Logica, quæ ad indiuidua re-  
fertur. Has tres acceptiones adducit Porphyrius;  
qui de specie secundo, & tertio modo sumptà agit  
capite de specie, cui annexit disputationem de in-  
diuiduo, quia indiuiduum correlatiuum est generi  
& speciei. Nos ergo de specie utroque modo sum-  
ptà, & indiuiduo cum Porphyrio Controversiam  
hanc instituimus.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### De specie subicibili.

- 1 Species subicibilis definitur à Porphyrio duplici defi-  
nitione. Vna est, *quæ subicitur generi*; alia quæ ab  
assignato genere collocatur. Pro explicatione harum  
definitionum, noto speciem aliam esse infimam, seu  
atomam, aliam mediam, seu subalternam. Species in-  
fimæ dicuntur homo, & equus, & alix huiusmodi, quæ  
non in alias naturas, sed tantum immediatè in indiuidua  
possunt diuidi. Species subalternæ seu mediæ sunt illæ, quæ  
respectu inferiorum genera appellantur, respectu su-  
periorum species dicuntur. Adde genus immediatum  
supremum posse dici speciem supremam, quia supremum  
est omnium, quæ species dici possunt in ordine ad aliud  
prædicatum superius, supremum enim genus, quod illo  
est vniuersalius, in ordine ad nullum prædicatum species  
potest nuncupari. Ex his, quæ diximus de generibus su-  
premo, medio, & infimo omnia videlicet eadem defini-  
tione definiri, & tantum numero differre, idem inferen-  
dum est de specie subicibili.
- 2 Primò contra has definitiones solet obiici vitiosum  
circulum in illis committi, quia definitur genus per spe-  
ciem, & species per genus, ac proinde idem per idem,  
quia si definitio speciei est, *quæ subicitur generi*, & genus  
definitur, quod prædicatur de pluribus differentiibus spe-

cie, idem erit dicere, species est, quæ subicitur ge-  
neri, ac dicere, species est, quæ subicitur illi, quod  
prædicatur de pluribus differentiibus specie, & per spe-  
ciem species definitur. Communis solutio est genus de-  
finiri per speciem, & speciem per genus, nihilominus in  
definitione speciei non poni genus ut cognitum per spe-  
ciem, sed ut cognitum aliunde; saltem cognitione confu-  
sà, quæ comparari potest sine ordine ad speciem. Hac ra-  
tione circulus non committetur, neque definitur idem  
per idem, nam si definiatur, *species est, quæ subicitur ge-  
neri*, si rursus petas explicationem huius vocis generi positæ  
in definitione, non tibi per speciem, sed ex alio capite  
reddetur.

Facilius res componetur si genus definiatur, *quod præ-  
dicatur de pluribus per modum partis materialis*, quæ posita  
definitione absque timore vitiosi circuli constare pote-  
runt definitiones adductæ de specie subicibili. Adhuc  
tamen stando definitioni à Porphyrio traditæ negari  
potest genus definiri per ordinem ad speciem, quia ut  
dicebam supra, genus non definitur per hoc, quod est  
prædicari de pluribus speciebus, sed pluribus differenti-  
bus secundum prædicatum specificum, quod est dicere de  
pluribus notabiliter differentiibus siue illa species sint, siue  
indiuidua.

Secundò contra has definitiones obiicitur, vtramque  
competere indiuiduo de quo genus prædicatur, & quod  
generi subicitur. Responderi Ariaga disp. 7. sect. 2. indi-  
uiduis non competere subicibilitatem immediatam res-  
pectu generis, quam importat definitio, neque de illis  
genus immediatè prædicari, ac proinde speciem tantum  
hac definitione comprehendere. Solutio hæc impugnanda  
est ex dictis Controuers. 4. ubi probaui æquè immediatè  
posse genus prædicari de indiuiduis, & de specie. Sed  
est indiuidua mediatè tantum generi subiciantur, differ-  
entia hæc sufficiens non est, ut distinguat speciem sub-  
icibilem ad indiuiduo, quod sic probo. Hæ prædicationes  
homo est animal, & homo est corpus æquè primò perti-  
nent ad primum prædicabile, licet animal immediatè, &  
corpus mediatè de homine prædicentur, si verum est ani-  
mal mediatè prædicari de indiuiduis: ergo in definitione  
generis prædicabilitas abstrahit à potentia prædicandi  
proximè, vel remotè, quia huiusmodi differentia per acci-  
dens se habent respectu generis, quod tantum dicit esse  
prædicabile de pluribus per modum partis materialis siue  
prædicatione proxima, siue remota.

Melius responderi Hurtadus disp. 5. sect. 1. speciem &  
indiuiduum in ratione subicibilium tantum differre acci-  
dentaliter, quia vtrique generi tanquam parti mate-  
riali subicitur, & hæc differentiam explicandam esse per  
particulam soli additam in definitione speciei, quæ erit  
*species est quæ subicitur soli generi*. Modus iste dicendi non  
tuetur definitionem alteram, videlicet de qua *genus in quid  
prædicatur*, cui illa particula soli non debet addi, quapro-  
pter melius existimo responderi subicibilitatem speciei,  
& indiuidui non distingui ratione termini, quia vtraque  
respicit genus, differre tamen ratione fundamenti, quia  
subicibilitas indiuidui fundatur in natura physice, & in-  
tentionaliter vnà & subicibilitas speciei fundatur in na-  
tura intentionaliter vnà, & multiplici physice, & reali-  
ter: secundum hanc doctrinam species subicibilis defi-  
nienda est *natura in se multiplex, & intentionaliter vnà, quæ  
generi subicitur*. Ex eodem capite ad speciem coarctanda  
est altera definitio de qua *genus in quid prædicatur*, quæ sic  
proferenda est *natura in se multiplex, & intentionaliter vnà  
de qua genus in quid prædicatur*. Neque definitiones istæ à  
Porphyrianis discrepant, quia naturam intentionaliter  
vnam, & physice multiplicem, quam nos in defini-  
tionibus expressimus, Porphyrius in illo relatiuo in-  
uoluit de qua *genus*, &c. & quæ subicitur, &c. neque cri-  
men fuit in Porphyrio illam non explicasse, quia Porphy-  
rius non intendebat explicare naturam speciei secundum  
se, sed speciei ut respicientis genus, & ita tantum  
curauit de exprimenda differentia, ex vi cuius respicit  
genus supposita naturâ speciei aliunde notâ, vel cognos-  
cendâ, & ita definiuit, *quæ subicitur generi*, seu de qua *ge-  
nus prædicatur*, hoc est, *species generi subicibilis*, & species de  
qua *genus prædicari potest*, adductâ ipsâ specie in definitio-  
ne, sicut cum nos intendentes explicare veritatem  
propositionis propositionem veram definimus *propo-  
sitiō ex vi cuius dicitur res sicuti est*, in qua definitione  
propositio



propositionem apponimus intendentes veram propositionem definiri.

6 Dices nunquam Porphyrium speciem secundum se quatenus abstrahit à multiplici, & predicabili definisse, quod mea parum refert: sic ego speciem infimam metaphysicè sumptam quatenus abstrahit à subiicibili & predicabili definio, natura essentialiter completa intentionaliter indiuisa, & physice diuisa in plura indiuidua non notabiliter differentia. Per illam particulam non notabiliter differentia, excludo indiuidua specie differentia, quin utar verbo species ne nomine definiti utar in definitione, illa enim indiuidua dicuntur specie differre, quæ secundum se notabiliter differunt, ut probabo Controuers. I. de anima Punct. 8. Per illam particulam essentialiter completa excludo ab hac definitione differentiam infimam, quæ tantum dicit partem essentiae. Species secundum se abstrahens à subiicibili, & predicabili, & subalterna, & infima cum vniuersali metaphysico confunditur, & ideo forsitan Porphyrius omisit definitionem speciei secundum hanc latitudinem, quia supponebat definitionem vniuersalis, videlicet *unum in multis*.

7 Iuxta actum, quo fit species subiicibilis dicendum est fieri per simplicem comparationem, quæ insit vnus comparatur ad genus simili ratione, quæ diximus genus fieri per simplicem comparationem ad inferiora. Difficultas est an possit fieri per iudicium, seu an maneat species formaliter subiicibilis in hac prædicatione *homo est animal*. Vnum in hac definitione certum est, amissa vnitate speciei subiicibilis destrui speciem & consequenter speciem subiicibilem, quapropter videndum est, an in hac prædicatione *homo est animal*, species maneat vna in se continens confusè indiuidua, ita ut absque vlla distinctione insit vnus simplicis entitatis appareant, quod si ita permanferit manebit species actu subiecta, & subiicibilis; si autem hanc vnitatem amittat, non manebit species, sed tantum subiecta dicetur ratione inferiorum, quæ in se continebat vt subiicibilis antecedenter ad prædicationem. An verò hanc vnitatem amittat vel non, tractauit Controuers. 3. Punct. 8. num. 4. vbi disputauit an in prædicatione naturæ vniuersalis de natura vniuersali maneat vna, & dixi per hanc prædicationem *homo est rationalis*, posse enunciari prædicatum de indiuiduis subiectis, & formaliter huic æquialere *omnis homo est rationalis*, & tunc naturam non manere vniuersalem neque vnā, & posse collectionem rationalium per modum vnus enunciari de collectione hominum, & tunc naturam retinere vnitatem, & vniuersalitatem. Eadem ratione posse collectionem animalium insit vnus entitatis indiuidua apprehensæ prædicari de collectione hominum apprehensæ insit vnus entitatis, & tunc speciem retinere vnitatem, & esse speciem subiicibilem, & actu subiectam, posse verò alio actu enunciari de indiuiduis contentis in collectione hominum indiuidua, quæ illis correspondent in collectione animalium; quæ ratione sit in hoc actu *omnis homo est animal*, & tunc speciem amittere suam vnitatem, & subiicibilitatem, quam antea habebat.

8 Inquiri solet an eodem actu comparetur species generi tanquam inferior superiori, quo comparatur genus speciei tanquam superior inferiori, Affirmat Hurtadus disp. 5. sect. 1. melius tamen negat Arriaga, disp. 7. sect. 2. Ratio est, quia per actum, quo comparatur natura generica ad speciem, natura generica apprehenditur in recto & specifica in obliquo; per actum verò, quo comparatur natura specifica ad genericam, natura specifica apprehenditur in recto, & generica in obliquo, & formalitates predicabiles, & subiicibilis de inferiori distinguuntur, sicuti distinguuntur formalitates actiui, & passiu, licet enim per eandem entitatem, seu causalitatem constituatur vnum principium agens, & alterum patiens, hæc entitas supponit in principio actiui virtutem formaliter distinctam à principio passiuo, & in passio virtutem passiuam distinctam formaliter à principio actiuo, similiter licet sit eadem enunciatio, per quam constituitur natura superior prædicatum, & inferior subiectum, hæc supponit in extremis distinctas formalitates, ex vi quarum natura superior apta est prædicari de inferiori, & inferior apta est subiici superiori.

9 Inquiri etiam potest an prædicatum specificum abstraham ab vno indiuiduo possit dici species subiicibilis. Ref-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

pondeo prædicatum illud esse subiicibile generi, quia de illo potest genus prædicari, propriè tamen non dici speciem subiicibilem, quia non dicit vnitatem intentionalem multis communem, posse autem dici speciem negatiuè eà ratione quæ dixi Controu. 3. Punct. 7. naturam sic abstractam negatiuè posse dici vniuersalem.

Vltimò inquiritur, an species subiicibilis vt subiicibilis sit vniuersalis. Respondeo speciem subiicibilem includere pro materiali vnitatem intentionalem, ex vi cuius ea, quæ in se sunt plura insit vnus apprehenduntur, quæ est forma vniuersalis metaphysicè, pro formali autem non esse vniuersalem, quia respectus naturæ vniuersalis, est respectus naturæ superioris ad inferiora, respectus autem speciei subiicibilis est respectus naturæ inferioris ad superius. Declaratur eadem ratio: species vt subiicibilis respicit superius, sed ad rationem vniuersalis impertinens est respectus ad aliud superius: ergo species subiicibilis vt subiicibilis includit respectum impertinentem se habentem ad rationem vniuersalis: ergo formaliter ex vi illius respectus non est vniuersalis. Consultò non dixi respectum subiicibilis, & inferioris opponi cum respectu predicabilis, & superioris, quia licet detur hæc oppositio in respectibus ad subiectum indiuisibiliter idem, & terminum eundem indiuisibiliter, non tamen datur respectu eiusdem subiecti in ordine ad diuersos terminos, & eadem species, quæ habet respectum subiicibilis, in ordine ad genus, habet respectum predicabilis in ordine ad inferiora.

Obiicies: Quodlibet inferius participat rationem sui superioris: sed species subiicibilis est inferior vniuersali, & species illius: ergo participat rationem vniuersalis, & est vniuersalis. Respondeo quodlibet inferius participare rationem sui superioris, non tamen formaliter quatenus est inferius & subiectum sui superioris, quia hoc quod est esse inferius supponit iam naturam participatam, non enim homo est viuens sensibile, quia est inferior animali, sed quia est viuens sensibile denominatur inferior animali, quæ denominatio cadit supra naturam superioris iam participatam, ac proinde ex vi illius non habet superioris naturam, sed iam cum illa præsupponitur præcisè quatenus homo, & non quatenus inferior animali. Sic contingit in specie, quæ intrinsecè participat rationem sui superioris, & constituitur vniuersalis per se ipsam, & postea per denominationem illi superadditam extrinsecè denominatur subiicibilis, ex vi cuius denominationis non habet vniuersalitatem, seu naturam sui superioris, sed iam cum illa præsupponitur præcisè quatenus est species. Ad argumentum in forma respondeo distinguendo maiorem. Quodlibet inferius participat rationem sui superioris materialiter sumptam, concedo: formaliter vt inferius est, nego. Deinde concessa minori distinguo consequens: ergo species subiicibilis est vniuersalis: materialiter, concedo: formaliter vt subiicibilis, nego.

Instabis: species subiicibilis prædicatur de hac, & illa specie subiicibili: ergo species subiicibilis est vniuersalis. Respondeo speciem subiicibilem formaliter vt subiicibilem, seu vt respicientem genus aliquod superius de nullo prædicari, sed esse subiectum, de quo genus superius prædicatur, sed tantum sumptam materialiter, quatenus subiaceret alij denominationi, ex vi cuius consideratur in ordine ad inferiora: ipsa enim formalitas subiicibilitatis potest considerari non in ordine ad illud prædicatum superius, cui subiicit speciem, sed in ordine ad aliquas species indiuiduas, in quibus reperitur in ordine ad quas potest denominationem vniuersalis subire.

## PUNCTUM II.

### De specie predicabili.

Species quæ secundum prædicabile constituit, formaliter vt predicabilis à Porphyrio definitur quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. Per hanc definitionem differt species formaliter vt predicabilis ab ipsa vt subiicibili, quia subiicibilis, vt subiicibilis de nullo prædicatur. Differt à differentia, proprio, & accidenti per hoc quod est prædicari in quid purè, quia differentia prædicatur in quale quid, & proprium, & accidens purè in quale. Differt etiam differentia à genere,



genere, quia species prædicatur ut tota essentia, & genus est pars, quæ differentia explicatur per hoc quod est prædicari tantum de pluribus differentibus in quid purè, cum quo modo prædicandi non componitur prædicari ut partem formalem, quia hæc prædicatur in quale quid, neque ut partem materialem, quia hæc non tantum prædicatur de pluribus differentibus numero, sed etiam de pluribus differentibus specie, ex quo necessariò inferitur prædicari ut totum, quia id quod non prædicatur ut pars formalis, neque ut pars materialis, ut totum prædicari necesse est, cum nullus alius super sit prædicandi modus.

2 Dixi differentiam speciei respectu generis explicandam esse per hoc quod est prædicari tantum de pluribus differentibus numero, licet verbum tantum in definitione non sit expressum, quod subintelligendum est, & virtualiter dicitur eo ipso, quod species tantum explicetur per ordinem ad indiuidua, quia si de speciebus prædicabilis esset, non specialiter in ordine ad indiuidua illi prædicabilitas adscriberetur, sed definiretur sicuti genus definitur in ordine ad plura specie differentia, nullâ mentione factâ de indiuiduis. Fateor aptius & facilius speciem esse definiendam, quod prædicatur de pluribus, ut tota illorum essentia.

3 Obiicies: species non dicit differentias indiuiduales. Sed differentie indiuiduales sunt de essentia indiuidui: ergo species non dicit totam essentiam indiuidui. Laborant plurimi, ut defendant differentias indiuiduales non esse de essentia indiuidui, quod difficile sanè est, quia sicut per differentiam specificam constituitur species, sic per differentiam indiuidualem indiuiduum: ergo sicut differentia specifica est essentialis speciei, ita differentia indiuidualis indiuiduo. Secundò quia illud est de essentia cuiusvis rei, per quod res constituitur in esse talis, sed indiuiduum constituitur in esse talis per differentias indiuiduales: ergo differentie indiuiduales sunt de essentia indiuidui. Respondeo admittendo differentias indiuiduales esse de essentia indiuidui, & has non exprimi in prædicato specifico, nego tamen ideo esse adequatam prædicationem speciei, quia licet non dicat essentiam indiuidui, dicit totam essentiam prædicabilem; quæ tantum est essentia Logica, de qua agitur in præsentia, ex eo enim (quidquid sit de differentibus indiuidualibus) differt species à genere, quia species dicit totam essentiam prædicabilem, & multis communem, quæ in subiecto reperitur, quam non dicit genus, neque vilius aliud prædicabile.

4 Hic inquitur, an species prædicabilis requirat plura indiuidua numero distincta: quam questionem definiui Controu. 3. Punct. 7. ubi dixi naturam ab vno indiuiduo abstractam non esse vniuersalem. Veruntamen in hoc loco specialius difficultatem hanc exagitant authores occasione de sumpta ex quadam Thomistarum opinione asserente omnes Angelos numero distinctos specie esse differentes. Pro sententia asserente nullam esse speciem cui repugnet indiuiduorum multiplicitas, quam plures authores, in quibus est S. Thomas quem refert Hurtad. disp. 5. sect. 2. sublect. 3. veruntamen ab hac questione modò Logicum agens me abstinco, & disputationis gratiâ admittis his speciebus, quibus, indiuiduorum multiplicitas repugnet, ad questionem Logicam accedo & disputo an species istæ vniuersales essent.

5 Caietanus cap. 4. de ente, & essentia, & cap. 4. de specie docuit tales species vniuersales esse. Oppositam sententiam docuit S. Thomas ut bene suadet Hurtadus supra & persuadent testimonia adducta à Petro Bergomeni, verbo Species num. 1. eandemque amplectuntur omnes ferè authores, quibus subscribo. Probari potest hæc sententia iuxta Thomistarum principia ex eo, quod conceptus specificus talis naturæ præcindibilis non esset à differentia indiuiduali, quia iuxta Thomistarum dogma omnis indiuiduatio distincta à principio specifico sumitur per connotationem ad materiam. Sed huiusmodi naturæ angelicæ non habent materiam: ergo in his non posset dari indiuiduatio distincta à conceptu specifico: ergo conceptus specificus, & indiuiduus esset idem formaliter. Sed conceptus indiuiduus non esset multis communis: ergo neque specificus. Veruntamen hoc fundamento omisso, quia licet ad homines efficax sit, iuxta communia principia non ita facile probari posset, cum natura illa haberet prædicatum specificum, quod posset ab indiuiduali præcindi per hoc quod est esse principium operationum notabiliter differentium ab operationibus aliarum specie-

rum, quod proprium non est naturæ indiuidualis: paucis veram sententiam efficacissimè probo. Vniuersale est vnum aptum esse in multis: sed illa natura non esset apta esse in multis: ergo non esse vniuersalis: ergo non esset species vniuersalis. Maior continet definitionem vniuersalis ab omnibus admittam: minor nequit negari, quia supponimus naturam non esse multiplicabilem in plura indiuidua, sed vnicò contineri: ergo de hoc tantum poterit prædicari, sicuti conceptus naturæ diuinæ, seu hic conceptus Deus vniuersalis non est neque de pluribus prædicari potest, quia tantum potest dari vnus Deus. Vtræque consequutio est legitima, prior ex terminorum dispositione, posterior, quia in illa arguitur negatiuè ex superiori ad inferius.

6 Respondent Thomistæ naturam Michaelis immultiplicabilem in plura indiuidua posse apprehendi communem aliis indiuiduis ab intellectu confectis in ordine ad quæ esset vniuersalis. Possent eadem ratione dicere Thomistæ intellectum fingere alios Deos chimericos distinctos à Deo Optimo Maximo, & respectu habito ad Deos factos naturam diuinam esse de multis prædicabilem: & sicuti hoc fundamento absolute afferunt, naturam Michaelis in ipsorum sententia immultiplicabilem in plura indiuidua esse vniuersalem, eodem asserere naturam diuinam vniuersalem esse, quod male audiret apud omnes. Aliter solutionem impugnat natura Michaelis prædicabilis de Michaeli vero, & de Michaeli ficto, deberet abstrahi à Michaeli vero, & à ficto, quia abstracta tantum à Michaeli vero de illo tantum posset prædicari: de illis enim indiuiduis prædicatur conceptus abstractus, à quibus fuit abstractus, & in quibus reperitur, & natura tantum abstracta à Petro, de Ioanne non prædicatur, ut ex toto vniuersalium opere constat: ergo in illo conceptu abstracto non tantum contineretur verum prædicatum specificum Michaelis veri, sed fictum prædicatum specificum Michaelis ficti: ergo illud vniuersale non esset tantum natura Michaelis veri immultiplicabilis in plura indiuidua, sed quoddam aggregatum huius naturæ, & aliarum, quas fingeret intellectus: ergo hæc natura vera veri Michaelis ut distincta ab aliis fictis, quantumvis præcinderetur, nunquam posset esse subiectum adequatum, cui contingeret vniuersalitas: ergo non esset vniuersalis. Habemus ergo veram naturam immultiplicabilem in plura indiuidua ut distinctam à reliquis nullâ mentis præcisione posse fieri vniuersalem, quod in præsentia disputamus, non enim est questio an ex natura vera multiplicabili, & alia natura ficta possit fieri vniuersale fictum ab intellectu: sed an hæc natura vera immultiplicabilis in indiuidua sine consortio aliarum naturarum possit purè præcisionis beneficio ab intellectu vniuersalis constitui.

7 Dices naturam abstractam tantum à Michaeli vero posse prædicari de Michaeli ficto, etsi propositione non vera. Contra: si essentia vniuersalis posset constare prædicabilitate in ordine ad propositiones falsas, nullus conceptus excogitabilis est, qui non sit vniuersalis, quilibet enim, quem tu assignes propositionibus falsis potest de quocumque ente excogitabili prædicari.

8 Obiiciunt Thomistæ: species Angelorum ponuntur in prædicamento: ergo sunt vniuersales. Concederem ego gratis consequens, & ex illo inferrem contra Thomistas naturas specificas Angelorum multiplicabiles esse in plura indiuidua. Quod si dum nobis hoc obiiciunt argumentum, illius sibi querant solutionem, respondeo, poni in prædicamento, quia habent genera supremum, intermedia, & infimum vniuersalia, & speciem infimam prædicabilem de vno, quæ vniuersalis non est, sicut enim in reliquis prædicamentis ponitur indiuiduum vltimum, quod vniuersale non est, sic in hac sententia ponitur species infima, etsi vniuersalis non sit.

9 Obiiciunt secundò: Natura Gabrielis, & natura Michaelis differunt specie: ergo habent genus & differentiam: ergo sunt vniuersales. Concedo antecedens, & distinguo primum consequens: habent differentiam communem multis indiuiduis, nego consequentiam: conuenientem tantum vni indiuiduo, concedo consequentiam: ergo est vniuersalis, nego consequentiam.

10 Obiiciunt tertio: Intellectus apprehendit res spirituales instar materialium: sed naturam specificam materialem apprehendit ut communem multis: ergo & spirituales. Respondeo intellectum apprehendere res spirituales instar



instar materialium seruatis seruandis, quia non apprehendit in spiritualibus predicata, quæ illi repugnant, non enim ex eo quod instar substantiæ materialis spiritualem apprehendat, & materialis substantia sit impenetrabilis, apprehendo ego substantiam spiritualemente impenetrabilem, quod si id apprehendam per fictionem, impenetrabilem impingam spirituali substantiæ, ex vi cuius non negabo speciei immultiplicabili vniuersalitatem attribui, id enim mihi suadent Thomiste huiusmodi speciem vniuersalem esse eodem iure, quo asserere possent ecclesiam Petri, seu Petreitatem esse vniuersalem, & supremum genus in predicamento substantiæ. Addo intellectum apprehendere substantias spirituales instar materialium in ordine ad hæc accidentia corporea, quæ sensibus percipiuntur, non verò in ordine ad vniuersalitatem neque alia accidentia, quæ sensibus non percipiuntur. Demum etsi intellectus ex eo, quod res spirituales instar materialium cognoscit, speciem illam instar vniuersalis apprehenderet, non illam ut vniuersalem apprehenderet, aliud enim est apprehendere Angelum instar iuuenis, aliud apprehendere Angelum formaliter ut iuuenem.

Obiiciunt quartò: Species illa abstracta à differentia individuali non est singularis: ergo vniuersalis. Respondeo speciem illam ex parte obiecti indiuiduum esse, & ex parte actus neque apprehendi possit ut vniuersalem, neque ut singularem, sed posse dici singularem negatiuè. Vide quæ dixi Cont. 3. Punct. 7. de natura abstracta ab vno indiuiduo, quæ eodem modo de hac substantia sunt intelligenda.

Inquiri etiam solet, an tota ratio specifica reperitur in singulis indiuiduis nature multiplicabilis in plura indiuidua. Diximus naturam vniuersalem dicere aggregatum omnium indiuiduorum iuxta sententiam non præcindentium ex parte actus, & iuxta præcindentium in aggregato rationum abstractarum. Ex quo manifestè infertur omnem speciem non posse esse in singulari indiuiduo, cum in illo non sint reliqua indiuidua ab ipso distincta, neque rationes non ab ipso, sed ab aliis abstractas. Dicendum ergo est in quolibet indiuiduo non requiri totam speciem extensiuè, dici autem solet intensiuè reperiri in vnoquoque omnem perfectionem essentialem, quia perfectiones essentielles omnium indiuiduorum numero tantum, & non in aliquo prædicato essentiali vniuersaliusque indiuidui perfectionem vincunt.

PUNCTUM III.

De indiuiduo primò intentionaliter sumpto.

Indiuiduum definitum fuit à Porphyrio cap. de specie, *genus collectio proprietatum, quæ in vno sunt in alio reperi nequeunt.* Harum proprietatum collectio his versiculiscōtingitur: *Forma, figura, locus, stipes, nomen, patria, tempus, Vnum perperna reddere lege solet.*

Hæ proprietates indiuiduo extrinsecæ sunt, & ita definitio per illas exhibitæ tantum est descriptiua data per signa, quæ arguunt differentiam indiuidualem, ex vi cuius indiuiduum constituitur, non per aliquid, quod formaliter indiuiduum constituat. Neque hæc definitio comprehendit omnia indiuidua, sed tantum humana, quibus solum competunt aliquæ ex proprietatibus in definitione adductis, quia bruta non dicuntur habere patriam, & communiter nomina non habent, & indiuidua non sensitiua raro patriam, aut nomine donantur. Melius indiuiduum definiuit Angelicus Doctor 1. part. quæst. 29. art. 4. *indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*, id est, cui repugnat multiplicari in plura, quæ sunt idem cum ipso. Ex hoc deprehendes differentiam inter indiuisum modo dicto, indiuisibile, & diuisibile: diuisibile dicitur, quod habet partes, in quas potest secari, indiuisibile est, quod his partibus non componitur, sed simpliciter dicitur entitatem, indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, seu indiuiduum est, quod nequit diuidi in ea, quæ inter se sunt distincta secundum naturam, quorum quodlibet secundum eandem naturam adæquatè cum diuiso identificetur. Inferes similiter indiuiduum esse idem, ac vnum numericè, & differentiam indiuidualem importare formaliter vnitatem indiuidualem omne ens transcendente. Multa habes Controu. 2. Metaph. Punct. 3. ubi definitio an importet aliquid positum, vel negatum, quomodo distinguatur à reliquis gradibus,

Franc. de Cuiedo, Philosoph. Tom. I.

quam indistinctionem importet, & omnia tracto, quæ desiderari possunt ad perfectam cognitionem differentie indiuidualis, & indiuidui, ex vi illius constituti.

Vna tantum superest questio ad Logicum spectans, quam hic definiam. An videlicet ab omnibus indiuiduis primò intentionaliter sumptis, seu secundum id, quod intrinsicè important possit abstrahi communis aliqua ratio. Negant P. Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 4. P. Toletus cap. de specie Sorus & alij ex antiquis ibid. Affirmatiuam partem tuentur S. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 4. Scotus in 1. distinct. 23. quæst. vnica. Hurtad. disp. 5. sect. 7. Arriaga disp. 7. sect. 2. Merinero cap. 3. de specie disp. 2. quæst. 1.

Sciendum est questionem non esse an à Petro & Ioanne, qui sunt indiuidua nature humane, possit abstrahi aliqua ratio essentialis, seu specifica, in qua conueniant, certum enim est ab vtroque abstrahi rationem hominis, sed an ab indiuiduis quatenus formaliter sunt indiuidua possit abstrahi aliqua ratio, quæ illis competat, ratione differentie indiuidualis, quod est inquirere, an à differentia indiuiduali Petri, & à differentia indiuiduali Ioannis possit abstrahi aliqua communis ratio, sicuti cum inquiritur an ab albo, & nigro formaliter sumptis possit abstrahi ratio communis, idem est ac inquirere, an ab albedine, & nigredine communis ratio possit abstrahi. In hunc sensum quæstionem definiuit subtilis Doctor loco supra citato his verbis: *Potest dici, quod ab indiuiduis potest abstrahi species, quæ dicitur quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quoddam proprium.*

Insuper in memoriam sunt reuocandæ duæ opiniones, quædam præcindens tantum ex parte actus præcisè per confusionem plurium singularium, absque eo quod intellectus ex vi præcisionis partiatur duas formalitates, quandam quam attingit, & aliam quam omittit. Alia est opinio præcindens ex parte obiecti, iuxta quam præcisio non consistit tantum in confusione singularium, à quibus præcindi dicitur ratio aliqua communis, sed necessariò debet attingere vnā formalitatem, & aliam omittit utramque contentam in illo inferiori, à quo dicitur abstrahi rationem communem separando illam ab alia formalitate, quæ in inferiori continetur, & ex vi præcisionis cognitionis non attingitur. Rem explico in opinione præcindente ex parte actus, ad hoc ut præcindatur ab homine, & equo ratio communis tantum requiritur species hominis, & equi inter se confundi cognitione respondente huic voci *animal*, & ita iuxta hanc sententiam tantum est necessarium assignari vnā rationem abstractam, & inferiora, à quibus abstrahitur ex parte obiecti, neque inadæquatè distincta, si omnia simul sumantur, à ratione, quæ abstracta concipitur. In opinione autem præcindente ex parte obiecti debent assignari inferiora, à quibus abstrahitur ratio abstracta ex parte obiecti inadæquatè distincta ab inferioribus, ratio alia quæ in inferioribus includitur, & ab illis inadæquatè distincta, quæ per cognitionem præcisionis non attingitur, exempli gratia abstrahitur ratio animalis ab homine, & equo, in qua abstractione inferiora intercedere necesse est tanquam materiam, à qua abstrahitur, vel potius extrahitur ratio animalis inadæquatè distincta ab inferioribus, inferiora enim formaliter sunt animal rationale, & animal hinnibile, & ratio abstracta tantum est animal, dantur item differentie inadæquatè distinctæ ab inferioribus in quibus includuntur, quia inferiora sunt animal rationale, & animal hinnibile, & differentie tantum sunt rationale, & hinnibile, quæ differentie sunt formaliter condistinctæ à ratione abstracta, & ex vi cognitionis præcindentis non attinguntur.

Ex hoc fit omnia inferiora, à quibus ratio aliqua communis abstrahitur debere esse resoluibilia in duas formalitates ex parte obiecti per intellectum formaliter distinctas, quarum altera communis sit omnibus inferioribus, & cognitione præcindente attingatur, & altera sit propria cuiuslibet inferiori, & in quocumque illorum distincta, quæ non attingatur per cognitionem præcindentem. Ob has formalitates, in quibus homo, & equus possunt resolui, ab illis opinio ex parte obiecti præcindens rationem communem abstrahit, homo enim resoluitur in animal rationale, equus in animal hinnibile, & cognitio præcindentis rationem communem homini, & equo, in homine attingit animal, & omittit rationale, & in equo attingit animal, & omittit hinnibile, quod est præcindere, seu separare animal à

I 3 differ



differentiis, quibus erat unitum, & illud abstrahere, seu proprius extrahere ab homine, & equo, in quibus erat quasi contentum tanquam pars in toto.

Ex his infero in opinione Thomistarum præscindendum ex parte obiecti non posse dari rationem communem omnibus differentiis. Hæc conclusio est contra Hurdum supra §. 67. qui asserit in omnium opinione dandam esse rationem communem indiuiduis; illam verò ex dictis efficaciter probat: differentia indiuidualis resolvable non est in duos conceptus, quorum quilibet inæquale distinguatur à differentia, & secundum se totum sit ab altero condistinctus, ergo non est indifferens aliqua formalitas, quæ attingatur cognitione præscindente, & altera, quæ omittatur, sicut est in homine formalitas animalis, quam attingit cognitio præscindens ab homine, & equo, & formalitas rationalis, quem omittit: ergo non potest à differentiis indiuidualibus abstrahi communis ratio. Antecedens est certum, quia si in Petreitate assignes duos conceptus formaliter inter se condistinctos, vnus ex vi cuius Petreitas conueniat cum Ioanneitate, & alter quo differant, differentia indiuidualis adæquate constituetur in illo vltimo conceptu, ex vi cuius differunt, & primus, in quo conueniunt ad differentiam indiuidualem non pertinebit, quia differentia indiuidualis est illud ex vi cuius hoc indiuiduum vltimum differt à quocumque alio. Quod si rursus vltimum conceptum velis partiri ex parte obiecti, in infinitum procedes, & ego semper differentiam indiuidualem constituam in conceptu vltimo, vel nunquam fatear inuentum esse conceptum indiuidualis differentie, quousque ad aliquem sit pertinens, qui nihil in se conuenientie cum alio includat. Idem quod dixi de differentiis indiuidualibus intellige de quibuscumque differentiis, specificis inter se oppositis, rationale enim, & ininhibile secundum se sunt conceptus, ex vi quorum vltimo differunt homo, & equus, qui nihil in se conuenientie habent admixtum, neque rursus in duas alias formalitates sunt partibiles.

Ex hoc infero ab indiuiduis formaliter sumptis vt indiuidua sunt secundum opinionem Thomistarum non posse abstrahi rationem communem. Ratio est manifesta: rationem communem abstrahi ab indiuiduis formaliter vt indiuiduis, dicit abstrahi hanc rationem ab indiuiduationibus, ita vt ratio abstracta exeat, seu extrahatur non quomodocumque à toto constituto ex indiuiduatione, & subiecto, cui hæc contingit, sed formaliter ab ipsa indiuiduatione, & materialiter tantum à subiecto, cui contingit indiuiduatio, sicuti abstrahi ab albo, & nigro formaliter sumptis rationem, communem dicit hanc rationem abstrahi formaliter ab albedine, & nigredine: sed ab indiuiduationibus formaliter sumptis non potest abstrahi ratio communis, vt iam probauimus: ergo neque ab ipsis indiuiduis formaliter sumptis vt indiuidua sunt.

Dices sequi ex his ab homine formaliter vt homine, & ab equo formaliter vt equo non posse abstrahi rationem communem, quia sicut indiuiduum vt indiuiduum dicit formaliter differentiam indiuidualem, à qua non potest abstrahi communis ratio, ita homo formaliter vt homo dicit differentiam specificam, à qua nequit abstrahi ratio communis: ergo sicuti dicimus non posse abstrahi rationem communem ab indiuiduo formaliter, vt indiuiduo, quia non potest abstrahi ratio communis ab indiuiduatione, per quam constituitur in esse indiuidui, sic dicemus non posse abstrahi rationem communem ab homine formaliter vt homine, quia non potest abstrahi à rationali, per quod constituitur in esse hominis. Probat ratio ab homine formaliter vt rationali, & equo formaliter vt ininhibili non posse abstrahi rationem communem, quia hæc non potest abstrahi à rationali, & ininhibili secundum se sumptis, dicitur tamen abstrahi ab homine vt homo est, quia homo vt homo non tantum dicit conceptum rationalis, sed conceptum animalis, qui extrahitur ab homine per cognitionem ex vi cuius attingitur animal, rationali non attracto. Initabis, homo vt homo non tantum dicit pro formali conceptum rationalis sed conceptum animalis, & quia ab hoc toto animal rationale extrahatur animal, dicitur abstrahi rationem communem ab homine vt homine: ergo indiuiduum vt indiuiduum non tantum dicit pro formali differentiam indiuidualem, sed naturam, & quia ab hoc toto natura indiuidua extrahitur conceptus nature, dicitur abstrahi rationem

communem ab indiuiduo vt indiuiduo. Respondeo questionem hanc iam esse de nomine, an videlicet sicut ratio animalis abstracta ab homine, & equo dicitur abstracta ab homine vt homine, & ab equo vt equo, possit ratio hominis abstracta ab hoc indiuiduo humano, & illo indiuiduo equino possit dici abstracta ab indiuiduis vt indiuiduis, & præter hoc quod est esse de nomine, non attinet ad nostram questionem, quæ inquit, an præter rationem hominis, quæ abstrahitur à Petro, & Ioanne, siue dicatur abstrahi ab ipsis indiuiduis, siue non possit abstrahi communis alia ratio indiuidui, cuius formalitas extrahatur, & exeat tanquam pars à toto à formalitate huius indiuiduationis, quod nec probat, neque intendit probare obiectio adducta. Adde dici hominem includere pro formali non solum conceptum rationalis, sed etiam conceptum animalis, quia rationale tantum adiunctum animali, & non aliis prædicatis constituit hominem, vnde si per impossibile rationale coniungeretur cum viuente non sensibile non faceret hominem, indiuiduatio autem cuiusque nature adiungatur faciet indiuiduum, & ita indiuiduum tantum dicitur pro materiali naturam includere, & pro formali indiuiduationem, sicuti album dicitur pro materiali includere subiectum, quia cuiuscumque nature sit, dum illi adiungatur albedo fiet album, albedo enim contingens parietati constituit album, & sic cum omnibus aliis subiectis. Ob hæc rationem potest dici rationem communem hominis abstracta à Petro, vt Petro, & Ioanne vt Ioanne, quia hoc indiuiduum significat unum nomine Petrus pro formali, significat naturam rationalem, cui contingit indiuiduatio, sicut homo dicit pro formali rationem animalis, cui coniungitur differentia rationalis.

In sententia non præscindente ex parte obiecti, sed tantum ex parte actus sentio posse præscindi rationem communem indiuiduationibus formaliter sumptis, & ipsis indiuiduis vt indiuiduis formaliter sumptis. Ratio est, quia possunt confusè omnia cognosci initar vnus per conceptum respondentem huic voci indiuiduum, cuius obiectum non erit ratio aliqua ex parte obiecti præcisa, sed aggregatum quoddam omnium indiuiduorum, & indiuiduationum, quod per distributionem accommodam erit predicabile de hac indiuiduatione, & illa indiuiduatione, de hoc indiuiduo, & illo indiuiduo. Confirmatur sicut Petrus est diuisus in se, & diuisus à quolibet alio: ergo habent in hoc similitudinem, ex vi cuius possunt concipi per conceptum representantem indiuiduum à se & diuisum ab alio confundendi in illo à se, & ab alio subiecta inter se distincta, eodem nomine significata.

Obiicies, hoc indiuiduum, v.g. Petrus dicit esse indistinctum à Petro, & distinctum à non Petro: sed in hoc conceptu nihil est commune alij indiuiduo, quodcumque enim aliud, quod tu assignes non habebit esse indistinctum à Petro, quia distinguitur à Petro, neque esse distinctum à non Petro, quia non erit distinctus à se, qui erit non Petrus: ergo ab hoc indiuiduo non potest abstrahi ratio communis. Concedo antecedens, & distingo consequens; ab hoc indiuiduo tantum non potest abstrahi ratio communis, concedo consequentiam; ab hoc indiuiduo & ab aliis, non consequentiam; quia licet nihil sit in aliquo indiuiduo, quod sit commune multis, sed quidquid vnicuique conuenit, illius proprium est, totum illud quod sit ex pluribus indiuiduis per cognitionem illa confundentem, & representantem per modum vnus, quæ dicitur abstrahens rationem communem ab illis, est commune pluribus ratione diuersarum partium, quas in se continet, quatenus includit hoc indiuiduum Petrus, est commune Petro, & quatenus continet hoc indiuiduum Ioannes, est commune Ioanni, & sic de reliquis per accommodam distributionem.

Obiicies secundo. Idem non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi. Sed differentia indiuidualis Petri est ratio disconueniendi inter Petrum & Ioannem: ergo non potest esse ratio conueniendi. Respondeo rationem disconueniendi, quam habet Petrus respectu Ioannis esse differentiam indiuidualem ipsius Petri distinctè cognitam, quæ tantum illi conuenit, & rationem conueniendi esse differentiam indiuidualem ipsius Petri, & differentiam indiuidualem Ioannis cognitam confusè initar vnus obiecti, quod commune est Petro, & Ioanni iuxta distributionem accommodam, vnde nunquam idem adæquate sumptum, neque eodem modo cognitum est ratio conue



conueniendi & disconueniendi. Ad argumentum in forma distinguenda est maioridem eodem modo cognitum non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi, concedo maiorem: diuerso modo cognitum, subdistinguo; idem adequatè, concedo; idem inadequatè, nego. Deinde distinguo minorem. Differentia indiuidualis Petri est ratio formalis disconueniendi in Petro: per se solam & distinctè cognitam, concedo; simul cum aliis confusè cognitæ, nego. Rursus eodem modo distinguo consequens: ergo non potest esse ratio disconueniendi: per se solam distinctè cognitam, nego; simul cum aliis confusè cognita constituendo aggregatum, in quo includantur plures differentie indiuiduales instar vnius obiecti representatæ, concedo.

11 Obiicies, si ab vltimis differentiis potest abstrahi ratio communis, hæc ratio abstracta potest iterum contrahi per differentias, & ab his rursus poterit abstrahi communis ratio: ergo poterit in infinitum procedi. Posses eodem modo obicere: si ab homine, & equo abstrahitur ratio animalis, rursus hæc ratio poterit iterum contrahi ad hominem, & equum, & iterum abstrahi ab homine, & equo, & sic in infinitum dandas esse abstractiones. Respondeo has abstractiones, & contractiones non fieri per nouas formalitates, quæ in singulis abstractionibus reperiantur, sed per repetitionem eorundem conceptuum, si enim ab hoc, & illo indiuiduo abstrahas rationem communem, cum illam contrahas, repetes eosdem conceptus, quos ante abstractionem de indiuiduis distinctè cognitis habueras, & si iterum ab indiuiduis, ad quæ fuit contracta communis ratio, velis abstrahere, repetes eundem conceptum, quem antea elicueras, & de eodem obiecto eandem rationem per abstractionem omnino similem priori, & conceptum formalem tantum numero distinctum abstrahes, & si hac ratione in infinitum procedas, in infinitum eosdem conceptus repetes, in quo præter tui capitis defatigationem nullum inconueniens reperio: tibi consule.

12 Obiicies vltimò contra vtramque conclusionem, quibus diximus non posse abstrahi rationem communem ab indiuiduis in opinione præscindente ex parte obiecti, bene tamen in præscindente ex parte actus. Idem fundamentum, quod sufficit ad præscindendum formaliter vnum ab alio, sufficit ad præscindendum obiectiue admissa possibilitate præcisionum obiectuarum, quia hoc fundamentum in vtraque sententia est obiectorum similitudo: ergo in vtraque sententia, aut in neutra admittenda est ratio communis indiuiduis. Respondeo à me probatum fuisse posse abstrahi rationem communem ab indiuiduis iuxta propriam sententiam tantum formaliter præscindente, contra quam conclusionem præcisè sumptam non procedit prædicta obiectio. Item probavi iuxta præscindente obiectiue non posse dari rationem communem indiuiduis, quod si ex alio capite probetur dandum esse semel admissis his obiectiuis præcisionibus duplex contradictorium inferretur, non præcisè ex conclusione à me tradita, sed ex eo quod hæc præcisiones obiectiue admittantur, quod potero libens admittere, quia ego nunquam has obiectiuis præcisiones possibiles esse admitto, sed repugantes, ac proinde quo plura absurda ex illa inferantur, mea magis sententia corroborabitur. Secundò responderi poterit ad præcisiones obiectiuas requiri inferius à quo extrahitur ratio communis omnis differentialis, adhuc expressè cognitum cognosci in ordine ad duo connotata distincta, quorum vnum fundet similitudinem, seu sit fundamentum ad cognoscendam rationem communem, & aliud fundet dissimilitudinem, seu sit fundamentum ad cognoscendam rationem communem, in qua differunt. Exempli gratiâ, homo, qui resoluitur in duos conceptus, vnum in quo conuenit cum equo, dicit ordinem ad sensationes, in ordine ad quas cognoscitur ratio conueniendi cum equo, & ad ratiocinationes, in ordine ad quas cognoscitur ratio disconueniendi ab equo, videlicet rationale. Similiter albedo resoluitur in conceptum genericum, in quo conuenit cum nigredine, dicit ordinem ad eandem potentiam, ad quam similem ordinem dicit nigredo, in ordine ad quam potentiam cognoscitur prædicatum genericum coloris, & dicit ordinem ad speciales actus distinctos à potentia, quos non terminat nigredo in ordine ad quos cognoscitur prædicatum differentiale. In hoc autem indiuiduo Petro, qui tantum dicit indistinctionem in se, & distinctionem à quolibet alio, non reperitur ordo realis ad vnum connotatum in ordine ad quod cognoscatur ratio aliqua conueniendi, & aliud distinctum

in ordine ad quod cognoscatur ratio disconueniendi, & ideo non potest ab illo obiectiua ratio præscindi, licet possit ex parte actus præscindi ab ipso, & ab alio inter se distinctis ex eo præcisè quod intellectus illa cognoscat sine connotatis, ex vi quorum apprehenditur expressè realis distinctio inter alia indiuidua, à quibus ratio communis abstrahi dicitur.

## PUNCTUM IV.

## De indiuiduo prædicabili.

1 Indiuiduum secundò intentionaliter sumptum definiuit Porphyrius, quod de vno tantum prædicatur. Alio modo, quod subicitur speciei. Posterior definitio explicanda est ex dictis Punct. 2. vbi explicui, quomodo indiuiduum subiciatur non solum speciei, sed etiam generi; speciei tanquam toti essentia, generi tanquam parti materiali.

2 Circa priorem definitionem docuit noster Toletus indiuiduum tantum prædicari de se ipso prædicatione identica, quem impugnant ferè omnes recentes, qui asserunt indiuiduum multis prædicationibus formalibus de ipso prædicari, quia prædicatio identica non est illa, in qua prædicatum identificatur cum subiecto, sic enim omnis vera prædicatio esset identica, sed in qua prædicatum, & subiectum omnino eodem modo significantur. Cum verò indiuiduum possit significari per diuersos formales conceptus, potest ex vi vnius poni ex parte prædicati, & ex vi alijs, quo diuerso modo significetur, poni ex parte subiecti, quod fit in his prædicationibus *hic homo est Petrus; hoc indiuiduum est Petrus; hoc animal rationale est Petrus*, quæ omnes sunt prædicationes formales, in quibus Petrus de se ipso prædicatur.

3 Ceterum aliud est prædicationem esse formalem, aliud prædicatum de subiecto formaliter verificari, quod explicui Controu. 3. Punct. 9. vbi dixi ad propositionem formalem sufficere prædicationem non omnino eodem modo significari, quo significatur subiectum, ad veritatem autem in sensu formali, & non in sensu identico requiri aliquem ordinem inter subiectum, & prædicatum, sicuti superioris ad inferius, aut accidentis ad subiectum, quæ ratione dixi plures prædicationes formales tantum esse veras sensu identico. Hac ratione existimo contingere in prædicationibus supra adductis, & in alijs similibus, in quibus hoc indiuiduum, v.g. Petrus, vel Ioannes est illarum prædicatum, in quo sensu explico Cardinalem Toletum, & illi assentior.

## PUNCTUM V.

## De indiuiduo vago.

1 Indiuiduum vagum opponitur certo, & determinato, I quod definitur potest certare determinata, & singularis, quæ nequit demonstrari proprio nomine, vel termino distincto ex vi cognitionis. Dixi ex vi cognitionis, quia quodlibet indiuiduum existens habet suum esse determinatum, & demonstrari potest à cognoscente rem clarè, & perfectè. Dicitur autem vagum in ordine ad intellectum, qui non potest illud ex vi cognitionis determinatè assignare, vt cum dicimus, *aliquis homo currit*, licet Deus dicere possit, quis sit, qui currit, & in re vnus sit determinatus, ex vi tamen cognitionis respondentis his vocibus *aliquis homo currit*, quam elicit homo, non poterit idem homo aliâ cognitione non superueniente assignare Petrum currentem.

2 Hanc disunctionem in indiuiduo vago repertam docet Arriaga disp. 7. sect. 4. subsect. 4. oriri aliquando ex imperfectione cognitionis, vt cum audio hominem loquentem & non distinguo hominem loquentem à reliquis ab ipso distinctis, neque percipio, quis sit, qui loquitur, & ob hanc causam dicere non possum, hic homo loquitur, sed hic vel ille loquitur; quod est idem ac dicere aliquis homo loquitur. Docet insuper aliquando huiusmodi disunctionem oriri ex eo, quod obiecta indeterminatè ad aliquam rem requirantur, vt requiritur Missæ auditio ad non peccandum, non enim hæc auditio præ alijs requiritur, sed sub disunctione hæc vel illa. Melius docet Hurtad. disp. 7. sect. 9. huiusmodi disunctionem semper oriri ex imperfectione cognitionis, vt plurimum enim cum aliquid disun-



etiam requiritur ad effectum, est quia effectus disjunctiue ponitur, ut cum dicimus hic vel ille equus requiritur ad equitandum, est, quia illud ad equitandum, non dicit hanc equitationem in particulari, ad hanc enim hic equus requiritur, & ad illam equus ille necessarius est.

3 Hanc rationem vidit Arriaga, & respondet, ideo ipsum in singulari exemplum apponere, v.g. in auditione Missæ requisita ad non peccandum, seu ad negationem peccati, quod est effectus determinatus, & non requirit determinatam Missæ auditionem, sed hanc vel illam. Respondeo sufficere quamlibet auditionem Missæ ad non peccandum in re esse idem, ac opponi cum peccato omissionis circa præceptum audiendi Missam, hanc Missæ auditionem, & illam Missæ auditionem, & sic quamcumque aliam singularem, seu peccatum omissionis includere negationes omnium auditionum Missarum, ita ut destructa quacumque negatione auditionis Missæ per auditionem illi oppositam tanquam habitum priuationis destruat peccatum. In quo nihil vagum reperitur, licet vagè à nobis significetur, id enim quod nos significamus per hanc disjunctiue, aliqua auditio Missæ requiritur ad non transgrediendum præceptum, in re est transgressionem præcepti includere negationes omnium auditionum Missarum, & quamcumque auditionem Missæ opponi cum sua negatione, & consequenter cum aggregato negationum, in quo consistit transgressio præcepti, quod in se includebat negationem destructam per auditionem Missæ. Aliter posset dici veritatem illam disjunctiuam, aliqua auditio Missæ requiritur ad non peccandum, seu ad non transgrediendum præceptum, importare quamcumque Missæ auditionem, hanc videlicet per se sumptam, & sic illam actum absolute sufficientem esse omnibus aliis seclusis ad non transgrediendum præceptum, & non posse non transgredi præceptum absque omni auditione, seu nulla auditione Missæ existente, quod dicit necessitatem vniuersiusque auditionis, sub conditione negationum reliquarum auditionum, hæc enim est vera propositio: si absint omnes auditiones Missæ distinctæ ab ista, hæc necessario requiritur ad non transgrediendum præceptum de Missa audienda.

4 Idem dico de præcepto offerendi par turturum aut duos pullos columbarum, sicut enim intelligitur in præcepto audiendi Missam disjunctio in hanc, & illam Missæ auditionem, sic in prædicto præcepto intelligenda est disjunctio inter oblationem par turturum, & oblationem duorum pullos columbarum. Sunt etiam hæc intelligenda de non transgressionem præcepti, de adimplerione verò positiua, dicendum est physice diuersam adimplerionem præcepti esse factam per hanc Missæ auditionem ab adimplerione facta per illam Missæ auditionem; quia hæc adimplerio consistit in hac Missæ auditione, & ita deficiente hac Missæ auditione deficit hæc præcepti adimpletio, etiam si data illa Missæ auditione, deest alia adimpletio æquè sufficiens ad non esse peccati, quod dicit negationem omnium adimplerionum.

5 Eadem ratione respondendum est ad exemplum aliud, quod adducit idem Arriaga de igne singulari, qui non indiget ad sui existentiam hac actione præ omnibus aliis, sed hac vel illa contentus est, quia huiusmodi disjunctio tantum dicit quamlibet actionem ex se esse sufficientem ad hoc, ut ex vi illius existat ignis, seu ignem sufficienter ex vi cuiuscumque, quæ assignetur, posse existere, & non posse existere sine omnibus simul sumptis, quod dicit necessitatem huius actionis ex suppositione, quod alia absint, & sic de reliquis omnibus.

6 Circa prædicabilitatem induidui vagi dicendum est ipsum non prædicari prædicatione pertinente ad aliquod vniuersale, quia terminus iste *aliquis homo*, quo indiuiduum vagum significatur non comprehendit omnes homines infra vnius significatos, sed ut plures & inter se distinctos, disjunctio enim, quam terminus *aliquis* significat essentialiter connotat extremorum distinctionem. Hanc prædicationem *Petrus est aliquis homo*, esse formalem, tantumque verificari ratione identitatis inter subiectum & prædicatum, & non ratione alicuius ordinis, qui in his reperitur, ac proinde non esse veram in sensu formali, sed in sensu identico constat ex dictis Punct. 4. de indiuiduo secundò intentionaliter sumpto.

## CONTROVERSIA VI.

## De differentia, proprio, &amp; accidenti.

**Q**UINQUE differentiarum acceptiones adducit Porphyrius, apud omnes tamen recepta est diuisio differentia in communem, propriam, & propriissimam. Differentia propriissima absolute differentia dicitur, & tertium prædicabile constituit: differentia propria absolute proprium appellari consuevit, & constituit quartum prædicabile: differentia communis accidens nuncupatur, & quintum prædicabile constituit, de his omnibus in hac Controversia breuiter disputatio instituetur.

## PUNCTUM PRIMUM.

*Qualis sit diuisio differentia in communem, propriam, & propriissimam.*

1 **I**nquirimus, an differentia communis, propria, & propriissima vniuocè, vel analogicè, tantum conueniant, potestque questio intelligi de differentiis primò intentionaliter sumptis, in quo sensu in præsentiarum non tractatur, pendet enim ex aliis principiis, an videlicet à substantia, & accidenti possit abstrahi communis ratio, & an à conceptu metaphysico differentia propriissima possit abstrahi aliqua ratio communis, quas questiones propriis locis expendo. Potest etiam intelligi questio de differentiis secundò intentionaliter sumptis, quatenus sunt vniuersales respectu suorum inferiorum, in quo sensu vniuocè conuenire ostendam Controu. 7. Punct. Rursus potest questio procedere de differentiis secundò intentionaliter sumptis in ordine ad rationem communem, quam contrahunt, & speciem, quam cum ratione communi constituunt, in quo sensu in præsentiarum exagitur.

2 **A**ssistant nostri Conimbricenses hic hanc diuisionem esse vniuocam. Assentior Patri Rubio cum aliis assenti diuisionem hanc non esse vniuocam sed analogam. Ratio esto: tantum differentia propriissima simpliciter & absolute contrahit genus, & constituit speciem: ergo tantum differentia propriissima simpliciter & per se conuenit ratio differentia. Probo antecedens: risibile, quæ est differentia propria, est quid superueniens speciei iam constitutæ: ergo illam non constituit: ergo neque diuidit genus, quia eo ipso quod species sit constituta intelligitur iam genus diuisum, & contractum ad speciem per differentiam propriissimam: ergo quando aduenit differentia propria nihil superest constituendum, aut contrahendum. Confirmatur: risibile (idem dico de quacumque alia passione) non facit per se differre hominem ab equo, ergo non conuenit illi ratio faciendi differre. Probatur antecedens: homo differt ab equo per suam essentiam, & per id per quod constituitur. Sed risibile non est essentia hominis, neque id, per quod homo constituitur: ergo homo non differt ab equo per risibile: ergo animal commune homini, & equo non contrahitur ad hominem per risibile: ergo risibile propriè non contrahit genus, neque propriè constituit speciem: ergo non conuenit vniuocè cum differentia propriissima, cuius munus est per se ipsam speciem primò constituere, & genus contrahere. Denique hoc sibi vult proloquium illud, differentia propriissima facit aliud, & communis, & propria faciunt alterum, hoc est, differentia propriissima facit speciem, quam constituit ab alia simpliciter differre, & esse aliud ab omni illo, quod formaliter constituitur per aliam differentiam, & communis & propria tantum reddunt subiectum alteratum, quod salua eadem essentia, quam habebat, constituunt formaliter habens aliud accidens essentie superueniens.

Dices



3 Dices, sicut homo essentialiter differt ab equo per rationale, sic homo albus differt accidentaliter ab homine nigro per albedinem: ergo utraque differentia conueniunt in hoc quod est facere differre, etiam si differant ex eo quod una faciat differre essentialiter, & alia accidentaliter. Respondeo negando antecedens, quia in hoc quod est facere differre accidentaliter, illud accidentaliter non solum est additum importans modum specialem faciendi differre, sed destruens rationem communem faciendi differre, quia differre accidentaliter non est simpliciter differre, aut esse aliud, quia idem à se ipso potest constitui accidentaliter differens per accidens superadditum, & nunquam potest aliquid fieri aliud à se ipso.

4 In istis, sicut est essentialiter differentia propriissima facere differre essentialiter, sic est essentialiter differentia communis, aut proprie facere differre accidentaliter: ergo omnes conueniunt in hoc quod est facere differre. Eodem modo posset arguere: sicut est essentialiter homini vero esse hominem, sic est essentialiter homini picto esse hominem pictum: ergo conueniunt vniuocè homo viuus, & homo pictus in ratione hominis. Respondeo ergo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia id, quod est essentialiter differentia communis, & proprie non est simpliciter facere differre, quia accidentaliter differre, ut saepe dixi, non est absolute, & simpliciter differre.

5 Aduertas tamen albedinem, quæ est differentia accidentaliter respectu subiecti posse concipi ut constituens hoc concretum album formaliter ut album, & ut contentum sub conceptu communi colorati, quod diuiditur in album, & nigrum tanquam in species oppositas, & tunc non se habere tanquam differentiam accidentalem, sed ut essentialiter essentialiter constituentem hoc concretum album, quod formaliter sumptum specie differt ab hoc concreto nigro etiam formaliter sumpto, utrumque enim respicit coloratum tanquam genus, quod de illis tanquam de propriis speciebus predicatur his predicationibus, album est coloratum, nigrum est coloratum.

PUNCTUM II.

De differentia propriissima in ordine ad genus quod contrahitur, & speciem quam constituit.

1 Spponendum est ex Aristotele 10. Metaphysic. cap. 5. & D. Th. 1. p. q. 9. art. 1. ad 3. ea dici differre, quæ in aliquo conueniunt. Vnde hoc est discrimen inter diuersum, & differens, nam vnumquodque ens per se est diuersum ab alio, siue cum illo in aliqua ratione conueniat, siue non conueniat: differens vero solum dicitur illud, quod in aliqua ratione conuenit cum illo, à quo differens est. Sic homo ab equo differre dicitur, quia cum illo conuenit in ratione animalis. Ex hoc constat differre vnum ab alio nihil aliud esse, quam ab illo separari, & distingui, vnde ratio illa, quæ cognita separantur, & distinguuntur differentia dicitur. Est ergo munus faciendi differre, separare, & diuidere ea, quæ erant vnita, & coniuncta. Vnde actus differendi erit destructio vnionis quæ erant intentionaliter vnum ea, quæ plura intentionaliter sunt. Ex his manifestè euincitur actum faciendi differre non existere à parte rei independentem ab intellectu, & à forma intentionali diuidente ea, quæ in ratione superiori erant vnum. Ratio est, quia vnitas vniuersalis, seu generis est intentionalis, quæ non opponitur cum diuisione reali (reale voco, quod intentionaliter opponitur) quia existentibus obiectis quantumuis in se diuisis possint esse vnum, & non plura intentionaliter: ergo vnitas intentionalis diuisioni reali non opponitur.

2 Ex his manifestè deducitur quid sit genus contrahi ad species, seu in illas diuidi, quia cum vnitas generis consistat in cognitione confusa omnium specierum instar vnus obiecti, diuisio consistit in cognitione expressa, seu non confusa eorundem, quæ ut plura & inter se distincta apprehendantur obiecta illa, quæ ex vi cognitionis confusæ erant vnita in ratione communi. Ratio est, quia diuisio nihil aliud est quam existentia extremorum, & carentia vnionis, cum verò extrema existere intentionaliter sit cognosci, & esse vnita sit cognosci confusè: ad hoc ut existant debent cognosci, & ad hoc ut non habeant vnitatem, quam tollit diuisio, debent non cognosci confusè, vnde

diuisio necessariò dicit cognitionem non confusam extremorum, quæ est cognitio distincta, seu ex vi cuius extrema distinctè cognoscuntur.

3 His prædictis fundamentis facile erit dissoluere questionem inter nonnullos acriter exagitatam, An videlicet munus faciendi differre sit reale, vel rationis; cui respondendum est esse reale prout opponitur ficto, seu chimærico, non reale prout opponitur intentionali, consistit enim in actu intentionalis, seu in cognitione, ex vi cuius apprehenduntur distinctè illa, quæ confusè instar vnus fuerant præconcepta. Quotvè actus intercedant in contractione generis, & diuisione eiusdem, & constitutione speciei, & quomodo ex genere, & differentiâ species constituitur, qui inter omnes actus, ex vi quorum hæc fiunt, inter se differant, iam explico.

4 Dico primò, differentiam constituere speciem simul cum genere, seu differentiam constitui ex genere & differentia dicere triplicem cognitionem, duplicem præsuppositiue, & aliam formaliter: hæc sunt cognitio quædam, ex vi cuius cognoscatur animal abstractum ab homine, & præcisum ab animali, & vltima ex vi cuius cognoscatur animal, & rationale confusè instar vnus obiecti indiuisibilis, in hoc obiecto homo quod formaliter est species constituta ex genere & differentiâ iam præcognitis, sicuti totum ex partibus, quæ ad ipsum supponuntur, & in quas potest resolui. Speciem constitui importare duplicem actum, quorum vnus terminetur ad animal secundum se, & alter ad rationale secundum se sic probo. Implicat dici totum constitutum ex partibus absque eo, quod partes præcedant illud ut constitutum: ergo implicat constitui speciem absque eo, quod præcedant partes vt inter se distinctæ: sed hæc sunt animal vt præcisum à rationali, & rationale vt præcisum ab animali: ergo debent hi conceptus præcisi præcedere constitutionem speciei. Posteriores conceptus includi in speciei constitutione facilius probatur: constitutio speciei terminatur ad speciem, quæ dicitur constituta: sed species constituta dicit conceptum quandam obiectum, in quo natura generica, & differentialis apprehenduntur vt vnum absque vlla ipsorum distinctione, vt patet in conceptu hominis, qui dicit animal, & rationale representata in hoc conceptu indiuisibili homo absque vlla distinctione, neque præcisione inter animal, & rationale, ergo speciem constitui dicit ipsam cognosci confusè includentem absque vlla distinctione naturam generis, & naturam differentia; per modum vnus obiecti etiam intentionaliter indiuisi.

5 Ex hac conclusione infero extrinsecum esse huic conceptui homo esse constitutum speciei ex genere, & differentia, ex eo enim quod illum præcesserint duo conceptus distincti, vnus generis præcisi, & alter differentia præcise, dicitur constitutus speciei, seu constituens speciem, quam denominationem non haberet, si duo illi conceptus non præcessissent, etiam si intrinsecè esset idem.

6 Infero similiter speciem intrinsecè non esse formaliter compositam, sed tantum extrinsecè, seu virtualiter, quatenus extra conceptum speciei se habent vt formalitates distinctæ, & vt genus, & differentia illa, quæ in specie nullam compositionem habent, sed instar vnus indiuisibilis obiecti representantur. Ratio est clara: compositio formalis dicit distinctionem formalem extremorum, ex quibus fit compositio: sed species intrinsecè tantum dicit simplicem conceptum hominis, quin in illa significantur partes formaliter distinctæ: ergo in specie nulla potest reperiri intrinseca compositio. Dicitur autem extrinsecè, seu virtualiter composita, quia extra illam id, quod formaliter est simplex conceptus potest per intellectum in duos secari, & resolui in duos formaliter distinctos, id enim quod formaliter dicit homo confusè, & identificatum, seu non distinctum intentionaliter, præcessit distinctum, & diuisum intentionaliter in conceptibus generis præcisi, & differentia præcise, in quos potest iterum resolui.

7 Dico secundò: Per eisdem actus, per quos constituitur species ex genere, & differentiâ, per eisdem contrahitur genus ad speciem per differentiam. Ratio est, quia per actus, quibus species constituitur ex genere, & differentia, genus quod extra speciem erat totum potentiale & vniuersale respectu omnium specierum, constituitur intra hæc speciem identificatum cum rationali, ex vi cuius non potest iam contractum se extendere ad equum, vel leonem: ergo constituitur contractum, etiam diminuta, seu destructa illius



illius vniuersalitate, ex vi cuius indifferens erat ad omnes species, etiam ad vnam tantum determinatum.

8 Dico tertio: Neque genus formaliter vt genus in ipsa contractione contrahitur per differentiam, neque differentia formaliter vt differentia in eadem contractione contrahitur genus. Vtriusque partis conclusionis ratio est eadem: genus formaliter vt genus dicitur conceptum animalis vt distinctum à rationali, & rationale formaliter vt differentia dicitur conceptum rationalis vt distinctum ab animali. Sed in actuali contractione generis per differentiam rationale, & animal cognoscuntur in ita vnus simpliciter obiecti absque vlla distinctione formalitatum: ergo neque animal retinet in ipsa actuali contractione rationem generis, neque rationale rationem differentie: ergo neque genus vt genus intrinsecè contrahitur, neque differentia vt differentia intrinsecè contrahitur. Dixi non contrahi intrinsecè genus, neque vt genus formaliter in ipsa contractione, quia genus extra contractionem formaliter vt genus extrinsecè contrahitur, cognitio enim speciei, seu illius constitutio est contractio generis cogniti formaliter vt genus per aliam cognitionem, quæ supponitur ad vltimum conceptum, per quem vltimò dicitur species constituta. Eadem ratione differentia vt differentia extrinsecè contrahitur genus, quia licet in ipsa contractione non sit formaliter vt differentia, sed inuoluta in specie cum genere, tamen ad hanc contractionem supponitur vt distincta à genere, & formaliter vt differentia potens genus contrahere in conceptu speciei, in quo perdit rationem formalem differentie.

9 Dico quarto: Idem formaliter est genus contrahi per differentias oppositas, ac diuidi in species differentes, quia animal quod apprehendebatur per modum vnus diuiditur per diuersas contractiones, veluti in partes diuersas, videlicet in species, respectu quarum erat totum potestatum. Ex hoc inferes genus non diuidi quando contrahitur per vnam tantum differentiam, quia diuisio est partitio rei in partes diuersas. Sed quando animal contrahitur tantum per rationale ad vnam hominis speciem, non partitur in partes diuersas: ergo non diuiditur. Probo minorem. Quando genus, v.g. animal contrahitur tantum per vnam hominis differentiam rationale ad hanc speciem homo species ista non habet aliam partem, in quam simul, & in illam possit dici genus diuisum tanquam totum in partes: ergo non dantur extrema distincta, quæ sint membra diuisa, quæ dicitur essentialiter diuisio. Dicitur ergo diuisio generis saltem duplicem illius contractionem in species oppositas, & quando per vnam tantum contrahitur, non datur diuisio, sed tantum cognoscitur pars quædam generis per expressiorem conceptum nullâ aliis compartis mentione factâ.

10 Dico quinto: In compositione metaphysica speciei, genus & differentia extrinsecè tantum, & non intrinsecè reperiuntur. Ratio prædicta adest: compositum eatenus requirit partes, quatenus est compositum: sed species cum secundum se, & intrinsecè tantum sit simplex conceptus, videlicet homo intrinsecè non est compositus: ergo intrinsecè non includit partes. Dicitur autem species extrinsecè composita, & extrinsecè habere partes, quia etsi formaliter in se sit indiuisibilis, & per modum vnus simplicissimi obiecti representetur, continet tamen in illo simplici conceptu, ea, quæ aliàs fuerant diuisa, ac proinde tantum est compositum quasi negatiuè, quia licet habeat in se conceptus, qui antea fuerant diuisi, & ob hanc rationem illius partes dicantur, iam conceptus illi nullam diuisionem, neque distinctionem retinent in ipsa specie inclusi, sed in vnam simplicissimam entitatem intrinsecè omnis compositionis expertem conspirant.

11 Vltimò aduerto diuisionem animalis in animal rationale, & animal irrationale, in qua quodlibet membrum diuidens dicitur duplicem conceptum, vnum naturæ genericæ, alterum differentialis non esse diuisionem generis in species, sed subiecti in accidentia. De rationem; species vt sæpe dixi non dicitur duplicem conceptum, sed vnum simplicem, in quo adunantur conceptus generis, & differentie: ergo hoc complexum animal rationale non est species: ergo quando diuiditur animal in animal rationale, & animal irrationale, non diuiditur in species. Dicitur diuidi tanquam subiectum in accidentia, quia respectu generis secundum se sumpti, videlicet animalis differentie accidentaliter se habent, animal enim secundum se indif-

ferens vt coniungatur cum rationali, vel cum inipabili accidentaliter coniungitur cum rationali, quod adæquatè est extra illius conceptum metaphysicè loquendo. Dicuntur ergo solummodò diuisiones generis in species illæ, quibus animal secatur in hominem, & brutum, elementum in ignem, terram, aquam, & ærem, & aliæ huiusmodi. Doctrinam hanc ex Porphyrio tradit Fonseca quem retuli in Summul. Controu. 2. Punct. 2. p. 5.

Obiicies: rationale est accidens respectu animalis: ergo hoc complexum animal rationale est concretum accidentale: ergo non potest esse hominis definitio. Prior consequentia fixa est, posteriorem probo. Homo est compositum substantiale: ergo non potest conuertere cum concreto accidentali: ergo non potest esse illius definitum, quia definitio, & definitum debent conuertere. Concedo priorem consequentiam, & nego posteriorem, ad illiusque confirmationem dico rectè posse conuertere compositum substantiale cum concreto accidentali metaphysico, cuius vtræque pars sit essentialis compositio, & illa quæ per modum formæ significatur, consideretur in ita accidentis respectu aliis compartis, cui superuenit.

#### CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Obiicit quidam negare intrinsecam compositionem in specie esse contra communem apprehensionem sapientium. Respondeo primum sapientem, qui contra conclusionem, quam tradidi aliquid dixerit, esse hunc, qui me impugnare intendit. Deinde sapientes omnes distinguere conceptum hunc homo ab hoc conceptu animal rationale, ex eo, quod prior sit simplex, & posterior compositus, idem hic à conceptu vniuersali, & speciei excluditur, & ille conceptus vniuersalis, & speciei constituitur, iuxta omnium sententiã, qui vniuersale vnum debere esse affirmant.

Obiicit idem secundum communem Theologorum, & D. Thomæ sententiã Deum non esse speciem. Respondeo; id verum esse, sed non ad rem: Deum enim non esse speciem est quia hunc conceptum Deus non possumus diuidere in hunc Deum, & illum Deum, seu in plures Deos, sicuti hunc conceptum homo possumus diuidere in hunc hominem, & illum hominem, seu in plures homines numero differentes.

Rursus arguit; eandem compositionem extrinsecam, quam nos cum specie constitutum reperiri in supremo genere, & differentia infima. Respondeo: hoc esse omnino falsum, imprimis enim hic conceptus ens, quem aliqui affirmant esse supremum genus vniuersè conueniens substantiæ, & accidenti, non potest duplici alio conceptu significari. Deinde in opinione negante hunc conceptum ens esse genericum, & asserenti hunc conceptum substantia esse supremum genus, conceptus iste non potest diuidi in duos alios adæquatè distinctos, quia in conceptu differentie includitur conceptus entis propter transcendentiam, quod aliter euenit in hoc conceptu homo, qui partiri potest in hos duos Animal, Rationale inter se adæquatè distinctos absque mutua, seu non mutua inclusione vnus in alio. Idem patet in conceptu vltimæ differentie singularis v.g. Petreitas, qui non potest in duplicem alium, siue intrinsecè, siue extrinsecè partiri, & in vltima, seu iustissima differentia vniuersali, v.g. rationale, quæ non potest subdiuidi in duplicem alium conceptum vniuersalem.

Vltimò arguit: conceptus generis, & differentie non esse fictos pro libito, sed in specie adunatos reperiri. Id ego affirmo, conceptus hos in specie adunatos reperiri, in specie representatos per modum vnus simplicis entitatis absque vlla compositione intrinseca; conceptus enim animalis, & conceptus rationalis reales sunt, & omne quod includit vtrumque, reperitur in hoc conceptu homo, quia tamen representatur animal, & rationale in hoc conceptu homo per modum vnus simplicis entitatis nulla apprehensa distinctione inter rationale, & animal, in illo non reperitur intrinseca compositio, quæ stare non posset bene partibus inter se distinctis realiter, si compositio realis sit futura, & intentionaliter, vel per rationem, si de compositione intentionaliter, seu per rationem agatur.

Procedit eodem prorsus modo hæc doctrina siue præcisio tantum formalis, siue obiectiua tantum inter gradus vniuersales admittatur, vnde abs re omnino hic Author questionem hanc mouetur ad probandum dari præcisiones obiectiuas, de quo iterum cum eo conféro.



PUNCTUM III.

Nonnulla expediuntur de differentia.

- 1 Inquires primò : An differentia suscipiant magis, & minus? Respondeo differentiam propriissimam constitutam speciei non suscipere magis, & minus, quia essentiale constitutum cuiusvis rei in indivisibili consistit. Differentiam communem suscipere magis, & minus certum est: lignum enim, & quodvis aliud subiectum fit magis, minusve calidum. Accidens quod est differentia propria, aliquando suscipere magis, & minus patet in calore, & frigidityte, quæ passionēs sunt elementorum; semper tamen essentia, cuius accidens est differentia propria, petit tantam determinatam intensiōem, ita ut si ultra illam aliquid qualitatis subiecto contingat, excessus ille non sit subiecti passio neque propria differentia. Ob hanc rationem possit aliquo modo dici propriam passionem formaliter sumptam in indivisibili consistere, & formaliter ut talem non suscipere magis, nec minus.
- 2 Inquires secundò : An genus sumatur à materia, & differentia à forma? Respondeo genus, & differentiam sumi à tota rei entitate; dicitur autem genus sumi à materia, & differentia à forma, quia genus assimilatur materiæ propter indifferentiam, quam habet ad plures differentias, sicut materia ad plures formas. Similiter differentia assimilatur formæ, quia sicut hæc materiam determinat, & actuat, sic illa determinat genus, quod contrahit.
- 3 Inquires tertio : An differentia infima, & subalternæ sint eiusdem rationis? Respondeo affirmatiue, quia eodem modo contrahunt genus sibi superius, & constituunt speciem infimam, & speciem, quæ genus est subalternum.
- 4 Inquires quarto : An possit esse differentia infima constans duobus inadequatis inter se distinctis, quod est idem ac inquirere, an eadem species possit constitui sub duplici genere infimo, quorum vnum alteri non subordinetur? Respondeo in primis certum esse, hoc in omnibus speciebus necessarium non esse, quia homo solum est sub genere infimo animalis, in aliquibus tamen hoc contingere, sicut in actu, quo quis ieiunat ex moriū obediētiæ, & ex moriū temperantiæ, qui actus est sub ratione communi obediētiæ, & temperantiæ, qui inter se non subordinantur. Eadem ratione contingit in voluntate, quæ appetitiua, & spiritalis est, & continetur sub rationibus communibus spiritalis, & appetitiui inter se non subordinatis, ratio enim appetitiui communis est appetitiui materiali, & spiritali, & ratio spiritalis communis est appetitiui, & non appetitiui.
- 5 Nota ex duobus generibus inadequatis non subordinatis confluentibus in eandem entitatem, quodlibet posse considerari per modum differentie aliud efficiens. Sic ex duobus generibus supra assignatis ratio spiritalis potest contrahi per spirituale appetituum in voluntate, & per spirituale non appetituum in intellectu, & ratio appetitiui per appetitum spirituale in voluntate, & per appetitionem materiale in brutorum appetitu.
- 6 Obiciēs contra conclusionem supra traditam Philosophum dicentem ea, quæ sunt sub diuersis generibus esse specie diuersa. Respondeo Philosophum intelligendum esse de generibus adequatis, non de inadequatis, item de generibus inter se oppositis, sicut corporeum, & incorporeum, non de generibus quæ inter se neque oppositionem, neque subordinationem habent.
- 7 Inquires quinto : An differentia sit perfectior genere? Respondeo secundum modum prædicandi perfectius esse genus differentia, quia genus prædicatur in quid per modum per se stantis, & differentia in quale quid per modum alteri adiacentis. Secundum autem modum essendi sentio differentiam perfectiorem esse genere, quia differentia se habet ut forma, & genus ut materia, forma verò materiam perfectione excellit. Hanc rationem impugnat Arriaga disp. 7. sect. 1. subsect. 4. quia si esse per modum formæ est perfectius, prædicari per modum formæ est prædicari per modum perfectioris: ergo est perfectior modus prædicandi. Non valet consequentia, quia terminus perfectius in præmissis attingit entitatem, quæ prædicatur, & in consequenti modum prædicandi, & aliud est prædicari differentiam ut entitatem perfectissimam, aliud prædicari per ætissimo modo, quæ realiter separantur, potest enim

entitas ut summè perfecta imperfecto modo prædicari. Aliam rationem subiicit Arriaga propter quam differentia sit perfectior genere, videlicet quia magis distat ab ente; ea verò quæ magis accedunt singularibus, & distant à ratione vniuersalissima perfectiora sunt. Sed si Arriagam roges, cur minus vniuersalia perfectiora sint vniuersalioribus, nullam aliam poterit reddere, nisi quia superiores conceptus inferioribus contrahuntur, & hi se habent instar formarum respectu illorum.

Inquires sexto : Qualis sit diuisio facta à Porphyrio in differentiam diuisuam generis, & contractiuam speciei? Respondeo esse diuisionem potentie in diuersos actus, siue in eundem diuerso modo explicatum.

Inquires septimò : Qualis sit diuisio differentie facta à Porphyrio in differentiam separabilem, & inseparabilem? Respondeo, secundum munus faciendi differre accidens, in esse differentie esse separabilem ut accidens commune, vel inseparabilem ut differentiam propriam; ac proinde hoc modo intellecta diuisio erit subiecti in accidentia. Si autem per differentiam inseparabilem, intelligatur inseparabilitas per modum essentie quæ conuenit tantum differentie propriissimæ, diuisio erit analogi in analogata, iuxta dicta Punct. 2. Vltimò si hæc diuisio tradatur de differentia ut prædicabili quomodocumque explicetur erit generis in species, quia differentia communis, propria, & propriissima vniocè conueniunt in ratione prædicabilis. Solet hic disputari an differentia inferior formaliter superiore includat, de quo in Metaph. Controu. 1. §. 4.

PUNCTUM IV.

De differentia formaliter ut prædicabili.

Differentia propriissima tertium prædicabile constituit distinctum à genere, & specie, ut constat ex his quæ de his prædicabilibus tradidi. Definuit Porphyrius differentiam, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid, quam definitionem communiter recentiores impugnant, quia non conuenit differentie infimæ, quæ tantum prædicatur de pluribus differentibus numero. Neque sufficiens est explicatio, quam de illa nonnulli antiqui tradidē de non repugnantia, qui asserbant rectè definiri differentiam per non repugnantiam ad prædicandum de pluribus differentibus specie, quia differentia ut sic abstracta non repugnat de pluribus specie differentibus prædicari. Quæ explicatio nullo modo placet, quia non bene definitur species per id, quod generi præciso non repugnat, aliàs posset definiri homo per animal hinnibile, quia generi secundum se videlicet animali hinnibile non repugnat, & sicut homini ratione differentie repugnat esse hinnibile; sic differentie infimæ ratione differentie, quæ infima constituitur, repugnat prædicari de pluribus specie differentibus.

Expungenda est ergo à definitione particula illa differentibus numero, & definiendum quod prædicatur de pluribus in quale quid, per quam definitionem differt hoc prædicabile à duobus prioribus, quæ nullo modo prædicantur in quale, sed in quid purè; & à posterioribus, quia in quale purè, & nullo modo in quid prædicantur. Alio modo clarius differentiam definiēs, quod prædicatur de pluribus per modum partis formalis essentialis, quæ definitio conuenientiam exprimit differentie cum reliquis prædicabilibus, in hoc quod est prædicari de pluribus, & disconuenientiam cum duobus prioribus in hoc, quod est prædicari per modum partis formalis, & cum posterioribus in eo, quod prædicetur non solum ut pars formalis, quod illis est commune, sed ut pars essentialis, quod neutri illorum cōuenit.

De definito huius definitionis nihil speciale occurrit dicendum præter ea, quæ de genere diximus, videlicet esse naturam denominatam secundā intentione, seu concretum resultans ex natura & secundā intentione. Vide dicta de Genere, ubi explicui quid sit prædicari in quid, & in quale.

Inquiri solet, in ordine ad quid differentia constituatur vniuersalis: de quo breuiter dicendum est non posse constitui vniuersalem in ordine ad speciem infimam, aut subalternam quam constituit, quia respectu huius æqualis est, & ad conuertentiam dicitur, sensibile enim conuertitur cum animali, quod constituit, & rationale cum homine. Certius est non posse vniuersalem constitui respectu generum, quæ



quæ contrahit, quia omne genus latius patet quacumque differentia, per quam contrahitur, cum sit contrahibilis per plures differentias inter se oppositas. Constituitur ergo differentia vniuersalis respectu inferiorum speciei subalternae, seu infimæ, quam constituit, v.g. sensibile respectu hominis, & equi, & reliquarum specierum, seu reliquorum inferiorum animalis quod constituit, & rationale respectu Petri & Ioannis, reliquorumque inferiorum speciei hominis, quam rationale constituit tanquam pars formalis.

## PUNCTUM V.

## De differentia propria, seu de proprio primo intentionaliter sumpto.

**I** Quatuor proprij acceptiones assignauit Porphyrius cap. de proprio. Prima est quod conuenit soli, non tamen omni, neque semper, vt esse musicum, quod conuenit tantum homini, non vero semper, neque aliquando omnibus indiuiduis. Secunda est, quod conuenit omni non tamen soli, vt esse bipedem. Tertia, quæ conuenit omni & soli, non tamen semper, sicut canescere, quod conuenit omni homini, & illi soli, non tamen semper. Quarta, quod conuenit omni, soli & semper, sicut esse risibile respectu hominis. In his acceptionibus quartam Porphyrius omnibus præfert, explicabo breuiter iuxta quam proprium quartum prædicabile constituitur.

**2** Proprium cuiusvis rei idem est ac passio illius quapropter communiter definitur id quod est extra essentiam, necessarium tamen illam comitatur: per quam definitionem proprium differt à tribus prioribus prædicabilibus, quæ essentialia sunt, & à quinto, quod essentiam non necessario comitatur. Proprium est duplex quoddam physicum, aliud metaphysicum: Physicum est illud, quod realiter ab essentia distinguitur sicuti potentia intellectiua in opinione, quæ passiones ab anima distinguit: proprium Metaphysicum dicitur, quod physicè cum essentia identificatur, & per intellectum extra illam concipitur. Ex his proprium physicum physicè & realiter est extra essentiam; proprium verò metaphysicum tantum per intellectum extra essentiam concipitur.

**3** Sento Proprium quarto modo sumptum tantum quartum prædicabile constituere, quia illud provenit ab essentia, quidquid enim ab hac dimanat omni indiuiduo conuenit, cum essentia indiuiduorum in omnibus eadem sit, & per se loquendo semper conuenit, quia essentia semper est eadem, earundem radix passionum. Addo conuenire soli, quia id, quod conuenit rebus specie differentibus, non alicui earum in particulari tribuimus, quia adæquatum fundamentum, quod dicimus risibile dimanare ab essentia hominis est, quia videmus semper cum illa coniungi, & in nullo separari.

**4** Aduerte tamen Proprium secundo modo sumptum, quod conuenit omni non tamen soli, pertinere ad hoc prædicabile non quatenus conuenit illi speciei, cui non soli dicitur conuenire, sed quatenus comitatur aliquid prædicatum essentialie commune omnibus speciebus, quibus conuenit, respectu cuius prædicati proprium erit, & propria passio, sicuti potentia videndi, quæ conuenit homini, & aliis ab homine, non dicitur propria passio hominis, sed animalis, quia conuenit omni animali (hoc suppono vt rem explicem, quidquid sit de talpa, & aliis animalibus) & in nullo non animali reperitur.

**5** Proprium primo, & tertio modo sumptum nullo modo pertinet ad hoc prædicabile, quia omnino contingenter conuenit subiecto, Petrum enim esse Musicum æquè illi contingens est, ac esse album, quod autem esse album possit conuenire aliis speciebus, & non esse Musicum, impertinens est in ordine ad Petrum, quia album posse aliis speciebus conuenire non est relatio albedinis ad Petrum, sed ad alias species, & eadem ratione non posse conuenire esse musicum speciebus aliis, non est relatio musicæ ad Petrum sed defectus relationis in musica ad alias species. Idem dicito de canitie, quæ cum non semper hominem respiciat, contingenter se habet respectu illius, neque ex prædicatis essentialibus oritur, sed spectat alias extrinsecas circumstantias.

## PUNCTUM VI.

## De Proprio secundo intentionaliter sumpto.

**P**roprium secundo intentionaliter sumptum est unum aptum prædicari de multis in quale necessario. Conuenit cum omnibus prædicabilibus in hoc quod est prædicari de multis; differt à genere, & specie: quia hæc prædicantur in quid purè; à differentia quia prædicatur in quale quid, ab accidente, quia licet prædicetur in quale non prædicatur necessario, sed contingenter. Posset non ineptè proprium definiri, quod prædicatur de pluribus tanquam pars formalis orta ab essentia. Quæ definitio proprium distinguit à genere, & specie, quia hæc non prædicantur vt partes formales, & à differentia, & accidenti, quia non sunt partes formales ortæ ab essentia: differentia enim est constitutum ipsius essentia, & accidens cum illa connexionem non habet.

De termino in ordine ad quem proprium prædicabile constituitur philosophandum est sicuti de differentia, & dicendum non constitui vniuersale in ordine ad speciem cuius est propria passio, quæ cum illa dicitur ad conuertentiam, sed respectu inferiorum talis speciei, risibile v.g. respectu inferiorum, quæ sub specie hominis, cuius proprium est, continetur.

## PUNCTUM VII.

## De differentia communi, seu de accidenti quinto prædicabili primo intentionaliter sumpto.

**A**ccidens quantum prædicabile definitum fuit à Porphyrio quod potest adesse, & abesse absque subiecti corruptione. Alio modo quod eidem inesse, & non esse potest. Illud adesse, & abesse intelligendum est eo modo quo fuerit accidens, si enim accidens fuerit physicum, physicè poterit adesse, & abesse; si verò metaphysicum, metaphysicè tantum, & per intellectum poterit abesse à subiecto, cum quo realiter est identificatum.

Vulgaris obiectio est calorem vt octo aquam destruere, & mortem destruere hominem, etiam si calor respectu aquæ, & mors respectu hominis sint accidentia. Respondeo subiectum caloris sicuti aliorum accidentium esse materiam primam, quæ non corrumpitur receptione caloris: quod si cum Thomistis velis defendere accidentia subiectari in toto composito, rectè respondebis calorem vt octo nunquam subiectari in aqua, quæ ex vi illius corrumpitur, sed in igne seu quocumque alio toto ad quod vltimò disponit, accidentia enim quæ remanent toto corrupto, non in hoc toto corrupto, sed in genito subiectantur. Ad aliam obiectionem, Respondeo mortem non respicere hominem tanquam subiectum, cui adueniat tanquam forma, sed tanquam habitum, quo priuat, est enim mors non esse hominis, quod non illud tanquam subiectum supponit, sed destruit sicuti priuatio proprium habitum.

Difficilius obicitur, definitionē hanc Proprio, seu quarto prædicabili conuenire, quia frigiditas vt octo, quæ est passio aquæ potest illi adesse, & abesse absque sui corruptione, & omne proprium metaphysicum potest metaphysicè abesse absque subiecti corruptione; potest enim essentia sine passionibus menti obijci, neque aliā ratione possunt plura accidentia à subiectis abesse, hæc enim prædicatio Petrus est existens, pertinet ad quintum prædicabile, & existentia tantum per intellectum potest à Petro separari. Respondent nonnulli de ratione accidentis esse, ita posse abesse vt subiectum cum accidenti contrario possit intelligi. Non assentio, quia actus ridendi est accidens hominis, & non ita potest abesse vt intelligatur homo cum opposito actu hinniendi, aut ridendi. Deinde frigiditas vt octo est passio aquæ, & hæc potest intelligi cum valore vt vnum, qui contrariè opponitur cum frigiditate vt octo.

Respondent alij ex eo distingui proprium, & accidens, quod accidens potest non solum præcisiuè, sed etiam negatiuè separari à subiecto, possumus enim quodcumque accidens de subiecto positiuè negare, & dicere, lignum non est calidum, non verò propriam passionem, quia licet ab hac possit essentia præcindi, hoc est, cognosci essentia passione



passione non cognita, non tamen potest de subiecto negari, non enim potest dici, homo non est risibilis. Contra hanc solutionem argumentum desumitur ex frigiditate ut octo, quæ est passio aquæ & positivè de illa potest negari, verè enim dicimus; cum aqua ab extrinseco gradum aliquem caloris recipit, aqua non est calida ut octo. Respondet Eminētissimus, & admodum Venerandus Cardin. Bellarm. tom. 3. de amissione gratiæ, cap. 3. obiect. 6. q. 1. art. 1. propriam passionem non posse separari positivè à subiecto, neque de illo verè negari absque aliqua subiecti violentia, cum enim verè enunciāmus, aqua non est frigida ut octo, violentiam patitur aqua in negatione octavi gradus frigiditatis, in quo differt passio ab accidenti, quia hoc absque vlla violentia potest à subiecto separari, vel potuit illi non contingere.

Non impugno solutionem à tanto viro traditam, quæ præ omnibus rem dirimit, quæ defendenda est definitio tradita à Porphyrio si aliquo modo sustinenda est. Verumtamen non inuenio in prædicta definitione particulam aliquam, quæ illius doctrina explicetur, neque multum referet dicere cum Hurtado disp. 6. sect. 6. ineptam definitionem traditam fuisse à Porphyrio, vel cum Arriaga disp. 8. sect. 3. prædicta definitionem quartum, & quintum prædicabile comprehendit.

Definitur clariùs quantum prædicabile ut distinctum à proprio quod conuenit subiecto tanquam forma accidentalis omnino contingenter. Differt à proprio per illam particulam, omnino contingenter, & reliquæ eodem modo explicantur, ac in definitione proprii.

PUNCTVM VIII.

De accidente secundo intentionaliter sumpto, seu de quinto prædicabili.

Explicatis iam naturis reliquorum prædicabilium facile hoc quantum definitur: duplicem definitionem breuiter accipe. Accidens prædicabile est quod prædicatur de pluribus in quale omnino contingenter. Alio modo: quod prædicatur de pluribus ut forma accidentalis omnino contingens subiecto. Per illas particulas omnino contingenter, & omnino contingens subiecto differt hoc prædicabile à quinto, reliquæ partes definitionis eodem modo explicantur, ac in proprii definitione.

De termino in ordine ad quem accidens constituitur prædicabile dicendum est esse subiecta, quibus conuenit accidens non formaliter sumpta ut informata tali accidenti, sed materialiter, & secundum se sumpta, quatenus supponuntur ad tale accidens tanquam substitutum concreti resultantis ex subiecto, & accidenti. Rem explicet exemplum: abstrahitur ab hoc & illo albo ratio albi vniuersaliter sumpti, conceptus ille, seu illud concretum album abstractè sumptum non constituit quantum prædicabile respectu huius albi, & illius albi formaliter sumpti, quia hæc prædicatio hoc album est album, non pertinet ad quantum prædicabile, sed ad secundum speciei, quia prædicatum dicit quidquid includit subiectum demptà differentia individuali, quod est dicere totam essentiam prædicabilem per quod constituitur species formaliter. Constituitur ergo conceptus ille album sic abstractum quantum prædicabile respectu subiectorum, quæ includunt tanquam substituta concreta singularia, à quibus abstrahitur, v. g. respectu ligni, parietis, &c. quibus cum albedine constituitur hoc album, & illud album.

Quæstio est, an hoc prædicatum album requirat plura subiecta actu existentia ut constitutur vniuersale. Patres Conimbricenses affirmatiuam partem tuerentur, quia hoc prædicatum album tantum potest enunciari de subiecto existente, ac proinde pluribus subiectis non existentibus de pluribus prædicari nequit, neque esse vniuersale cuius essentia est posse prædicari de pluribus. Alij distinguunt inter accidentia, quæ requirunt existentiam subiecti, sicut albedo, quæ de subiecto non existente in concreto dici nequit, & accidentia intentionalia, quæ hanc existentiam non exposcunt, potest enim dici cognitus Petrus etiam non existens. Idem iudiciū ferunt de accidenti subiecti destructiuo, de Petro enim non existente dicimus, Petrus est mortuus.

Censeo in primis hanc distinctionem ad rem non esse, quia sicuti non possumus dicere Petrus est albus, nisi de Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.

facto sit albedo efficiens subiectum, ita non possumus dicere est cognitus, nisi de facto existat cognitio respiciens obiectum, quod denominat cognitum, neque Petrus est mortuus nisi de facto sit mors, seu non esse hominis, qui antea fuerat, & sicuti inquiritur an existente vno tantum subiecto albo hic conceptus albus sit vniuersalis, sic inquiri debet an vno tantum subiecto dato, cum denominatione cogniti, seu an data tantum vna cognitione vnicum respiciens subiectum, conceptus iste cognitus abstractè sumptus sit vniuersalis, & an quando vnus tantum homo fuit emortuus, conceptus iste mortuum abstractè sumptum vniuersalis sit. Censeo insuper non existentibus pluribus subiectis actu albis hoc prædicatum album abstractè sumptum esse vniuersale, quia quatenus est ex se, aptum est prædicari de pluribus, & si de facto non possit immediatè de illis prædicari, hæc impotentia non oritur ex aliquo, quod in prædicato sic abstracto ad prædicabilitatem desideretur, sed ex defectu subiecti, quod non minuit potentiam prædicandi tenentem se ex parte prædicati, sicuti non minuit meam potentiam visuam defectus obiectorum, & de facto dicor habere potentiam ad videndam duos Soles licet de facto nō possim illos videre, quia vnus solus existit.

Rogari solet an quantum prædicabile requirat plures albedines in pluribus subiectis, vel an contentum esset vnica albedine in pluribus subiectis existente. Cui quæstioni respondeo sufficere eandem albedinem in pluribus subiectis, quia concreta accidentalia multiplicantur per subiecta, & ita essent plura alba, etiam si vna tantum albedo existeret in pluribus subiectis. Neque ex hoc sequitur dari vniuersale à parte rei, quia licet albedo esset vna, alba tamen non haberent vnitatem nisi per intellectum.

Hic disputant nonnulli an quartum, & quintum prædicabile essentialiter differant, vel tantum accidentaliter, de quo Controu. 7. Punct. 1.



CONTROVERSIA VII.

De his quæ communia sunt omnibus prædicabilibus.

PUNCTVM PRIMVM.

De numero prædicabilium.

**R**ÆDICABILIA quinarium numerum attingere, illūque non excedere fert communis sententia, à qua propter leuia fundamenta recedendum non est. Prædicabilia non posse excedere quinarium sic probō: Modus prædicandi vel est in quid purè, vel in quale, vel in quale quid. Si est in quid, vel est tanquam pars, vel tanquam totum: si tanquam pars erit tanquam pars materialis, quia pars formalis non prædicatur in quid purè, & ita modus iste prædicandi constituit genus, quod est primum prædicabile: si tanquam totum constituet secundum prædicabile, quod est species, neque præter hos duos modos alius superest prædicandi in quid purè. Prædicandi in quale quid vnus tantum reperitur modus prædicandi per modum partis formalis essentialis, quia pars materialis & totum prædicantur in quid purè, & pars accidentalis in quale purè, hic ergo modus prædicandi in quale quid constituit tertium prædicabile, quod est differentia. Modus prædicandi in quale purè, necessariò est per modum partis formalis accidentalis, quæ si necessariò comitetur essentiam constituet proprium quartum prædicabile: si contingenter, accidens quantum prædicabile conficiet. En quinque modos prædicandi, quibus quinque prædicabilia constituuntur, vltra quos nullum alium mediteris. Alio modo eandem conclusionem breuiter ostendo. Modus prædicandi vel est essentialis, vel accidentalis. Si essentialis vel per modum partis materialis, qui modus proprius est generis, vel per modum partis formalis, qui pertinet ad differentia, vel per modum totius, quo species constituitur, neque alius modus prædicandi essentialiter valet excogitari. Si modus prædicandi accidentalis sit, aut prædicatū accidentale necessariò comitatur essentiam, aut illi contingenter aduenit: si illam necessariò comitatur, erit proprium quartum prædicabile, si contingenter constituet



constituet accidens quintum predicabile, neque ultra hos modos predicandi alius excogitari potest.

2 Contra hanc conclusionem nonnulli obiciunt: genus subalternum predicatur de pluribus genere differentibus, genus infimum predicatur tantum de pluribus specie differentibus: ergo genus subalternum, & genus infimum specie differunt. Probatur consequentia: genus & species in hac ratione predicabilium differunt specie, quia genus predicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero. Sed magis inter se differunt predicari de pluribus differentibus genere, & pluribus differentibus specie, quam predicari de pluribus differentibus specie, & pluribus differentibus numero: ergo magis differunt in modo predicandi genus subalternum, & infimum, quam genus, & species. Sed genus & species constituunt duo predicabilia essentialiter distincta: ergo duo alia constituent genus subalternum, & infimum. Idem argumentum fit de specie subalterna, & infima.

3 Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam. Ad confirmationem dico genus & speciem non distingui specie precise ex eo, quod genus predicatur de pluribus differentibus specie, & species de pluribus differentibus numero, sed ex eo, quod genus predicatur per modum partis materialis, & species per modum totius essentiae, quae differentiae explicantur in genere, & in specie per hoc quod est predicari genus in quid de pluribus specie differentibus, & speciem de pluribus differentibus numero. Genus autem subalternum, & infimum utrumque predicantur per modum partis materialis, & ita non inveniuntur in illis differentiae, quae reperiuntur inter genus & speciem, ut duo predicabilia constituent. Idem dicito de differentia subalterna, & infima, utraque enim predicatur tanquam pars formalis essentialis, absque eo, quod resulter modus aliquis distinctus predicandi in subalterna, & infima, etiam si haec tantum predicetur de pluribus numero differentibus, & illa de pluribus differentibus specie.

4 Probauimus predicabilia non excedere quinarium numerum, videndum modus est an illum attingant. Tria priora predicabilia inter se, & a quarto, & quinto specie differre certum est apud omnes: de quarto & quinto predicabili maior est difficultas. Arraga disp. 9. sect. 2. n. 11. asserit haec duo predicabilia inter se non differre essentialiter, & ita vnum tantum constituere, quia utrumque predicatur in quale pure, & utrumque per modum partis formalis accidentalis, quod autem vnum predicetur necessario, & aliud contingenter, putat esse materialem differentiam ad Logicum non spectantem. Idem docet Hurtadus disp. 7. sect. 2. licet se non reclamaturum promittat, contra illos, qui haec duo predicabilia specie distinguunt.

5 Nulla efficaci ratione in sententiam aliquam efficaciter trahor, quapropter ito pro communi sententia, & affirmo haec duo predicabilia inter se essentialiter differre ex modo predicandi, quibus completur quinarium predicabilium numerus ab omnibus receptus. Sic ratio: modus predicandi necessarius, & modus predicandi contingenter sunt modi predicandi essentialiter distincti, contingens enim, & necessarium essentialiter opponuntur, & uterque modus predicandi pertinet ad speciem predicabilis constituendi, sicuti modus concludendi ex principiis necessariis, aut contingentibus pertinet ad speciem syllogismi constituendi, & quando concluditur ex principiis omnino necessariis constituitur demonstratio specie distincta a syllogismo probabilis, qui constituitur quando concluditur ex principiis non necessariis, & sicuti ex diuersitate materiae necessariae, aut contingentis resultat differentia essentialis in syllogismo, qui ex hac, vel ex illa constituitur, sic ex diuersitate eiusdem materiae resultabit differentia essentialis in predicabili, quod constituitur ex predicato, quod necessario, aut contingenter conuenit subiecto.

6 Ex hac doctrina facile respondebis argumento, quod pro opposita sententia fieri solet. Quartum, & quintum, tantum differunt ratione materiae contingentis, aut necessariae. Sed Logicus non agit de materia predicabilium: ergo differentia illa non pertinet ad Logicum: ergo haec predicabilia Logicè non differunt. Distinguendum est primum antecedens: quartum, & quintum predicabile tantum differunt ratione materiae radicaliter, concedo formaliter nego, hoc est, tota differentia horum predicabi-

lium initium sumit ex diuersitate materiae, non tamen formaliter in hac consistit, sed in differentia in modo predicandi contingenter aut necessario, quae ex materia diuersitate resultat.

## PUNCTUM II.

An universale sit genus ad quinque predicabilia.

1 Non procedit questio de vniuersali materialiter sumpto, seu de naturis, quae denominantur vniuersales, seu constituunt genera, aut species, harum enim quaedam sunt accidentia, alia substantia, quaedam entia positiua, alia negatiua, quaedam realia, rationis alia, quibus omnibus non dari conceptum commune vniuocum certum est. Procedit difficultas an genus, & species & reliqua predicabilia formaliter sumpta, quatenus sunt concreta secundum intentionis vniuocè conueniant in conceptu vniuersalis omnibus communi.

2 In sensu questionis explicato mihi certum est omnia predicabilia vniuocè conuenire in conceptu vniuersalis omnibus communi, & essentiali. Ratio fit: omnia predicabilia habent essentialiter hoc quod est posse predicari de pluribus, & differunt ex eo quod vnum predicetur ut tota essentia, aliud ut pars materialis, aliud ut pars essentialis, &c. ergo possunt omnia cognosci cognitione quadam confusa, ex vi cuius apprehendantur quatenus possunt de multis predicari, quin discernatur specialis cuiuscumque modus predicandi per modum, vel per modum partis, &c. ergo possunt cognosci conceptu quodam vniuocò secundum rationem, in qua omnes conueniunt, quae ex vi talis cognitionis genus denominabitur. Confirmatur: hominem, & equum, & alias huiusmodi species vniuocè conuenire in ratione animalis nihil aliud est quam cognosci cognitione quadam confusa, ex vi cuius non discernantur differentiae, & omnia attingantur secundum connotata similia, per quam cognitionem animal, quod intrinsecè tantum est viuens sensibile extrinsecè denominatur genus. Sed omnia predicabilia possunt cognosci simili cognitione, ex vi cuius non discernantur differentiae, sed tantum attingatur ratio vniuersalis: ergo ex vi huius cognitionis vniuersale quod tantum intrinsecè habet esse vnum in multis genus denominabitur respectu omnium predicabilium, seu omnium specierum, quae in illa cognitione confunduntur.

3 Obiicies: Tria priora predicabilia predicantur essentialiter, duo posteriora accidentaliter: ergo non conueniunt vniuocè in ratione predicabilium. Respondeo: tria priora predicabilia esse essentialia suis inferioribus, & posteriora accidentalitè, omnibus tamen esse essentialitè posse predicari de multis, potentia enim, seu aptitudo ut predicentur de multis, omnibus est aequè essentialis, licet tria priora habeant aptitudinem ut predicentur tanquam subiecti essentia, & duo posteriora habeant aptitudinem ipsi predicabilibus essentialitè, in qua cum aliis conueniunt, ut predicentur tanquam accidentia respectu subiecti. Aliud enim est predicatum non esse essentialitè respectu subiecti, quod conuenit duobus posterioribus predicabilibus, aliud in se non habere aptitudinem essentialitè, ut predicetur, quod de nullo predicabili dici potest, omnia enim habent aptitudinem ipsi essentialitè ut predicentur, in qua vniuocè conueniunt.

4 Obiicies secundò: Differentia essentialis, & differentia accidentalitè non conueniunt vniuocè quatenus faciunt differre: ergo neque quatenus sunt predicabiles. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia differentia accidentalitè proprie non facit differre, ut dicebam Controv. 6. Punct. 1. differentia verò accidentalitè propriissime predicatur predicatione, quae strictè & rigorosè habet totam predicationis assentiam, & ita habet strictam, & propriam potentiam secundum omnia predicata potentia ut de inferioribus predicetur.

5 Obiicies tertio: Duo predicabilia posteriora dependent a duobus prioribus: ergo non possunt vniuocè conuenire. Defendo in Metaphysic. Controversia 1. Puncto 6. dependentiam non tollere vniuocationem, ac proinde omisso antecedenti possem consequentiam negare, independentem tamen ab hac questione argumentum dissoluo distinguendo antecedens. Posteriora predicabilia dependent a prioribus



## PUNCTUM PRIMVM.

*Quid sit signum.*

prioribus secundum entitates materiales, concedo: secundum predicabilitatem, quæ est forma vniuersalis, nego. Instabis: modus prædicandi sequitur modum essendi, quia quales sunt res, tales debent enuncitari. Sed modus essendi posteriorum prædicabilium est dependenter à prioribus: ergo & modus prædicandi. Respondeo modum prædicandi sequi modum essendi intentionalem, & non realem. Ad confirmationem dico res debere prædicari ex parte obiecti in ordine ad affirmationem, & negationem eo modo, quo fiunt non verò secundum modum prædicandi, modus enim quo res existit, debet explicari per prædicationem, non tamen debet ipsi prædicationi conuenire, quia modus essendi cuiuslibet rei, est determinatus, & singularis, & modus prædicandi sepe est vniuersalis, vagus & confusus.

Obiicies quartò: Conceptus vniuersalis transcendit ultimas differentias prædicabilium: ergo non potest illis esse vniuocus. Eodem modo, quo de dependentia, sentio de transcendentia vniuocacionem non impedire, sed quidquid de hoc sit negandum est, quia differentie prædicabilium, quæ explicantur per *quid*, aut per *quale*, aut per modum partis materialis, vel formalis, seu per modum totius secundum se vniuersalitatem non includunt.

Obiicies quintò: Si vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, vniuersale esse vnum ex prædicabilibus, & species sui ipsius, & inferius, atque superius se ipso; inferius quia est genus, quod vniuersali subiicitur; superius quia est vniuersale, ratio abstracta ab omnibus prædicabilibus. Sed hæc non possunt componi: ergo vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia. Respondeo vniuersale secundum conceptum illi intrinsecum, & essentialem, qui tantum dicit esse vnum in multis esse quid genere superius, ab illo abstractum, & commune omnibus prædicabilibus, in quibus reperitur, sicuti reperitur ratio animalis secundum conceptum essentialem viuientis sensibilis in quacumque specie sub illo contenta; huic verò conceptui, vniuersale, accidentaliter, & extrinsecè aduenire denominationem generis per cognitionem reflexam, qua omnia vniuersalia intrinsecè iam constituta confusè cognoscuntur, ex vi cuius cognitionis vniuersale quatenus per illam accidentaliter denominationem genus constituitur, secundum hanc denominationem accidentalem inferius se ipso secundum rationem essentialem, quod inconueniens non est, cum non sit idem vniuersale inferius, & superius secundum eandem rationem, sed superius & multis commune secundum conceptum essentialem, videlicet quatenus est vnum in multis secundum quem conceptum reperitur in omnibus speciebus, sicuti animal reperitur in suis inferioribus secundum conceptum viuientis sensibilis, & inferius suo conceptu essentiali secundum denominationem accidentalem generis, secundum quam non debet reperiri in suis inferioribus, sicuti animal non reperitur in homine, & equo secundum conceptum extrinsecum, & accidentalem generis, sed præcisè quatenus est viuens sensibilis. Eandem doctrinam latè tradidi Controuers. 3. Punct. 1. vbi explicui quomodo genus possit definiiri, & dari genus generis. Hic intempestiuè nonnulli agunt de prædicamentis, de quibus in Metaphysicis disputo.

## CONTROVERSIA VIII.

*De signo.*

**I**N duobus libris de interpretatione agit Aristoteles de propositione, & consequenter de oratione, quia propositio est oratio enunciativa, & de partibus propositionis, videlicet de nomine & verbo, & quia hæc rerum sunt signa de signo ibidem disputationem instituit. De oratione, propositione, nomine, & verbo egi Controuers. 3. Summularum, restat modò agere de signo, cuius naturam præfens Controuersia discutiet.

**S**ignum definiuit D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. & lib. de principiis Dialecticæ cap. 5. *Signum est quod præter speciem sui quam ingerit sensibus, aliud aliud facit in cognitionem venire.* Ad hanc definitionem explicandam notandum est, duplex esse signum, quoddam formale, instrumentale aliud. Signum formale dici solet illud, quod per se formaliter suum obiectum potentia significat, seu id quod formaliter constituit potentiam cognoscentem obiectum illud, cuius dicitur signum. Humiimodi est cognitio, seu species impressa respectu sui obiecti. Signum instrumentale dicitur, quod est instrumentum medio quo deuenimus in cognitionem, seu in formale signum obiecti, hac ratione deseruit suspitum ad cognoscendam tristitiam, quam significat, & hæc vox homo, ad cognoscendum animal rationale, cuius est signum. Ex his signis definitio hæc tantum conuenit signo instrumentali, & non formali, quia signum formale nullam sui speciem ingerit, neque prænoscere necesse est ut suum obiectum significet. Addit nonnullus adhuc prædictam definitionem non competere omnibus signis instrumentalibus, quia non conuenit speciei impressæ, quæ est signum instrumentale, & media specie expressa facit nos venire in cognitionem sui obiecti. Verumtamen dici potest speciem impressam signum instrumentale non esse, quia non facit nos deuenire in cognitionem obiecti, media sui cognitione, imò neque signum esse, quia de ratione huius est facere deuenire in cognitionem obiecti vel formaliter per se ipsum, vel mediâ sui cognitione. Potest etiam ad signum formale aliquo modo reduci, quia licet per se non constituat formaliter cognoscentem potentiam in ordine ad quam signum dicitur, illam tamen informat, & per modum formæ se habet respectu illius. Doctrina hæc facilius poterit defendi, si dicatur signum formale esse illud, quod informat potentiam in ordine ad quam signum dicitur, & signum instrumentale appellari illud, quod est extra potentiam. In his enim, quæ tantum loquendi modum important faciliè quisque poterit rem componere, & ea ratione componenda est, qua tanti Doctoris definitio constans sit, illasque defendatur. Demum dici poterit D. Augustinum tantum definisse signa externa, quæ frequentius apud omnes signa dicuntur.

Signum in vniuersum definiunt nonnulli *id quod facit nos deuenire in cognitionem alicuius rei.* Verumtamen hæc definitio exacta non est, quia conuenit causis respectu suorum effectuum, ex causarum enim cognitione in cognitionem suorum effectuum deuenimus, & tamen causæ iuxta communem loquendi modum non dicuntur effectuum signa. Respondebis de ratione signi esse facere deuenire in cognitionem rei, quam significat à posteriori, & non à priori; causam autem facere deuenire in cognitionem effectus à priori, & non à posteriori, & idè suum effectum non significare, neque illius esse signum. Doctrinam ex tuo cerebro fingis ad præsentem difficultatem effugiendam. Sed esto vera esset; quam definitionis particula significatur cognitionem ex signo non à priori, sed à posteriori deducendam esse? Demum cognitio vini venalis ex ramo pendenti, qui in omnium opinione signum dicitur, à posteriori non est, cum ramus non sit effectus vini, ni velis omnem cognitionem, quæ non est à priori, & per causam, dici à posteriori.

Rectè notarunt P. Toletus lib. 1. Periherm. cap. 1. q. 1. & P. Rub. ibid. quæst. vnica, n. 5. Signum aliud esse proprium, aliud improprium. Signum proprium duas habet conditiones. Prima est, ut faciat nos deuenire in cognitionem rei, quam significare dicitur. Hac signum improprium contentum est. Secunda, ut à natura ipsa, vel ab hominum impositione institutum sit ad talem rem significandam. Ex defectu huius conditionis asserit P. Rubius risum non esse signum irrationalitatis, quia risus institutus non est, ut nos faciat deuenire in cognitionem principij ratiocinandi, licet de facto ad illud cognoscendum nos deducat. Ex defectu eiusdem conditionis noster Toletus excludit à propria ratione signi fumum respectu ignis, effectus respectu causarum, & causas respectu affectuum, quia neque



fumus ad ignem, neque causa ad effectum significandum, neque effectus ut nos faciat deuenire in causâ cognitionem instituta sunt. Excipiem ego effectus in quibus principia intendunt speciem conferuare, quales sunt omnes viuoci, quia horum productio instituitur à natura ut principium creatum ex se defectibile in effectu perseueret, & causa, quæ non potest se ipsam conferuare, in effectu eiusdem naturæ, vel quem eiusdem naturæ intendebat producere, intendit suam durationem protendere. Ob hanc rationem Filij Patrum imagines appellantur, & in similitudinem naturæ produci dicuntur, & quasi Patrum loco à natura constituuntur, ut horum memoria in illis tanquam in signo, & imagine perseueret. Ex his proprietatibus rectè signum in vniuersum definitur, *Quod institutum est ut nos faciat deuenire in cognitionem alius.* Hac definitione comprehenduntur voces significatiuæ, quæ ex hominum consensu institutæ sunt ad obiecta significanda, comprehenduntur etiam alia signa artificialia, sicuti Cæsaris pictura, quæ ab artifice effecta est, ut nos faciat in cognitionem Cæsaris deuenire, & tubæ seu campanæ sonitus qui ex hominum consensu, verbis aut consuetudine insinuat deferuit, ut nos faciat deuenire in cognitionem ineundi prælij, vel lectionis legendæ. Comprehenduntur etiam signa naturalia, veluti sunt cognitiones respectu suorum obiectorum, ad quæ repræsentanda instituuntur, & filij respectu Parentum, & effectus respectu causarum viuocarum. In his comprehendi vult P. Rubius supra gemitus, & suspiria, quia instituta sunt à natura, ut tristitia animalis significet; ego verò potius dicerem instituta esse in naturæ leuamen, quod mediis illis intenditur, & ea à propria signi ratione excluderem.

Disputant nonnulli an de ratione signi sit ut obiectum quod significet ab ipso realiter sit distinctum. Censeo de ratione signi non esse distinctionem à re significata, quia potest dari cognitio reflectens supra se ipsam, quæ se ipsam repræsentet, & consequenter sit signum sui ipsius. Similiter in signis externis, & instrumentalibus hæc dictiones *vox*, & *nomen*, se ipsas significant, quia prima significat omnem vocem, & consequenter se ipsam cum sit vox, secunda quia significat omne nomen, & cum ipsa nomen sit, sit se ipsam significare. Neque inconueniens est idem ex cognitione sui ducere in aliam cognitionem sui ipsius, quod sufficit ad rationem signi, quia non est de ratione huius ducere in cognitionem primam rei significatæ, sed sufficere ducere in aliquam rei cognitionem, etiam si res supponatur iam cognita.

De signorum diuisione dixi Controu. I. Summul. Punct. 2. num. 5. solumque addendum occurrit ibi dictis cognitionem, quæ est signum formale sui obiecti posse etiam dici signum instrumentale, & non solum per se ipsam formaliter obiectum repræsentare, sed media sui cognitione ducere in cognitionem sui obiecti, eo enim ipso quod quis reflexè cognitionem agnoscat in ipsa tanquam in obiecto prius cognito cognoscit illius obiectum.

## PUNCTVM II.

### In quo consistat formalis ratio signi.

1. **I**N signorum naturalium ratione formali assignanda nulla est difficultas, certum enim est hæc per se ipsa repræsentare suum obiectum, vel ducere in cognitionem illius, sic cognitio nullo superaddito formaliter significat suum obiectum, & suspirium, gemitus, & fumus per se ipsa ducunt in cognitionem suorum obiectorum, quorum sunt signa saltem impropria, aut propria, ut non pauci volunt. Ita difficultas est de signis, quæ non naturaliter per se ipsa, sed ex libera hominum impositione significant.

2. Audiendi non sunt qui asserunt signa ad placitum constitui per relationem quandam prædicamentalem, quæ resultat in vocibus, ex hominum conuentione, qua statuerunt voces hanc vel illam significationem habuisse, quia ut probabo Controu. 5. Metaphysic. Punct. 2. nulla relatio prædicamentalis fundamento & termino superaddita admittenda est, & etiam si admitteretur, alienum est ab omni ratione asserere ex voluntate hominum, quæ iam per annorum multa millia millium præterit, nunc resultare in voce, quam profero accidens quoddam reale intrinsecum.

3. Fert communis sententia rationem formalem signi in vocibus, & aliis signis ad placitum esse extrinsecam denominationem procedentem à voluntate illorum, quibus datum fuit nominibus aut rebus significationem imponere, ita tenent omnes Doctores, præter paucos, qui asserunt rationem formalem signi consistere in relatione prædicamentali fundamento intrinseca, illique superaddita. Verumtamen, quia nonnulli asserunt extrinsecas denominationes importare ens rationis, ideo asserunt rationem signi dicere formaliter ens rationis. Alij verò qui tenent extrinsecas denominationes dicere quoddam ens morale in hoc ente morali rationem signi constituunt. Illi verò qui defendunt extrinsecas denominationes nihil addere supra fundamenta, à quibus dicuntur trahere originem, & ab his nullo modo distingui, consequenter defendunt signum nihil aliud dicere, quam vocem aut rem tanquam materiam, & liberam voluntatem, qua homines statuere per talem vocem aut rem in cognitionem deueniri talis obiecti, non retractatam, neque per non vsum, aut per vsum oppositum reiectam. Extrinsecas denominationes non esse entia rationis, neque à fundamentis distingui probabo Controu. 12. Metaphysic. Punct. 5. iuxta quam sententiam constituens rationem signi in extrinseca denominatione teneor asserere signum pro materiali dicere vocem aut rem, quæ extrinsecè in ratione signi constituitur, & pro formali voluntatem hominum, ex vi cuius statuere per hanc vocem seu rem deueniri in cognitionem talis obiecti habitualiter perseuerantem, ex eo quod non sit retractata, aut per non vsum, seu per contrarium vsum abolita.

4. Ratio est facilis, ex eo enim præcisè, quod Adamus voluerit hac voce *homo* deueniri in cognitionem animalis rationalis constituta fuit in actu primo illud significans, & facta est nomen eius, iuxta illud Genes. 1. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuens ipsam est nomen eius.* Neque quidquam aliud præcessit, aut est in rerum natura, ex vi cuius hæc vox homo constituta fuerit significatiua nostræ speciei præter Adami voluntatem. Sic in aliis vocibus, quæ institutæ sunt in quacumque lingua ad hoc vel illud obiectum significandum nihil aliud potest excogitari, ex vi cuius significationem habere dicantur, præter communem hominum consensum, aut voluntatem illius, qui idiomatis ad quod vox illa pertinet auctor fuit. Neque ex alio capite sono campanæ audito intelligimus tempus esse lectionem adeundi, nisi quia hominum voluntate fancitur, ut quotiescumque hæc campana pulsatur tempus esse adeundi lectionem intelligatur. Sic sæpe conuenire solemus, ut quotiescumque rem aliquam videndam obiciamus in cognitionem huius euentus, illiusve voluntatis, quam exprimere volumus deueniendum esse. Pleraque institutum signa, quibus verborum loco vrimur, nostrisque pandimus affectus, ex eo præcisè quod liberè statuerimus hanc vel illam rem hoc signo dato intelligendâ esse.

5. Obiicies: voluntas illa, quam assignauimus, habet pro obiecto rationem signi: ergo non est ratio formalis signi, cum hæc se teneat ex parte obiecti, ad quod terminatur voluntatis actus, qui non fertur in seipsum. Respondeo voluntatem illam non habere pro obiecto virtutem significandi, per quam formaliter signum constituitur, sed significationem actualem, quæ est actus illius potentie, quam formaliter constituit voluntatis actus. Itaque talis actus per se ipsum in genere causæ formalis constituit signum in ratione signi, hoc est, potens significare, & respicit tanquam obiectum significationem actualem realiter distinctam à ratione signi, sicuti præceptum superioris respicit tanquam obiectum rem præceptam, cuius obligationem inducit, & per se ipsum formaliter inducit obligationem, & est ratio formalis obligandi, ex vi cuius subditus manet obligatus ad exequendum obiectum talis actus. Idem contingit in institutione monetæ, voluntas enim Principis, ex vi cuius moneta instituitur, respicit tanquam obiectum homines tanti habere metallum hoc sic elaboratum, hisque signis excusum, & formaliter constituit tale metallum cum valore, ratione cuius tanti habeatur, formalis autem monetæ ratio non consistit in hac æstimatione actuali, quæ est obiectum actus, ex vi cuius moneta instituitur, sed in illo valore, qui est ratio formalis monetæ, & formaliter consistit in actu Principis ad hanc æstimationem actualem terminato.

6. Obiicies secundò: Ratio formalis signi consistit in actu voluntatis,



voluntatis, ex vi cuius vox, aut res in ratione signi instituitur: ergo qui cognoscit signum debet cognoscere talem actum, quia nequit cognosci signum, quin cognoscatur ratio formalis, ex vi cuius constituitur, sicuti nequit videri album, quin videatur albedo, per quam formaliter subiectum constituitur album. Sed sic est quod plures cognoscunt rem hanc, & illam vocem esse signa, quin cognoscant aliquem voluntatis actum, ex vi cuius talia signa fuerint constituta: ergo ratio formalis signi non consistit in actu voluntatis. Recte monet Hurtadus disput. 8. sect. 3. §. 12. difficultatem hanc communem esse in omnium sententia, siue enim dicatur rationem signi consistere in ente rationis, aut in relatione reali, aut moralitate aliqua, cognoscimus hanc vocem homo signum esse animalis rationalis, absque eo quod apprehendamus ens rationis, realem relationem, aut aliquam moralitatem. Quod si dicas aliquid horum, in quo constituitur rationem signi semper apprehendi, cum signum apprehenditur, eadem ratione dicam ego apprehendi semper actum voluntatis, ex vi cuius signum est institutum, experientia enim aequè vtrique refragatur, aut suffragatur. Hoc praemisso respondet Hurtadus album non posse videri sine albedine, quia hæc est tota videndi ratio, quæ seclusâ subiectum materiale videri nequit, posse tamen cognosci per intellectum album materiale, quin cognoscatur albedo. Eademque ratione posse cognosci signum materiale, hoc est materia, cui contingit ratio formalis signi quin hæc cognoscatur, & ex cognitione signi materialis duci in cognitionem rei significatæ non cognito actu voluntatis, ex vi cuius formale signum constituitur. Non placet solutio, licet enim verum sit posse cognosci signum materiale, hoc est materia signi secundum se, non cognita ratione formali signi, hæc materia signi, seu hoc materiale signum secundum se sumptum non ducit in cognitionem rei significatæ, ex eo enim quod quis percipiat hanc vocem homo, quæ est signi materia non deueniet in cognitionem animalis rationalis, si non cognoscat talem vocem constitutam esse ad significandum animal rationale, quod est cognoscere esse signum formale, & hoc ipsum cognoscere.

Respondet Arriaga disput. 13. sect. 2. num. 25. cum primo addiscitur lingua semper cognosci voluntatem, si non primi inuentoris, saltem eorum qui tunc loquuntur, & ideo semper interrogatur: *Quid vult dicere per hoc? Quid Latini, aut Graeci per hoc verbum intelligunt?* semel autem comparato illo verbo cum re significata, potest deinceps excitare eas species, seu significare in actu secundo, etiam si non excitet species de voluntate legislatoris, vel aliorum, quod, inquit, in excitatione specierum passim experimur, & in discursu patet: acquirimus enim conclusionem dependentem à praemissis, postea tamen manet in nobis species de ipsa conclusione, etiam si non recordemur praemissarum. Dedit eadem ferè Arriaga verba, quia mihi difficilem sensum reddunt, noluique aliis difficiliorem reddere. Exemplum adductum suadet cognitam rem ex signo posse sui speciem relinquere, ex vi cuius iterum cognoscatur signo non cognito, quod ego non inficior, verumtamen eandem rem posse iterum cognosci immediatè formaliter ratione signi, quo in actu secundo significatur signo non cognito, omnino alienum est à veritate, quia signum istud ducit in cognitionem rei significatæ media sui cognitione: ergo etiam si cum primùm linguam didicerim, cognouerim rationem formalem signi, & ex vi huius rem significatam, si iterum eandem rem sum cognosciturus non præcisè ex speciebus, quas ipsa prius cognita reliquit, sed ex signo, quo illam prius cognoueram, iterum debeo signum cognoscere, & consequenter rationem formalem illius. Secundò omnino falsum est pueros cum primùm linguam addiscunt cognoscere voluntatis actum, per quem voces constituuntur formaliter signa, non enim puer dum primo percipit voces linguæ, quam addiscit, perfectius cognoscit illarum significationem, quàm iam linguæ peritus, sed postea dum linguam dedit sepe non cognoscit actum voluntatis, quo voces constituuntur significatiuæ: ergo neque illum cognouerunt, dum prima linguæ elementa addiscebant. Deinde si pueri omnes, dum primo linguam didicerunt, actum voluntatis, ex vi cuius imposita fuit significatio voci, cognouerunt, quomodo iam grandiores effecti ferè omnes obliui sunt talem actum? vix enim vnum reperiemus Scholasticis litteris non instructum, qui huiusmodi voluntatis actum agnoscat.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

Ceterum necessum non est cognoscere actum voluntatis in quo consistit ratio formalis signi, nisi valde confusè, ita vt nullam illius rationem possit reddere intellectus, mille exempla suadent, cognoscit enim quisque rusticus se esse dominum bouis, aut affini, quem emit, & penitus ignorat, in quo consistat formalis ratio domini, neque vnquam cogitavit de actu, quo venditor efficaciter voluit emptorem vt re vendit citra omnium iniuriam, in quo consistit formalis ratio domini. Cognouit etiam ignarus quisque se matrimonium contraxisse cum propria vxore, & nihil cogitat de mutuo consensu, in quo sita est formalis matrimonij ratio. Insuper scit quis hoc animal esse hominem, hoc leonem, illud equum, & leporem aliud, nunquamque in mentem venit ratio formalis constitutiua harum specierum, de qua interrogatus nullam poterit rationem reddere. Respondeo ergo ad cognoscendam rem aliquam non quidditatiuè, & distinctè ea ratione, qua cognoscitur conceptus definitionis, sed confusè & indistinctè eo modo, quo res cognoscitur conceptu definiti, necessum non esse cognoscere rationem formalem constitutiua vt distinctam ab aliis rebus, sed cognitione quadam, ex vi cuius intellectus illam adhuc non percipiat vt distinctam ab aliis rebus ea ratione, qua cognoscitur principium rugiendi per conceptum respondentem huic voci leo, & cognoscitur mutui coniugum consensus per conceptum respondentem huic voci matrimonium, quæ etiam ratione cognoscitur actus, ex vi cuius vox constituitur significatiua, cum concipimus vocem illam habere rationem signi, etiam si intellectus non valeat discernere inter actum constitutiuum signi, & constitutiua aliarum rerum, neque de illo distinctè cogitare.

Ratio imaginis seu signi in pictura consistit in similitudine, quam habet cum prototypo secundum externam figuram, & in eo quod depicta sit ex intentione representandi tale obiectum, seu iam depicta inscriptione aliqua, seu alio externo signo ordinata sit à Domino, & representet obiectum aliquod cum quo similitudinem habet. Sic sæpè solemus picturis, quæ primo effectæ fuerunt ad hoc obiectum representandum vt ad alia obiecta valde distincta referenda, & modò sancti Iacobi titulo picturam inscribere, quæ antea profani militis titulo erat inscripta. Ob hanc ordinationem extrinsecam pictura dicitur Caesaris imago, & Caesar non dicitur imago picturæ, quia etsi similitudo eadem sit respectu vtriusque, pictura ordinata est vt Caesarem referat, Caesar verò non institutus est, neque effectus vt inferat picturam.

PUNCTUM III.

De vocum significatione.

Voces naturaliter significare, seu signa naturalia esse obiectorum sensere Socrates, & Cratylus teste Platone in Cratyllo. Consensere Pythagoræi ex Reuxippo lib. 1. de prædicamentis, & Heraclitus vt refert Ammonius. Hanc naturalem significationem tribuebam vocum proprietatibus, litteræ enim quædam sunt vehementiores spiritus, quædam leniores, quæ proprietate aliisque similibus possunt naturas rerum indicare.

Aristoteles 1. Perierm. cap. 1. & 2. negat voces naturaliter significare, atque tantum ex libera hominum impositione significationem habere, vnde nomen, & verbum definit vox significatiua ad placitum. Ex antiquis sic huic sententiæ subscripsit Diodorus Philosophus vt ex Ammonio refert P. Smigletius disputat. 12. questio. 2. vt suis seruis coniunctionum nomina imponderet, vt vnum vocaret quoniam, alium ergo, aliumque sicut, vt suam exerceret libertatem in significatione nominum imponenda. Ratio adducta ab Aristotele hæc est, quæ sunt à natura sunt communia apud omnes, vt patet in conceptibus, qui cum naturaliter res significant, iidem sunt apud omnes, atqui voces non sunt eadem apud omnes, sed diuersæ pro diuersitate nationum, & idiomatum. Neque solum diuersæ voces eidem rei iuxta diuersa idiomata respondent, sed etiam eadem vox apud diuersos diuersa significat, hæc enim vox lego apud Hispanos nomen est significans hominem laicum, & apud Latinos est verbum significans actionem, quæ intellectus præmissa oculorū visione percipit ea

K 3 quæ



quæ scripta sunt. Neque possunt reperiri voces naturaliter significantes res. Dupliciter enim potest intelligi vocem naturaliter significationem habere, vel propter similitudinem vniuocam in re, quæ potest esse inter sonum, & sonum, & de facto est in sono huius vocis *tinnitus* cum campanæ sonitu, & huius vocis *Taratantara* cum sonitu tubæ, vel non ob similitudinem, sed ob proprietates vocum in asperitate & lenitate consistentes. Questio non procedit de primo significandi modo, neque per illum constituitur ratio signi, ex vi enim prædictæ similitudinis inter sonum vocis & sonum tubæ seu campanæ, non est maior ratio propterquam hic sonus illo significetur, aut ille signum sit huius, cum neuter sit à natura inuentus ut alium referat. Difficultas est de secundo modo significandi, qui in vocibus reperiri nequit, quia proprietates illæ paucae sunt, & non habent tantam proportionem ad res, ut has possint explicare, & in cognitionem earum ducere. Quod ex eo patet, quod nullus huc vsque voces inuenit, quibus nulla conuentione facta circa ipsarum significationem possit loqui & suos exprimere conceptus. Neque voces ab Adamo posite huiusmodi fuere, ut naturas significant, extant enim modo voces ab Adamo rebus impositæ, & nullus ex illis naturas rerum quas significant, percussit, nisi prius sancta instruat lingua. Quod si Adamus, aliusve laudetur, ex eo quod aptum nomen alicui rei imposuerit, non ideo laudatur, quia aptam significationem voci imposuit, sed quia postquam vox iam suam significationem habebat, simul cum voce rem significatam tali subiecto accommodauit, exempli gratia, imposita fuit significatio huic voci *simplex*, quæ potuit imponi huic voci *serax*, & postea vox simplex cum suo significato propriissime columbæ accommodatur, quia res significata naturaliter conuenit columbæ.

Vox significatiua triplicem dicit respectum ad proferentem, qui illam substituit loco conceptus representantis obiectum, ad quod significandum vox est imposita, quia illam proferit ex intentione significandi, seu dandi signum, ex vi cuius audiens percipiat rem significatam. Dicit insuper respectum ad audientem ex se capacem concipiendi rem significandam, ex vi signi. Tandem dicit respectum ad rem, quam significat. Ex defectu prioris respectus signum non est vox ex se imposita ad significandum à pñtato prolata, quia non substituitur à proferente loco conceptus terminati ad obiectum, ad quod significandum vox illa imposita est, neque ex intentione manifestandi tale obiectum, seu dandi signum, ex vi cuius percipitur. Similiter cum quis secum verba facit apud flumen, seu apud hominem, quem scit lingue sue esse ignarum, loqui non dicitur, quia non potest talia verba proferre ex intentione manifestandi obiecta, ad quæ significanda sunt imposita, cum sciat flumen, & hominem lingue ignarum non posse per illa signa res significatas percipere. Dixi, cum verba facit apud hominem, quem scit lingue esse ignarum, quia si existimaret hominem illum lingue esse peritum, bene posset verba proferre ex intentione significandi, seu dandi signa ad percipienda illorum obiecta, quod autem homo ille lingue sit ignarus, & non possit talia signa percipere, non obest quo minus talis verborum prolatio, dicatur vera loquutio, quia homo ex se capax est habendi notitiam requisitam ad illa signa percipienda, & illa carere est valde per accidens ad loquutionem, aliàs cum quis alloquitur hominem Latine lingue conscium, qui vnum vel alterum vocabulum ignorat, non diceretur loqui vocem illam, cuius significationem audiens ignorat.

Adde non improbabilius dici posse hominem coram arbore loquentem, quem existimat per summum errorem capacem esse percipiendi significationem verborum, quæ proferit eo animo, ut ab arbore percipiantur, arborem propriè alloqui, quia loquutio externa tantum dicit prolationem externam verborum, quæ imposita sunt ad significandum ex intentione ut ab audiente percipiantur secundum propria significatione. Tantum enim in audiente requiritur capacitas percipiendi, ut proferens verba possit sine errore illum alloqui, quia non potest dari loquutio nisi ad subiectum, quod iudicatur capax percipiendi verba, quia hæc in loquutione debent proferri ex efficaci intentione, ut percipiantur, quæ intentio esse non potest si cognoscatur subiectum coram quo verba proferuntur, incapax esse illa intelligendi, aut hic & nunc illa non posse intelligere quia ignorat significationem vocibus impositam.

Ex hac doctrina constat significationem vocis in actu primo desumendam esse ex conceptu imponentis voci significationem, ad cuius placitum significant, quia ex illo habent totam virtutem significandi, & non potest quis imponere vocem ad significandum id, quod ipse non percipit, neque alio modo ab illo, quo eandem rem percipit. Significatio in actu secundo taxatur secundum conceptum proferentis loco cuius vox substituitur, & tantum dicitur vox significare hic & nunc, quod proferens concipit ex vi conceptus loco cuius vocem substituit, quod tantum intendit significare per vocem, & eo tantum modo, quo ab ipso percipitur. Ita tenet Caiet. 1. part. quæst. 13. art. 10. & P. Vafq. 1. part. disp. 17. cap. 4. & disp. 57. cap. 1. & 3. & apud hunc Capr. Altissod. Bonuent. Marfil. & Richardus.

Quod si aliquando audiens vocem perfectius rem concipiat quam proferens, & imponentis significationem voci, sicuti Angelus clarè, & distinctè Deum concipit, audita hac voce Deus, quem proferens obscurè, & confusè tantum agnouit, perfectio illa intellectio in audiente non procedit ex signo, quod dedit proferens, sed ex notitia quam iam habebat rei significatæ, & ita verbum prolata non dicitur significare obiectum in eo casu, ea perfectione qua percipitur ab audiente, cum perfectio illa non procedat ex verbo, tanquam ex signo. Concedimus ergo percipiens hanc vocem Deus posse perfectius illa audita cognoscere Deum, quam ille qui verbum proferit, & qui verbo significationem imposuit, negamus tamen tunc verbum Deus perfectius significare suum obiectum, quam illud concipit proferens, quia excessus ille perfectionis in audiente non ex prolato processit, quod si alia notitia eiusdem obiecti non præcessisset, illam nullatenus posset inducere. Scotus, Ocham, Gabriel qui docent in 1. dist. 22. posse vocem imponi ad perfectius rem significandam, quam ab imponente percipitur, explicandi sunt, iuxta illud quod modo concessimus, videlicet audita voce posse audientem perfectius rem concipere, quam proferens modo supra explicat. Neque alius potest esse modus defendendi hanc sententiam, alioqui sequeretur, posse aliquem perfectius loqui de rebus, quam eas intelligeret, quia verba ab ipso prolata perfectius rem significarent, quam ipse conciperet. Neque Deus diceretur ineffabilis, quod absurdissimum est, quia possum ego proferre hoc nomen Deus, quo audito à Beato, Beatus Deus cognoscit sicuti est.

Vltimo de vocibus inquiritur an significant res vel conceptus, quæ difficultas ex doctrina tradita facillè soluitur. Id enim significant voces, quod proferens intendit audienti notum fieri, & ad quod exprimendum designat sunt à lingue auctore, qui vocibus significationem est imperitus. Sed author lingue Latine, & proferens has voces, *Homo est animal*, non intendunt exprimere neque notum fieri conceptum representantem hominem esse animal, sed obiectum huius conceptus, videlicet in re hominem esse principium sentiendi, ergo hoc est quod voces primario significant, & non conceptum representantem hoc obiectum. Confirmatur: voces substituantur loco conceptuum, ut id præsent audienti, quod proferenti præstant ipsi conceptus. Sed conceptus immediate significant obiecta: ergo & voces eadem obiecta immediate significant. Aduertas voces has conceptus, & cognitio significare immediate conceptus formales, quia ad illos significandos sunt impositæ.

Ex his respondetur facillè argumentis oppositæ sententiæ. Primò obiici solet: voces inuentæ sunt ad nostros conceptus manifestandos: ergo voces immediate significant conceptus. Respondeo has tantum voces, *conceptus cognitio*, & alia quæ habent eandem significationem inuentas esse ad manifestandos nostros conceptus, reliquas vero inuentas esse ad significandas res conceptas. Voces enim inuentæ sunt ut substituantur loco conceptuum, & ut expriment obiecta per conceptus representata. Instabis audiri hac voce *homo*, deuenio in cognitionem conceptus saltem apprehensui, quem habet proferens de re significata: ergo vox hæc significat conceptum proferentis. Respondeo audita voce homo, immediate me deuenire in cognitionem rei significatæ, & quia scio prolationem vocis supponere in proferente conceptum rei, quam vox significat mediare ferri in cognitionem conceptus. Si enim non cognoscerem rem per vocem significatam non ex voce conceptum respondentem rei significatæ perciperem. Quod docuit P. Smiglet. disp. 2. quæst. 1. vbi



ubi asserit voces immediatè significare res, & mediatè rerum conceptus. Posset etiam admissio antecedenti, consequentia negari, quia ad hoc ut vox aliqua significet aliquod obiectum, & sit signum proprium illius, non sufficit ipsam ducere in cognitionem talis obiecti, sed necessum est ordinatam fuisse ab illo, qui voci significationem imposuit ad tale obiectum manifestandum, cum autem hæc vox homo non fuerit ordinata ab auctore linguæ Latinæ ut duceret in cognitionem conceptus hominis, sed in cognitionem ipsius hominis, hinc fit tantum significare hominem, etsi æquè duceret in cognitionem hominis, & in cognitionem conceptus hominis.

9 Obiicies secundo: Voces non significant, nisi mediis conceptibus: ergo immediatè significant conceptus. Antecedens probatur: si non præcessissent conceptus prolationem vocum, voces nihil significarent quia non possent proferri ex intentione manifestandi id, quod conceptum non erat: ergo significant mediis conceptibus. Respondeo voces significare mediis conceptibus, à quibus virtutem significandi desumant tanquam à principiis, non verò mediis conceptibus significatis ut obiectis, supponitur enim existentia conceptus ut vox rem significet, non tamen supponitur conceptus significatus, ut vox significet rem. In hunc sensum interpretor P. Rubium asserentem lib. 1. de interpret. quæst. vnica, voces significare conceptus ut quo & res ut quod.

10 Obiicies: voces substituuntur loco conceptuum: ergo primariò significant conceptus. Concedo antecedens, & nego consequentiam, imò ex eo quod voces substituuntur loco conceptuum, infero id præstare voces exterius, quod interius conceptus: & sicuti conceptus internè res immediatè exprimunt, sic voces externè easdem immediatè significant.

11 Obiicies quartò: Si voces non significarent conceptus, nullum daretur mendacium, hoc enim consistit in eo quod voces significant conceptus distinctos, ab his per quos intellectus fert iudicium de re significata. Respondeo negando sequelam, & rationem adductam, in illius confirmationem. Mendacium enim consistit in eo, quod proferantur voces impostæ ad significandum rem alio modo se habentem, quàm ab intellectu iudicatur: seu in eo, quod proferantur voces, quæ substituta non sint iudicij, quod habet intellectus, sed alijs quod non habet.

12 De scriptura eodem modo ac de vocibus ferendum est iudicium, significant enim immediatè res ipsas, & non voces, quando enim epistolam amico scribo, non intendo illum certiorum facere de vocibus, loco quarum scripturam substitui, sed de rebus, vocibus, & scriptura significatis. Confirmatur: sicuti voces substituuntur loco conceptuum, ita scriptura substituitur loco vocum: ergo sicuti voces non significant immediatè conceptus, sed res, ita scriptura non immediatè res, sed voces significabit.

13 Obiicies ex Arriaga disp. 13. sect. 2. etiamsi quis perfectè sciat legere linguam Græcam, vel Hebræam optimèque cognoscat illarum characteres, res non cognoscat, si vocum significationem non cognoscat: ergo scriptura seu characteres non immediatè res, sed voces significant. Concedo antecedens, & nego consequentiam, ratio enim propter quam ignorans vocum significationem, & characteribus res non cognoscat, non est, quia characteres immediatè significant voces, sed quia eo ipso quod ignoret significationem vocum, ignorat significationem characterum, quia his non alio modo imposita significatio quam dicendo hi characteres hoc ordine scripti HOMO idem significant quod significat hæc vox homo, ac proinde si nescimus quid vox significet, nescire possumus, quid characteribus veniat significandum.

14 Obiicies secundo. Si respublica diceret, hæc vox homo significet lapidem: & non animal rationale, nulla variatione facta in scriptura variaretur significatio mediata scripturæ, & non immediata, quia semper significaret eandem vocem, & eodem modo scriberetur: ergo scriptura non significat immediatè rem, sed vocem. Respondeo in prædicto casu variandam esse significationem immediatam scripturæ, quæ semper est circa rem, & nunquam circa vocem, quia statutum est ut hi characteres HOMO idem immediatè significant, quod immediatè significat hæc vox homo, ac proinde ex eo præcisè quod variaretur significatio vocis variaretur significatio scripturæ circa

idem obiectum. Ex hoc inferes significationem scripturæ circa rem supponere significationem vocum, non verò voces ipsas ut prius significatas, sicuti de vocum significatione circa res diximus supponere conceptus significantes easdem res, non verò conceptus ipsos ut prius significatos.

## CONTROVERSIA IX.

### *De natura syllogismi seu discursus.*

**D**E natura discursus seu syllogismi egit Aristoteles lib. de priori resolutione, ideo præsentem Controvertiam hic instituo, licet illius materiam propriis ad Animalisticum, quàm ad Logicum pertinere non inficias ibo. Quæ pertinent ad structuram & dispositionem terminorum quibus syllogismus, seu discursus efficitur, explicavi Controu. 4. Summularum, nunc verò exactius illius essentia, aliisque proprietates examinabo.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### *Quid sit discursus.*

**D**ISCURSUS dicitur sumptâ metaphora ab animalis motu, quod cum ex vno loco alium petit dicitur discurrere per illa loca, quæ excurrit. Sic intellectus mentaliter progreditur ab vno obiecto, cui per hanc cognitionem adhærebat, sicut animal loco per præsentiam, ad aliud obiectum, cui incipit adherere per aliam cognitionem, sicut animal incipit præsentari alij loco per præsentiam aliam. Secundum hanc metaphoram discursus ab Scoto definitur apud Conimbricenses in Prior. cap. 1. quæst. 2. art. 1. *Progressio intellectus ab vno obiecto in aliud.* Conimbricenses verò discursum definiunt, *Progressio intellectus ab vna cognitione in aliam.* Amplexor definitionem Conimbricensem, quæ propriissimè conuenit formali discursui, definitio enim Scoti conuenit etiam discursui virtuali, ex vi cuius intellectus progreditur ab vno obiecto in aliud ut n. 2. explicabo. Dices, si vna & alia cognitio idem referant obiectum, intellectus potius sistere, quàm currere dicitur: ergo discursus, ex vi cuius intellectus currere dicitur ex vno in aliud, non est progressio intellectus ab vna cognitione in aliam. Ipsamet obiectio propriis visceribus solutionem sui ipsius includit, si enim quando vna & alia cognitio idemmet obiectum representant, intellectus sistit, & non currit, tunc non dicitur progredi, neque illa cognitionum successio poterit progressio dici: ergo progressionis nomē dicit tales cognitiones debere representare distincta obiecta, vel idem ut distinctum à se ipso ex diuerso modo representandi. Adde nunquam intellectum ex vna cognitione deuenire in cognitionem aliam circa idem obiectum eodem modo representatum, quia nulla cognitio inclinatur, neque determinatur intellectum ad aliam eiusdem omnino rationis, quia cognitio non alio modo ad aliam determinatur, quàm representando obiectum connexum cum alio in re vel in modo representandi, quod eâ ratione, quâ distinguitur ab obiecto primæ cognitionis ex vi cuius per secundam cognoscitur.

Discursus vulgò diuidi solet in formalem, & obiectiuum, qui appellatur virtualis discursus. Discursus formalis est ille, quem modò definiuimus, qui includit multiplicem cognitionem, ex vi quarum dicitur intellectus in vnam & aliam discurrere. Discursus obiectiuus seu virtualis dicitur, cum intellectus ex vno obiecto in aliud per vnicam tantum progreditur cognitionem, quod fit quoties intellectus cognoscit vnum in alio, veluti cum cognoscit obiectum in cognitione, principium productiuum in productione, & alia huiusmodi. Addunt nonnulli discursum obiectiuum, seu virtuale debere esse progressionem ex vno obiecto in aliud, aliunde non cognitum, ut



hac ratione defendant respectu cognitionis diuinæ non dari discursum obiectuum, seu virtuale, etiam si Deus vnum obiectum in alio cognoscat, quia Deus omnia obiecta in se ipsis cognoscit, ac proinde quando progreditur per eandem simplicissimam cognitionem ex vno obiecto in aliud, non progreditur in aliud sibi incognitum, sed aliunde perfectissimè cognitum. Rem declarat exemplo animalis, quod non dicitur currere, cum in eodem loco constituitur, per duplicem vocationem, sic neque intellectus dicitur discurre, quando per aliquam cognitionem attingit obiectum, quod per aliam attackum supponitur. Porro exemplum adductum oppositum mihi loquendi modum suadet (de hoc tantum in hac re potest esse dissidium) quia si equus modò esset Matrili, & Toletum, & relicta presentia, quam Matrili habebat, versus Toletum successivè produceret presentias per totum medium, & tandem Toleti aliam acquireret distinctam ab illa, quam prius habuerat, etsi in eodem spatio indiuisibiliter sumpto, profecto nullus negaret hunc equum peregrisse eundem cursum, qui diceretur peractus, etiam si tunc primo Toleti præsens fieret, præcipuè cum eademmet esset actio, idem terminus à quo, & terminus ad quem in utroque casu. Quod autem dicatur dari discursum obiectuum, seu virtuale respectu diuinæ cognitionis parum refert, cum hoc non obsit summæ simplicitati cognitionis diuinæ, & tantum sit quæstio de modo loquendi, omnes enim fatemur Deum cognoscere in eodem obiecto obiectum, quod cognoscit in alio, nunquamque ex vno obiecto in aliud incognitum deuenire, cum omnia in se ipsis illi sint notissima, quod tantum de re est. An verò respectu cognitionis in alio obiecti aliunde cogniti dicendum sit dari obiectuum discursum, necne, quæstio est de modo loquendi.

3 Diximus discursum esse progressionem ex vna cognitione in aliam, ex quo oritur dubitandi ratio, an progressio possit esse à simplici enunciatione, vel an debeat esse à duplici in alia, ita ut discursum necessarîo triplicem claudat enunciationem. Respondeo discursum semper constare tribus propositionibus formaliter, vel virtualiter distinctis. Virtualiter distingui dicuntur propositiones, quando simplex qualitas propositionis totum id enunciat, quod duabus aliis distinctis enunciaretur, veluti cum totum hoc obiectum, *Omnis homo est animal, Petrus est homo* per simplicem qualitatem, seu cognitionem representatur. Ratio propter quam tres propositiones saltem virtualiter distinctæ requirantur, est quia in præmissis medium debet coniungi cum duplici extremitate, & de vtraque enunciari, quod dicit obiectum ex se aptum terminare duplicem distinctam enunciationem, ad quod si simplex terminetur enunciatio, virtualiter duplex erit, quia terminatur ad obiectum aptum terminare duplicem enunciationem: ergo in præmissis saltem debet dari virtualiter duplex propositio, vel vna, quæ duplici æquiualeat, insuper debet dari alia enunciatio, quæ ex præmissis inferatur, & ab illis formaliter sit distincta: ergo discursus inuoluit in præmissis duplicem propositionem distinctam formaliter, vel virtualiter, & tertiam aliam, quæ ex præmissis inferatur. Non requiritur ex parte præmissarum duplicem enunciationem formaliter distinctam, sed sufficere distinctionem virtualem facile suadet. Quia in præmissis tantum requiritur, ut medium coniungatur cum vtraque extremitate, sed potest per simplicem enunciationem medium cum vtraque coniungi, nulla enim repugnantia est in eo, quod simplex iudicium attingat totum hoc obiectum: *Omnis homo est animal, Petrus est homo*: ergo potest reperiri ex parte præmissarum vna tantum formalis enunciatio, quæ sit virtualiter duplex, quæ cum alia enunciatione, ex ipsa illata discursum conficiet inuoluentem duplicem tantum propositionem formaliter distinctam, quarum vna virtualiter est duplex.

4 Obiicies: potest ex duabus extremitatibus vna tantum coniungi in præmissis cum medio, & altera in propositione illata: ergo neque adhuc virtualiter requiritur duplex propositio ex parte præmissarum, sed vna formaliter, quæ neque virtualiter sit duplex, erit sufficiens. Antecedens probatur in hoc discursu: *Omnis homo est animal: ergo Petrus homo est animal*. Respondeo, quod etiam si admitteretur totum quod intendit argumentum, adhuc non inferretur syllogismus non habere triplicem enunciationem virtualem, quia tunc propositio illata virtualiter esset duplex,

hæc enim propositio: *ergo Petrus homo est animal*, virtualiter esset duplex, in has enim resoluitur, *Petrus est homo, & Petrus est animal*. Secundò respondeo hanc propositionem: *ergo Petrus homo est animal*, non posse inferri ex illa tantum *omnis homo est animal*, quia illatio supponit conjunctionem extremitatum cum medio, quam non supponeret propositio illa, cum in se formaliter includeret conjunctionem vnius extremitatis. Ex quo etiam probatur non posse totam illam enunciationem inferri ex priori, quia illa enunciatio: *ergo Petrus homo est animal rationale*, includit conjunctionem vnius extremitatis cum medio, hæc autem non inferitur ex conjunctione alterius, sed vtraque coniunctio inter se comitanter se habent, & per modum vnius principij antecedentis respectu enunciationis illatæ, seu inferendæ.

Omnes prædictæ enunciationes discursui sunt essentialiter, quamcumque enim illarum deficiente, nequit subsistere, potest tamen dici formaliter consistere in enunciatione illata, quia hæc ex sua natura supponit præmissas, sine quibus nequit existere, & ultimo complet naturam discursus. Quod autem nonnulli docent, videlicet syllogismus dicere tantum in recto conclusionem, & in obliquo præmissas, ad quæstionem tantum de nomine spectat, nihil enim in re ponitur, aut inferitur, siue in recto, siue in obliquo, quo præmissæ syllogismum componere dicantur.

6 Obiiciunt nonnulli ex Aristotele dicente per discursum generari scientiam, & opinionem. Scientia, & opinio generantur per discursum: ergo supponunt discursum. Sed scientia, & opinio sunt conclusiones illatæ: ergo hæc supponunt discursum: ergo non pertinent ad constitutionem discursus: ergo tota ratio discursus sita est in præmissis, quæ ad conclusionem supponuntur. Respondent nonnulli per discursum generari scientiam, & opinionem habituales, ad quas non solum præmissæ, sed etiam conclusiones supponuntur. Alij affirmant per discursum generari scientiam, & opinionem, quia per alteram partem discursus, videlicet per cognitionem præmissarum, acquiritur altera videlicet cognitio conclusionis, quæ propriè scientia seu opinio dicitur. Vterque dicendi modus satis probabilis est, parumque refert hunc, vel alterum amplecti.

7 Discursus est duplex, quidam à priori seu propter quid. Alius à posteriori, seu quia. Discursus à priori, seu propter quid dicitur, cum ex cognitione causæ ad effectus cognitionem gradum facit intellectus. Discursus à posteriori, seu quia, appellatur cum ex cognitione effectus ad causæ cognitionem intellectus regreditur. Huic solet adiungi discursus alius, in quo neque ex cognitione causæ effectus cognitionem inferimus, neque ex cognitione effectus causæ cognitionem deducimus, sed ex aliis rebus connexis cum illo, quod inferitur, veluti cum ex visione inferimus extrema vnita, ex relatione relationis terminum, & sic in aliis. Discursus iste ex adiunctis, seu discursus per medium extrinsecum solet appellari. Itaque discursus potest diuidi in discursum à priori, seu propter quid, & discursum à posteriori, seu quia, & discursum ex adiunctis, seu per medium extrinsecum. Potest etiam adequatè diuidi in duo priora membra, si discursum à posteriori, seu quia appellemus discursum omnem, ex vi cuius effectus per causam non ostenditur.

8 Volunt nonnulli distinctionem reperiri inter discursum, & syllogismus, ego tamen illam nunquam callui, sicut enim syllogismus dicit præmissas, in quibus duæ extremitates coniunguntur cum medio, & ex ipsis inferitur cognitio, quæ eadem extremitates inter se coniunguntur, sic discursus formalissimè easdem præmissas, eandemque conclusionem illatam importat. Rationes disparitatis, quæ vulgò assignari solent nullius sunt momenti.

9 Prima est, syllogismus reperiri in vocibus, in quibus discursus non inuenitur. Hæc disparitatis ratio reiecitur, quia formalis syllogismus tantum reperitur in conceptibus, voces enim tantum sunt conceptuum signa, quod autem vulgò non dicantur discursus vocalis, sicut dicuntur vocalis syllogismus voces respondententes conceptibus, in quibus formalis syllogismus, & discursus à syllogismo formali nulla ratione est distinctus, ideo est, quia nomen discursus expressius significat actum internum intellectus formaliter ut internum, & ita non propriè transferri potest ad voces respondententes actui interno principaliter significati.



significato. Secunda differentia solet assignari ex eo, quod syllogismus semper dicit duas praemissas, & discursus vnicam tantum saepe contentus est. Ceterum si sermo sit de syllogismo, & discursu formalibus, quos non distingui debendo, sicuti syllogismus necessario dicit duplicem praemissam, saltem virtualiter distinctam, sic discursus eandem distinctionem virtutem praemissarum necessario exposcit & sicuti discursus non requirit duplicem praemissam formaliter distinctam, sic syllogismus internus simplici formalis praemissa, dum haec virtualiter sit duplex, contentus est. Quod si syllogismus vocalis duplicem praemissam formaliter distinctam exposcat, hoc ad rem non attinet, non enim comparandus est vocalis syllogismus cum discursu mentali, hos enim inter se distingui certum est, sicuti distinguuntur syllogismus mentalis, & vocalis. Ratio vero propter quam syllogismus vocalis duplicem praemissam formaliter distinctam exposcat, est quia non invenitur enunciativae vocalis, quae aequivalet duabus, quas syllogismus exposcit, non enim datur propositio vocalis quae his duabus aequivalet, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, quod si datur, poterit etiam syllogismus vocalis constare praemissa formaliter simplici, quae virtualiter duplex sit, ex qua tantum inferatur conclusio.

10 Tertium discrimen peti solet ex eo quod syllogismus potest constare ex praemissis evidenter falsis, seu cognitis ut falsis, non vero discursus. Ceterum si de syllogismo tali sermo fiat, nullo modo potest praemissis cognitis ut falsis constare, nunquam enim intellectus cognoscens has propositiones esse falsas, *Omnis equus est rationalis, Omne binnibile est equus*, movebitur ad inferendum: ergo omne binnibile est rationale, sine qua illatione syllogismus internus non subsistit, sicuti neque discursus. Syllogismus vocalis poterit constare propositionibus cognitis ut falsis, quia voces possunt esse eadem, siue illorum obiecta hac vel illa ratione cognoscantur, conceptus vero longe sunt diversi quando obiecta diversa ratione, hoc est, vera aut falsa cognoscuntur. Quartum discrimen solet adduci, quod syllogismus includit praemissas & conclusionem in recto, discursus vero tantum includit in recto conclusionem, & praemissas in obliquo. Discrimen istud non alia ratione impugnandum est, nisi quia omni ratione est destitutum. Concludo ergo syllogismum mentalem & discursum in nihilo differre, sed tantum differentiam in his vocibus *syllogismus*, & *discursus* reperiri petitam ex eo, quod vox syllogismus significet syllogismum internum indistinctum a discursu, & simul se extendat ad significandas voces respondentes syllogismo interno, quae syllogismus vocalis dici solent; vox vero discursus tantum significat discursum indistinctum a syllogismo interno, & non se extendit ad significandas voces respondentes discursui, quia haec non dicuntur discursus externus, sicuti dicuntur syllogismus externus voces respondentes formali syllogismo.

# PUNCTUM II.

An requiratur ad assensum conclusionis procedens cognitio de bonitate illationis.

1 Dplex est illatio, formalis & obiectiva. Illatio formalis est assensus conclusionis ex praemissis deductus. Illatio obiectiva dici solet connexio obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis. Non procedit difficultas de illatione formali, certum enim ad assensum conclusionis non praerequiri cognitionem reflexam praemissarum formalium, neque ipsius conclusionis formalis ac proinde nec connexionis inter hos assensus, non enim potest dari cognitio cognitionis inter assensus, quae non sit cognitio assensus, qui sunt extrema huius connexionis, eo enim ipso quod cognoscantur obiecta praemissarum, & conclusionis datur discursus absque ulla cognitione reflexa. Procedit ergo difficultas de illatione obiectiva, hoc est de connexione inter obiecta praemissarum, & conclusionis.

2 Ceterum haec obiectiva connexio nihil aliud est, quam identitas obiecti praemissarum, cum obiecto conclusionis, non enim obiectum praemissarum causa est obiecti conclusionis, sicuti praemissae formales sunt causae conclusionis formalis, sed cum illo identificatur, & in hoc sensu dici-

mus habere connexionem, sicuti dicimus connecti rationale cum animali. Quod si nimis scrupulosus noluisset identitatem connexionem appellare, tecum non contendam, sed a te petam an debeat praecognosci ad assensum conclusionis identitas obiecti ipsius conclusionis cum obiecto praemissarum, cuius solutionem exposcit difficultas, quam modò exagitemus.

3 His positis adhuc amplius debet explicari status difficultatis, potest enim dubitari an haec identitas praecognoscenda sit per actum iudicativum, vel sufficiat per simplicem apprehensionem cognosci. Rursus si dicatur praerequiri simplicem apprehensionem huius identitatis, seu connexionis obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis, adhuc restat sciendum, an haec simplex apprehensio ex eo tantum requiratur, quia iudicium in quo formalis conclusio sita est hanc identitatem seu connexionem attingat tanquam proprium obiectum, & omne obiectum iudicii debeat prius simplici apprehensione pertingi, vel speciali titulo discursus, haec praenotio apprehensiva requiratur, ut possit inferri conclusio. Dicere, an apprehensio illationis debeat praecedere conclusionem, quia conclusio est formale iudicium de illatione, & apprehensio debet iudicium praecedere, duo involvunt. Primum conclusionem esse iudicium de illatione, quod hic examinare debemus: Secundum, debere supponi simplicem apprehensionem ad omne iudicium, quod hic definitum non est, sed cum agitur de natura apprehensionis, & iudicii, quod praestabo Controv. 5. de anima Punct. 2. Haec ita placuit praenotare ad intelligentiam questionis, quia apud nonnullos eam valde confusam lego, quia de his distinguendis non cogitarunt.

4 Affirmo cum Hurtado disp. 7. de anima sect. 5. & Arriaga disp. 13. Logicae sect. 3. ad assensum conclusionis nullum aliud iudicium praecedere praeter assensum praemissarum. Probanda est conclusio ex eo quod non apparet necessitas assignandi aliud iudicium conclusionem praecedens, neque fundamentum est, quo moveamur ad constituendum tale iudicium. Secundò quia per se notum est esse eadem inter se, quae sunt eadem vni tertio: ergo eo ipso quod intellectus videat haec extrema esse eadem vni tertio erit determinatus ad iudicandum esse eadem inter se. Sed praecise ratione praemissarum noscitur extremitates identificari vni tertio: ergo est determinatus ad iudicandum identificari inter se. Probat haec ratio non solum non requiri aliud iudicium ante conclusionem sed etiam ex natura discursus non requiri aliquam apprehensionem praecedentem iudicium conclusionis. Dixi non praerequiri apprehensionem ex natura discursus ad assensum conclusionis, ut abstraherem ab opinione, quae asserit ad omne iudicium necessario supponi apprehensionem de obiecto iudicato, quae si vera sit conclusio supponet ex praedicato communi iudicii apprehensionem de obiecto, in quod fertur, quod iam explico.

5 Duplex est opinio circa obiectum conclusionis, quaedam affirmat conclusionem non attingere obiectum praemissarum, sed tantum proprium obiectum, alia asserit conclusionem indissolubiler attingere obiectum illatum, & obiectum praemissarum tanquam obiectum formale quo. In sententia quae asserit conclusionem non ferri in obiectum formale praemissarum, conclusio non attingit identitatem obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis, quae est obiectiva illatio. Ratio est facilis: non potest attingi identitas extremorum, quin attingantur extrema, in quibus versatur identitas: ergo si per conclusionem non attingitur alterum extremum videlicet obiectum praemissarum, non poterit attingi identitas talis obiecti cum obiecto conclusionis formalis. Ex his inferitur ex nullo capite secundum hanc sententiam praerequiri apprehensionem de illatione obiectiva, seu de identitate obiecti praemissarum cum obiecto conclusionis ad assensum conclusionis. Non ex natura speciali discursus ut dicebam n. 4. non ex eo quod apprehensio semper praecedat iudicium, quia etiam hoc verum esset, iudicium conclusionis non respicit tanquam obiectum talem identitatem, ut modò ex principiis huius sententiae euici.

6 Iam in sententia affirmante assensum conclusionis attingere per se ipsum obiectum praemissarum adhuc affirmo conclusionem non attingere enunciativae illationem obiectivam, seu identitatem obiecti conclusionis cum obiecto praemissarum, ita ut ex vi illius dicat intellectus, hoc est idem cum illo, seu hoc inferitur ex illo. Haec conclusio est contra Arriagam supra n. 8. illam tamen tradidit N. Smigle



N. Smigletius disp. 13. quæst. 2. Probat facile iudicium quo intellectus dicit, *hoc inferitur ex illo*, est iudicium de illatione tanquam de obiecto: ergo non est formalis illatio de qua fertur iudicium, aliud enim est inferre vnum ex alio, aliud iudicare vnum ex alio inferri, hoc enim sine discursu potest fieri, possum enim actu fidei humanæ, vel diuinæ credere hoc obiectum ex illo inferri, illud verò essentialiter dicit actum discurrendi. Similiter aliud est dicere, illud est idem cum isto, quæ ex vi illius illud iudicare, exempli gratia aliud est ex vi harum præmissarum, *Omnis homo est rationalis, Omne visibile est homo*, assentiri obiecto huius propositionis: *ergo omne visibile est rationale*, quod necessarium fit per discursum, aliud verò dicere obiectum harum præmissarum, *Omnis homo est rationalis: Omne visibile est homo* est idem cum obiecto huius conclusionis: *ergo omne visibile est rationale*, quod sine discursu per iudicium fidei humanæ, vel diuinæ, diuinæ vel humanæ reuelatione intercedente poterit affirmari. Confirmatur: secundum hanc sententiam tantum requiritur ad discursum, quod assensus conclusionis attingat obiectum præmissarum tanquam rationem formalem assentiendi obiecto illato. Sed hoc potest fieri, quin intellectus enunciatiue dicat obiectum præmissarum est idem cum obiecto conclusionis, seu obiectum conclusionis inferretur ex obiecto præmissarum: ergo conclusio non imbibit in se formaliter, neque aliquo modo prærequirit iudicium enunciatis illationem, seu identitatem obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis. Ex his inferes adhuc in hac sententia non prærequiri ad assensum conclusionis apprehensionem de illatione obiectiua, cum in illam formaliter, & enunciatiue non feratur conclusio assensus.

Dixi assensum conclusionis non ferri enunciatiue in illationem, seu identitatem obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, quia ut bene P. Smigletius supra & Hurtadus §. 47. & Arriag. n. 15. intellectus per assensum conclusionis in actu exercito nescit illationem obiecti conclusionis ex obiecto præmissarum, & identitatem vtriusque, quia conclusioni assentitur propter præmissas, & de obiecto conclusionis iudicat, ex præmissarum iudicio, quod est se gerere cum obiecto conclusionis tanquam cum aliquo identificato cum obiecto præmissarum, in quo intellectus nullam cognoscit distinctionem, & ita quasi virtualiter affirmans, seu supponens esse idem inferit in conclusione identificari inter se extremitates, quas vidit in præmissis identificatas vni tertio.

Obiicies primò: Assensus conclusionis fertur in suum obiectum propter obiectum præmissarum: ergo necessaria est saltem apprehensiva cognitio de connexion obiecti præmissarum, cum obiecto conclusionis. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia illius tantum prærequiritur cognitio ad assensum conclusionis, quod est motuum formale huius, seu propter quod assentitur obiecto conclusionis, cum verò tantum propter obiectum præmissarum assentitur conclusioni tantum prærequiritur cognitio de obiecto præmissarum, quam habemus in ipsis præmissis formalibus. Instabis non solum assentiri conclusioni propter obiectum præmissarum, sed propter identitatem obiecti præmissarum cum conclusionis obiecto, & propter illationem huius ex illo; ergo non solum prærequiritur cognitio obiecti præmissarum, sed identitatis obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis, & illationis huius ex illo. Respondeo intellectum tantum ferri in obiectum conclusionis, seu extremitatum inter se, propter identitatem earundem cum medio, & ideo huius tantum identitatis cognitionem prærequiri tanquam obiectum formale motuum, ex quo inferitur formalis conclusio, ex vi cuius intellectus enunciat identitatem extremitatum inter se, & in actu exercito inferit obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum, & virtualiter affirmat esse idem, ut dicebam n. 7.

Obiicies secundò: Cognitis eisdem præmissis vnus assentitur conclusioni, & alter non assentitur ergo ex eo est quod vnus cognoscit illationem, & alter illam non cognoscit. Peto à te cur cognitis eisdem præmissis vnus cognoscit illationem illarum cum conclusione, & alter illam non cognoscit? Dices quia vnus perfectius altero præmissas agnoscit. Ex hoc ergo capite affirmo ego procedere cognititis eisdem præmissis hanc conclusionem inferre, & non alterum, seculum in vtroque illationis cognitione.

Obiicies tertio: Voci *ergo* respondet in intellectu aliqua cognitio, non cognitio representans consequens illatum

secundum se, quia hoc per reliquas voces significatur, ergo cognitio representans illationem. Respondeo vocem *ergo* non significare aliquid se tenens ex parte obiecti distinctum à consequenti, sed denotare hoc vtrumque cognosci; sed cognosci ex vi præmissarum, itaque hæc complexa homo est rationalis, & Ergo homo est rationalis, ex eo differunt, quod primum ponitur loco cognitionis vtrumque representantis suum obiectum, & secundum ponitur loco cognitionis illud representantis, seu attingentis ex vi præmissarum.

Obiicies quartò Aristotelem dicentem scientiam esse cognitionem rei per causam, & quod illius sit causa, & quod aliter se habere non possit ergo Aristoteles præter cognitionem præmissarum requirit ad assensum conclusionis præcognitionem, quod præmissæ sint causa illatiua conclusionis, quod significat per illa verba, & quod illius sit causa. Respondeo cum Hurtado supra §. 4. non significare cognitionem illationis, sed solum euidenciam cognitionis scientiæ deductæ ex cognitione euidenti causæ.

### PUNCTVM III.

An assensus conclusionis necessariò tangat obiectum præmissarum.

QVæstio hæc valde coincidit cum alia, quam exagito Controv. 11. de anima Punct. 2. an videlicet electio intrinsecè per se ipsam tangat motuum intentionis, seu bonitatem finis. Licet enim nonnulla posset esse disparitas, ratione cuius posset defendi electionem non attingere bonitatem finis, etiam si conclusio debeat attingere obiectum præmissarum, quæ peti posset ex libertate voluntatis, & necessitate intellectus, vel è contra posset defendi electionem necessariò debere attingere bonitatem finis, quia medium ut tale non habet sufficientem bonitatem ad terminandum electionis actum, & conclusionis assensum non debere ferri in obiectum conclusionis, quia obiectum conclusionis ex se sufficientem veritatem habet ad terminandum conclusionis actum, nihilominus præcipua ratio, quæ probatur assensum conclusionis debere attingere obiectum præmissarum, quam expendam communis est vtrique quæstioni, eadem enim probatur electionis actum debere attingere intentionis obiectum, aliisque quam plura argumenta eodem modo in vtraque quæstione procedunt, eisdemque principiis veraciter est definienda. Breuiter quæstionem hanc hic definiam, & latius alteram de electione respectu intentionis tractabo loco citato, cum iam altiora principia tradiderim ad quæstiones percipiendas, ideo si plenior huius materiæ notitiam desideres, adito locum citatum vbi principia, quibus vtraque quæstio, & alia similes sunt exagitantur latius expendo.

Duplici modo potest attingi obiectum præmissarum assensui conclusionis. Primò tantum ut *quo* seu tanquam puram rationem assentiendi, quin ex vi illius actus ipsi obiecto formali assentitur. Secundò potest attingi non solum ut *quo*, sed etiam ut *quod*, ita ut non solum sit ratio assentiendi, verum etiam de illo feratur assensus, & aliquid enuncietur ex vi talis actus. Modum attingendi ut *quod*, vocatur S. Thomas 1.2. quæst. 8. art. 3. in corp. & quæst. 12. art. 4. Capreol. in 1. dist. 1. quæst. 1. attingi absolute & secundum se. Otham & Gabriel. quæst. 8. Prologi, P. Fonseca 6. Metaph. c. 1. art. 7. disp. 1. conc. 2. & 3. attingi ut obiectum mouens. Communis tamen loquendi modus hos duos modos attingendi idem obiectum explicat per hoc, quod est attingi ut *quod*, & ut *quæstio* loquuntur Conimbr. lib. 1. Post. cap. 1. quæst. 2. art. 5. Difficultas, quam hic exagitant Doctores, est, An assensus conclusionis respiciat obiectum præmissarum ut obiectum *quo*, seu ut rationem formalem assentiendi, quod sufficere ut præmissarum obiectum speciem tribuat assensui conclusionis, & ut conclusio dicatur à præmissis dependens, & ab illis differat per aliquid intrinsecum. An verò eo ipso quod præmissarum obiectum, & quodcumque aliud respectu aliorum actuum intellectus, & voluntatis attingatur ut *quo* debeat attingi ut *quod*, ad præsentem quæstionem non spectat, & non facile poterit definiri. Dicam quid sentiam Controvers. 10. de anima Punct. 2. ad finem, & in præsentem cum omnibus Philosophis tantum disputabo, an assensus conclusionis attingat præmissa



præmissarum obiectum ut obiectum quo formale, specificationem.

3 Assensum conclusionis non attingere obiectum præmissarum docuerunt apud P. Rubium infra dandum moderni quidam, quos moderniores alij modo sequuntur, qui pro se referunt N. Molinam, & PP. Conimbr. decipiuntur tamen, quia hi Doctores tantum negant assensum conclusionis ferri in obiectum præmissarum ut in obiectum quod, & affirmant illud attingere ut obiectum quo, ut legenti fiet manifestum. Noui alij affirmant assensum conclusionis posse attingere intrinsecè per seipsum obiectum præmissarum ut obiectum quo, & non posse illud nomen intrinsecè attingere, sed tantum extrinsecè.

4 Communis, & ferè omnium doctorum sententia affirmat assensum conclusionis attingere obiectum præmissarum intrinsecè, & per se ipsum. Ita S. Thom. Capreol. Conimbr. & P. Fonseca num. 2. citati, P. Salas 1.2. quæst. 8. & 4. disp. sect. 6. P. Rub. lib. 1. Posterior. quæst. 6. n. 54. P. Arriag. disp. 15. sect. 5. & alij antiqui apud Patrem Rubium, quibus omnibus libens assentior.

5 Sit prima conclusionis ratio. Præmissæ sunt causæ conclusionis formalis, & naturæ priores conclusionis: ergo antequam intellectus eliciat conclusionem supponuntur præmissæ, & ex vi illarum applicatur obiectum præmissarum, quod negari nequit. Deinde obiectum præmissarum est motuum sufficiens, ut ex vi illius intellectus eliciat conclusionem: ergo intellectus cum potentia sit necessaria ex illo motuo conclusionem eliciet, non enim potest cohiberi proposito sufficienti motuo ad assensum, ne in illud feratur, sicuti proposita albedine non potest potentia visiva non elicere visionis actum. Dices propositis præmissis probabilibus, & non evidentibus posse voluntatem imperare intellectui, ne ex vi illarum eliciat assensum conclusionis, quia præmissæ tantum probabiles non determinat necessariò intellectum ad assentiendum conclusioni. Habemus secundum hunc respondendi modum in syllogismo evidenti assensum conclusionis necessariò referri in obiectum præmissarum, iam idem contingere in syllogismo probabili sic ostendo. Non minus evidenter sequitur ex præmissis probabilibus probabilis conclusio, quam ex præmissis evidentibus conclusio evidens: ergo sicuti præmissæ evidentes cogunt intellectum ad assensum evidentem conclusionis, sic præmissæ probabiles cogunt intellectum independentem ab omni imperio voluntatis ad assensum probabilem conclusionis. Antecedens est certum, quia illatio sequitur ratione formæ, & dispositionis terminorum, forma autem terminorumque dispositio eadem omnino est in syllogismo probabili, & evidenti, quapropter semel præstito assensu præmissis probabilibus aequè determinatus manet intellectus ad assensum probabilem conclusionis, ac est determinatus ad assensum evidentem conclusionis postquam præmissis evidentibus assensus est. Ea enim tantum est differentia in discursu probabili, & in evidenti, quod præmissæ probabiles discursus probabilis non cogunt intellectum independentem à voluntate ad illarum assensum, ac proinde potest voluntas intellectui imperare, ne illis præstet assensum, quo non præstito ad assensum conclusionis non perveniet; præmissæ verò evidentes independentem ab imperio voluntatis intellectum ad ipsarum determinat assensum, & ita si semel proponantur, intellectus non poterit illis non assentiri. Insuper differunt ex eo quod conclusio deducta ex præmissis probabilibus probabilis est, & illa quæ inferitur ex evidentibus est evidens. Conveniunt autem in hoc quod semel præstito assensu præmissarum probabili, aut evidenti libero, vel necessario intellectum esse determinatum independentem ab imperio voluntatis ad assentiendum conclusioni probabili vel evidenti iuxta principiorum naturam.

6 Alij respondent posse intellectum distrahi ad alia obiecta, & ex defectu attentionis non elicere conclusionem propter motuum propositum præmissarum, sed propter veritatem, quam in se habet conclusio capacem terminandi per se ipsam assensum conclusionis. Admittit hic dicendi modus per se loquendo assensum conclusionis attingere præmissarum obiectum, & non nisi per accidens ex animi distractione oppositum contingere. Videamus an res ita se habere possit. Posse ex distractione animi propositis præmissis non elici conclusionis assensum expe-

rientia compertum est, tantum est difficultas an possit elici, & non ex motuo per præmissas propositas, hoc est, an ex suppositione, quod eliciatur, debeat ferri in præmissarum obiectum. Consequens inferendum posse secundum se independentem ab obiecto præmissarum virtutem habere terminandi assensum non ego negabo, sæpe enim inferimus illa, quæ sine illatione in se ipsis possemus cognoscere. Difficultas est an intellectus possit simul distrahi, ita ut ratione distractionis non eliciat assensum conclusionis ex motuo, quod præmissæ proponunt, & habere sufficientem attentionem ad eliciendum conclusionis assensum propter veritatem quam in se includit consequens: Sed demus de facto ita contingere, tunc dicam assensum illum consequentis non esse conclusionem, neque produci dependentem à præmissis, neque has aliquo modo in illum influere, quia præmissæ tantum influunt in conclusionem proponendo motuum, in quod tanquam in formale obiectum feratur conclusio, quod probabit ratio quam pro hac conclusione iam expendo.

7 Secunda conclusionis ratio esto: Aliqua debet assignari ratio, propter quam ex tribus assensibus, qui in discursu reperiuntur, duobus habeant rationem præmissarum, & alius rationem conclusionis. Sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum, tanquam in formale motuum, & assensus præmissarum nullo modo attingit conclusionis obiectum: ergo assensus conclusionis fertur in obiectum præmissarum. Minorem probò: vnius assensus non dependet ab alio in genere causæ efficientis, ut fert communis sententia, quia nullus actus vitalis intentionalis physice in alium influit, sed tantum directiue, sicuti concurrat actus Logice ad sciendi instrumenta consocienda ut dixi Contr. 2. Punct. 6. & cognitio ad volitionem ut dicam Controu. 8. de Anima Punct. 2. & intentio ad electionem quando realiter ab illa distinguitur ut tradam Controu. 11. de Anima Punct. 6. ergo non potest ex alio capite à præmissis dependere conclusio, nisi quia hæc fertur in illarum obiectum tanquam in formale motuum.

8 Dices assensum præmissarum esse illuminationem ad assensum conclusionis, & conclusionis assensum intellectum non illuminari ad assentiendum præmissis. Sed inquirò, cur assensus ille, quem tu conclusionis vocas non sit illuminatio ad alterum illorum, quos tu præmissas appellas. Si dicas quia obiectum conclusionis pendet ab obiecto præmissarum, & præmissarum obiectum non dependet à conclusionis obiecto: Exempli gratia, cum ego dico, sol est: ergo dies est, iudicium de existentia solis est illuminatio ad iudicium de existentia diei, quia existentia diei dependet ab existentia solis, & iudicium de existentia diei non est illuminatio ad iudicium de existentia solis, quia hæc existentia ab illa non dependet.

9 Contra hoc est, quia quando ego arguo à posteriori *Dies est: ergo est sol*, iudicium de existentia diei se habet per modum præmissæ & illuminantis, & iudicium de existentia solis per modum conclusionis, & illuminati, seu obiecti ad quod intellectus illuminatur: ergo illuminatio non consistit in dependentia obiectorum inter se, quia hæc sunt indifferentia ut inter se habeant munus illuminati, aut illuminantis. Denique in omnibus reatiis aequè arguitur ex hoc extremo ad illud, & ex illo ad istud: v.g. aequè conclusionem infero si dicam, *est Pater: ergo est Filius; est Filius, ergo est Pater*. Rursus in syllogismo expository, aequè potest inferri obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum, ac obiectum præmissarum ex obiecto conclusionis, possum enim arguere: *Petrus est primogenitus Joannis: hic homo est Petrus: ergo hic homo est primogenitus Joannis*; eodemque modo possem inferre *Petrus est primogenitus Joannis: hic homo est Petrus: ergo hic homo est primogenitus Joannis*.

10 Respondent alij recentiores ex assensibus qui mutuò se possunt inferre illum dici conclusionem, & actu illarum qui deficiente alio deficeret, & illum se tenere ex parte præmissarum, & esse illuminationem ad alterum, qui nõ deficeret altero deficiente. Hunc influendi modum assignat P. Ripalda in actu imperante respectu imperati, quæ ego refero, & per otii reflexo, efficacissimè ni fallor, Contr. 3. de anima Punct. 4. & 4. & vide si placeat quæ contra hunc influxum in obiecto conditionato constitutum, vel per obiectum conditionatū explicatū loco citato latè expendo, quæ omnia in hac materia eodem



eodem prout modo procedunt. Mitto alias rationes, quibus hæc conclusio solet probari, quia hæc, quam modò expendi, omnium est efficacissima, & rem totam euincere mihi persuadeo.

11 Obiicies primò. Obiectum conclusionis habet ex se independentem ab obiecto præmissarum sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus: ergo necessarium non est, quod obiectum præmissarum attingatur per assensum conclusionis. Respondeo obiectum conclusionis habere ex se sufficientem virtutem ad terminandum actum intellectus purè iudicium, sicuti est actus quilibet præmissarum, non verò ad terminandum actum discursuum, seu conclusionis, qui in re sit conclusio, & à præmissis dependeat. Adde quod etiam si virtutem haberet ex se ad terminandum talem actum, eo ipso quod præmissarum obiectum esset applicatum non illum terminaret sine præmissarum obiecto, quod etiam virtutem haberet ad terminandum actum conclusionis tanquam formale motuum, quia quando iunguntur duæ causæ necessariae, quarum quælibet ex se potest effectum producere, effectus non ab altera tantum, sed ab utraque indissolubiler procedit attenuato utriusque causæ concursu.

12 Obiicies secundò. In conclusione non repetuntur præmissæ: ergo actus conclusionis non terminatur ad illas. Antecedens probatur ex eo, quod si præmissæ repeterentur, cum dicimus *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, totum hoc obiectum importaret conclusio *Petrus est animal*, ex eo quod omnis homo est animal, & Petrus est homo. Respondeo in opinione illorum, qui asserunt non inferri necessariò ex vi actus attingi ut quod obiectum, quod attingitur ex vi actus attingi ut quod debet attingi, posse concedi primum antecedens, & negari consequentiam, quia ad hoc ut præmissæ repeterentur in conclusione deberent attingi ut quod, sicuti in præmissis attinguntur, cum verò tantum attingantur, ut quod, reperti dici non poterunt. In sententia, quæ asserit obiectum præmissarum debere attingi ut quod assensu conclusionis, eo præcisè, quod attingatur ut quod, inconueniens non erit asserere præmissas reperti in conclusione, & hanc includere totum illud obiectum, quod intendit obiectio. Quod si vocalis conclusio illud non exprimat, ideo est, quia particula *ergo* substituitur loco illius, quod non exprimitur.

13 Instabis: si obiectum præmissarum reperitur in conclusione, & ex vi huius interius nunciatur totum id, quod præmissæ repræsentant, rectè poterit stare conclusio sine præmissis, & hæc superflue ponentur iterum in conclusione repetendæ. Respondeo præmissas prærequiri ut applicent obiectum formale motuum ad assentiendum obiecto conclusionis, cui ex illo motu non posset intellectus assentiri, si motuum non præcessisset applicatum. Replicabis: intellectus assentitur præmissarum obiecto, & elicit formales præmissas absque eo quod per alias obiectum formale motuum supponatur applicatum: ergo similiter poterit assentiri obiecto conclusionis propter obiectum illud ad quod terminantur præmissæ, absque eo quod ex vi harum supponatur applicatum tale obiectum. Confirmatur: electio potest fieri in medium propter finem ex vi actus, quo ametur medium, & primò ametur finis, absque eo quod supponatur amatus per intentionem ab electione distinctam, ut probabo Controv. 10. de anima. Punct. 3. ergo conclusio poterit ferri in suum obiectum, & in aliud obiectum formale motuum, quod dicitur præmissarum obiectum, absque eo quod hoc antecederet supponatur applicatum per præmissas, & absque eo quod aliqua præmissa præcesserit. Respondeo intellectum posse assentiri obiecto præmissarum propter ipsum absque alio præexistente iudicio, ex vi cuius applicetur tale motuum, non verò posse assentire obiecto conclusionis propter præmissarum obiectum absque eo, quod præcesserint præmissæ ex vi quarum applicetur tale obiectum, quia facilius est assentire præmissarum propter se ipsum, quam assentire obiecto conclusionis propter præmissarum obiectum, & ita facilius actus non supponit applicationem obiecti motui factam per iudicium, quam supponit actus alius difficilius. Ad confirmationem respondeo electionem identi-

ficatam cum intentione, ex vi cuius medium, & finis primo efficaciter amantur, supponere iudicium, ex vi cuius applicatur utrumque obiectum, cognitionem verò ex vi cuius attingeretur obiectum conclusionis propter obiectum præmissarum, absque eo quod hæc præcesserint, non posse in illo casu supponere suum obiectum formale motuum applicatum per iudicium, sicuti illud supponit electio identificata cum intentione. Ob quam rationem disparitatis potest dari electionis actus, ex vi cuius primò ametur finis, & non potest dari actus conclusionis ex vi cuius primo assentitur præmissarum obiecto.

14 Obiicies tertio: Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, non posset ex falso sequi verum, quod est falsum, est enim dogma Summulisticum, ex vero semper sequi verum, & ex falso aliquando sequi verum, aliquando falsum. Antecedens probatur: quoriscumque præmissæ falsæ sint, illarumque obiectum non existat assensus conclusionis attingens præmissarum obiectum attinget obiectum non existens: ergo erit falsus: ergo nunquam ex falsis præmissis sequitur verus conclusionis assensus. Concedit Ariaga hanc ultimam consequentiam, & asserit dogma illud Summulisticum intelligendum esse tantum de conclusione vocali, per quam non attingitur præmissarum obiectum. Non omnino acquiesco, quia conclusio vocalis substituitur loco mentalis, seu intentionalis, & respondet conceptui interno, in quo formalis conclusio consistit tanquam illius vicaria: ergo respicit idem obiectum: ergo si conclusio mentalis falsa est, falsa erit vocalis conclusio. Respondeo posse dici ex falso verum inferri, quia id, quod inferitur per legitimam consequentiam à parte rei existit sicuti inferitur, licet enim quando præmissæ falsæ sunt, sit falsus conclusionis assensus, non ideo falsus redditur, quia non existat obiectum in quod inferitur, hoc enim ex se non falsificaret conclusionem: si hæc non falsa redderetur ratione obiecti præmissarum. Adde iuxta illos, qui asserant assensum conclusionis attingere obiectum præmissarum ut obiectum tantum formale quo, & non ut obiectum quod, assensum conclusionis ex præmissis falsis deductum absolute esse verum, quia veritas tantum desumitur ex conformatione actus cum obiecto quod & non cum obiecto quo.

15 Obiicies quartò: assensus conclusionis attingit obiectum præmissarum: ergo species quam relinquit hic actus est sui ipsius ut attingentis obiecta præmissarum: ergo quoriscumque recorder actus discursus, recorder illius ut attingentis obiecta præmissarum: ergo recorder etiam præmissarum, quod experientia monstrat esse falsum, quia comparatà notitiā alicuius obiecti per discursum pendente à præmissis, sæpe recorder illius nulla præmissarum mentione facta. Huic argumento tenemur omnes respondere, quia actus, quo ego amo medium propter finem: v. g. actus, quo volo deambulationem propter sanitatem, attingit, vel saltem potest attingere deambulationem, & sanitatem, & actus quo ego volo dare eleemosynam propter Deum, attingit ipsum Deum, & tamen sæpe recorder me voluisse deambulare, & me voluisse dare eleemosynam, quin recorder voluisse deambulare propter sanitatem, & voluisse dare eleemosynam propter Deum, & vniuersaliter sæpe recorder me voluisse hoc vel illud facere, & non recorder motuorum, propter quæ talia volui facere, etsi actus, quorum recorder per se ipsos motiua respexerint: ergo eodem modo possum recorderari assensus, quin recorder obiecti præmissarum quod fuit intrinsecum formale motuum talis actus. Ad argumentum respondeo negando consequentiam, quia non semper species propriæ repræsentant expresse omnem rationem intrinsecam sui obiecti, sed aliquando valde confusè propter earum imperfectionem, vel nimiam remissionem, vel prauam subiecti dispositionem, sicuti species coloris à longè visi sæpe non repræsentant expresse rationem individualement neque specificam, cum ex vi talis visionis non possit intellectus discernere an visus color sit viriditas, vel rubedo. Hæc confusio, seu indistinctio obiectorum per præcisionem ex parte actus debet intelligi, non per obiecti præcisionem, quam adhuc in abstractiua intellectione non admitto.



PUNCTUM IV.

*An assensus præmissarum necessitet ad assensum conclusionis.*

**D**vplex est necessitas; quædam quoad <sup>speci-</sup>ficacionem, alia quoad exercitium. Necessitas quoad specificationem illa est, ex vi cuius principium eo ipso quod operetur, hanc speciem actus debet operari, & nullo modo potest oppositum efficere, licet hic & nunc ex vi huius necessitatis possit neutram producere, omnemque actionem cohibere. Necessitas quoad exercitium illa est, ex vi cuius principium hic & nunc prædeterminatum est ad effectum producendum.

Posto præmissarum assensum intellectum esse determinatum circa conclusionis obiectum quoad speciem, hoc est, non posse ab illo dissentire, sed eo ipso, quod in illud tendat, debere per assensum ferri in illud docet communis Doctorum sententia cum S. Thoma in 1. dist. 25. q. 1. art. 2. Ratio facilis est: intellectus non potest dissentire obiecto, quod euidenter proponitur ut verum: sed per præmissas obiectum conclusionis proponitur euidenter ut verum: ergo non potest illi dissentire. Maior euidenter est, alias possem ego iudicare me modò non scribere, & non existerem lucem, quam oculis cerno, & alia huiusmodi. Minorem probat: per præmissas proponuntur extremitates conclusionis vnitæ vni tertio: ergo per illas proponitur euidenter connexio extremitatum inter se, est enim euidenter esse inter se connexa, seu identificata illa, quæ sunt vni tertio identificata: ergo proponitur talis identitas ut euidenter vera, ergo non potest ab illa dissentire intellectus: ergo tali propositione facta per præmissas intellectus manet determinatus quoad specificationem. Deinde in præmissis includitur obiectum conclusionis, est formaliter non sit expressum: ergo qui aduerit concessisse præmissas non poterit à conclusionis obiecto dissentire.

Assensio insuper per se loquendo intellectum ex vi præmissarum non solum prædeterminatum esse quoad speciem, sed etiam quoad exercitium, ita vt hic & nunc teneatur assensum conclusionis elicere eo ipso, quod præmissarum admisit assensum. Ita D. Thomas supra, Caietanus, Scotus, Durand. & P. Fonseca apud Conimbricenses qui eandem sententiam defendunt lib. Prior. resol. cap. 1. q. 4. art. 4. Hurtad. disp. 7. de Anima sect. 4. Arriaga disput. 15. Logica sect. 8. Sit ratio: intellectus est potentia necessaria, quæ positis omnibus requisitis ad operandum non potest non operari. Sed eo ipso quod datur præmissarum assensus, intellectus habet omnia principia requisita ad eliciendum conclusionis assensum, cum ex vi præmissarum proponatur sufficiens motum ad eliciendum hunc assensum: ergo intellectus illum necessariò eliciet, si per accidens non impediatur. Dices vnum ex requisitis ad operandum esse voluntatis imperium, sine quo intellectus non est simpliciter, absolute, & adæquate potens elicere assensum conclusionis: Sed contrà, quia ad assensum euidentem, seu obiecti ut veri euidenter propositi imperium hoc necessarium non est, euidentia enim obiecti rapit intellectum ad præbendum assensum independentem ab omni imperio voluntatis. Neque ad assensum probabilem conclusionis, seu deductum ex præmissis probabilibus requiritur hoc voluntatis imperium, quia æquè euidenter inferitur assensus probabilis ex præmissis probabilibus, ac euidenter ex euidentibus, & semel supposità identitate extremitatum vni tertio per assensum probabilem, euidenter est eadem probabilitate verum esse extremitates inter se identificari. Quapropter imperium voluntatis deferuire potest, ut obiecto probabili præmissarum assensus præbeatur, hoc tamen semel præstito necessarium non est, ut eliciatur conclusionis assensus, quia ex suppositione quod indentificetur extremitates vni tertio, euidenter est inter se identificari, cum autem per præmissas probabiles supponatur ut verum præmissas identificari vni tertio, euidenter sequitur identificari inter se. Dices obiectum conclusionis euidenter inferri, seu illationem esse euidentem, obiectum tamen illatum euidenter non esse, quia hoc non potest habere euidentiam, quæ in præmissis non est, & ita non posse intellectum rapere, vt illi assensum præbeant. Fateor obiectum euidenter illatum in syllogismo probabili euidenter non esse, & ita assero

*Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.*

obiectum per se ipsum non posse cogere intellectum ad assensum circa illud eliciendum, sed ratione præmissarum ex quibus euidenter inferitur, & ratione connexionis quæ apparet inter obiectum conclusionis, & præmissarum, idem enim quod obiectum in se euidenter per se ipsum præstaret, præstaret obiectum probabile euidenter connexum cum obiecto præmissarum probabilem, ratione harum, cum hæc supponuntur, hoc est, cum intellectus assensum præbuit præmissarum obiecto.

Dixi intellectum per se loquendo esse prædeterminatum ad assensum conclusionis, quia per accidens potest aliquando emissio præmissarum assensu conclusioni non assentiri, si nimis intentus sit aliis obiectis, quibus detrahatur ab obiecto conclusionis, & remoueat ab assensu circa illud eliciendo. Item si ex alio capite non attendat ad connexionem, quam habet vtrique extremitas cum eodem medio, sed quasi disparatè eliciat has propositiones *Omnis homo est animal: Petrus est homo: non consideratà identitate subiecti maioris cum prædicato minoris, neque inspectà prædicatione duarum extremitatum de eodem medio, seu vno tertio, in quod vtrique confluit per identitatem.* Ratio huius exceptionis defumitur ex fundamento conclusionis, quia vnum ex requisitis ad assensum conclusionis est intellectum non esse impeditum nimia aliorum obiectorum attentione, & inspectam habuisse identitatem extremitatum cum medio: ergo dum intellectus hanc identitatem non inspicit, illave distractione aliorum obiectorum attentio impeditur, non habet omnia requisita ad assensum conclusionis eliciendum, illumque non eliciet.

Dices intellectum saltem requirere ad eliciendum assensum conclusionis, affectu voluntatis non prohiberi productionem talis assensus, ac proinde posse voluntatem per actum, quo prohibeat elicientiam talis assensus intellectum coercere ne illam exerceat, licet intellectus non indigeat positio imperio voluntatis ad talem assensum præstandum. Eundem dicendi modum expendam & reiciam Controu. 10. Physic. Punct. 1. num. 7. vbi impugnabo nonnullos asserentes posse aliquem effectum existere dependenter a voluntate diuina, etiam si physicè non produceretur à Deo, ex eo præcisè quod indigeret diuina permissione ad existendum, ita vt ex eo quod Deus diceret, nolo hunc effectum existere, deficeret talis effectus, etiam si positiuè à Deo non dependeret. In præsentia autem sufficiat dicere sine fundamento fingi necessitatem non prohibitionis voluntatis, ad hoc vt intellectus efficiat actus, quos sine positio voluntatis requisitis ad operandum non potest non operari. Sed eo ipso quod datur præmissarum assensus, intellectus habet omnia principia requisita ad eliciendum conclusionis assensum, cum ex vi præmissarum proponatur sufficiens motum ad eliciendum hunc assensum: ergo intellectus illum necessariò eliciet, si per accidens non impediatur. Dices vnum ex requisitis ad operandum esse voluntatis imperium, sine quo intellectus non est simpliciter, absolute, & adæquate potens elicere assensum conclusionis: Sed contrà, quia ad assensum euidentem, seu obiecti ut veri euidenter propositi imperium hoc necessarium non est, euidentia enim obiecti rapit intellectum ad præbendum assensum independentem ab omni imperio voluntatis. Neque ad assensum probabilem conclusionis, seu deductum ex præmissis probabilibus requiritur hoc voluntatis imperium, quia æquè euidenter inferitur assensus probabilis ex præmissis probabilibus, ac euidenter ex euidentibus, & semel supposità identitate extremitatum vni tertio per assensum probabilem, euidenter est eadem probabilitate verum esse extremitates inter se identificari. Quapropter imperium voluntatis deferuire potest, ut obiecto probabili præmissarum assensus præbeatur, hoc tamen semel præstito necessarium non est, ut eliciatur conclusionis assensus, quia ex suppositione quod indentificetur extremitates vni tertio, euidenter est inter se identificari, cum autem per præmissas probabiles supponatur ut verum præmissas identificari vni tertio, euidenter sequitur identificari inter se. Dices obiectum conclusionis euidenter inferri, seu illationem esse euidentem, obiectum tamen illatum euidenter non esse, quia hoc non potest habere euidentiam, quæ in præmissis non est, & ita non posse intellectum rapere, vt illi assensum præbeant. Fateor obiectum euidenter illatum in syllogismo probabili euidenter non esse, & ita assero

Obicit Rubius lib. 1. de Prior. resol. quæst. 8 vt probet intellectum non determinari quoad exercitium ad assensum conclusionis per assensum præmissarum. Intellectus obedit imperio voluntatis: ergo voluntas poterit illum cohibere, etiam supposito præmissarum assensu ne conclusioni assentiat. Respondeo intellectum obedire voluntati in his actibus, quorum obiecta non apparent euidenter vera, obiectum autem conclusionis ex suppositione præmissarum representatur euidenter verum, & euidenter connexum cum obiecto præmissarum, quod per formales præmissas verum esse supponitur.

Obicit secundo: Habitus non dantur ad actus, qui non subdantur imperio voluntatis: ergo si assensus conclusionis non subderetur imperio voluntatis, non daretur habitus ad illum eliciendum: ergo non daretur habitus distinctus à principiorum habitu. Respondeo iuxta veriore sententiam, quam probabo Controu. 13. de anima Punct. 2. nullum dari habitum ad actus intellectus distinctum ab speciebus, quæ etiam actibus necessarijs possunt deferuire. Quod si volueris neque species impressas concurrere ad conclusionis assensum, absque vlla formidine consequentiam concede, nihil enim absurdi in consequenti reperies.

Obicit tertio: Nullum est bonum creatum, à quo necessitetur voluntas: ergo neque verum à quo necessitetur intellectus. Concedo antecedens, nego consequentiam, & disparitatem reddo. Voluntas est potentia libera, & ita potest suum affectum cohibere circa obiectum ad quod consequendum habet omnia requisita: intellectus autem est

L potentia



potentia necessaria, & ita si semel instruat omnibus prærequisitis ad operandum non potest non operari. Secundò voluntas ex suppositione intentionis necessitatur ad electionem mediæ creati: ergo pari ratione intellectus præmissarum potest necessitari ad assensum conclusionis. En ratio paritatis à voluntate desumpta respectu intellectus nostram conclusionem non solum non impugnatur, verum etiam propugnat. Tertiò quia illud, quod apparet euidenter verum, vel in se, vel ex suppositione præmissarum, non potest ex harum suppositione sub vlla ratione falsum apparere, & ita intellectus non potest non elicere assensum circa illud, bonum autem creatum semper admixtum habet aliquam rationem mali quæ possit intellectum retrahere ab illius amore. Deum cum iuxta communem sententiam vna veritas non sit maior aliâ, quodcumque obiectum verum, etiam creatum intra lineam creati est summum verum, hoc est non potest esse aliud obiectum creatum verius illo, nulum autem bonum creatum, adhuc intra lineam creati est summum bonum, quia quocumque bono creato assignato potest aliud bonum creatum assignari quod sit magis bonum.

Obiiciunt alij recentes: Suppositis præmissis voluntas potest imperare conclusionem directam, aut indirectam: ergo conclusio non elicitur independenter ab imperio voluntatis. Antecedens probant ex eo quod his positis præmissis, *Omnis homo est animal, Petrus est homo*, potest quis pro sua voluntate directè concludere: *ergo Petrus est animal*, vel indirectè: *ergo aliquod animal est Petrus*, quod experientia compertum esse affirmant. Caterum experientia suadet liberum esse conclusionem vocalem directam vel indirectam proferre, hanc autem libertatem in actu interno, seu in conclusione mentali nemo expertus est: Imò si hoc volueris experiri vtramque conclusionem directam, & indirectam necessariò elicies. Respondeo ergo cum Hurtado supra §. 38. vtramque conclusionem eliciendam esse ab intellectu, si ad vtramque attendat, & intellectus virtutem habeat vtramque simul eliciendi, quia non carere mihi persuadeo. Quod si vtrique simul obiiceretur, & non posset simul ab intellectu elici, tunc daretur optio voluntati, vt quam maluerit, eliceret. Vt plurimum autem conclusio directa eliceretur, quia hæc clariùs apparet intellectui, faciliùsque agnoscitur.

## PUNCTUM V.

*Quo modo tempore, & naturâ præmissæ conclusio-  
nem precedant.*

Circa coexistentiam assensuum præmissarum, & conclusionis suborta fuit apud aliquos dubitatio ex D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 3. vbi ait, ideo Deum non discurre, quia non cognoscit vnum post aliud: ergo ad discursum requiritur cognitionum successio: ergo coexistere nequeunt cognitio præmissarum & conclusionis. Respondeo Angelicum Doctorem tantum docuisse potentiam discursuam posse habere actuum successionem, ex quo principio negat Deo potentiam discurrendi, non verò ex eo quod ad discursum requiratur actuum successio. Deinde etiam si in discursu exposceret D. Thomas actuale successionem actuum, hæc constituenda esset in eo, quod prius tempore eliceretur assensus præmissarum, quam conclusionis assensus, etiam si dum hic eliciebatur alter perseveraret, & vterque coexistere dum erat conclusionis assensus. Adducitur etiâ D. Thomas quæst. 58. art. 2. & quæst. 85. art. 4. vbi asserit non posse simul cognosci, quæ per plures species representantur. Sed obiectum præmissarum, & conclusionis cognoscuntur per plures species: ergo non possunt simul cognosci. Respondet Caietanus quæst. 85. nomine plurium specierum intelligendas esse species non subordinatas, species autem præmissarum, & conclusiones subordinari, & ita coexistere posse assensum præmissarum, & conclusiones. Melius intelligo interpretari D. Thomam si dicatur ipsum negare cognosci eadem cognitione, quæ per plures species cognoscuntur, difficile enim in alium sensum poterit illius doctrinâ defendi, experientia enim notum est, simul cognosci plura, in quibus nulla specierum subordi-

natio reperitur. Adducitur etiam Philosophus 2. Topic. cap. 3. vbi ait: *contingit autem sive plura, cogitare vnum*: ergo ex mente Aristotelis non potest dari simul in intellectu duplex actualis cognitio. Respondeo Aristotelem tantum prædictis verbis significare plura posse habitualiter sciri, quam actualiter cognosci, non verò docuisse non posse simul cognosci plura. Item ergo assensum præmissarum & conclusionem posse coexistere, de quo nulla potest esse controuersia. Neque negari potest alterâ præmissam posse præcedere conclusionem, quia cum vna non inferat aliam, & per se sola non sufficiat conclusionem inducere, poterit absque alia præmissa, & absque vtraque subsistere. Vtramque præmissam non posse per se loquendo conclusionem præcedere, mihi persuadeo, quia vtraque præmissa determinat intellectum ad assensum conclusionis, vt probauit Punct. præcedenti: ergo illud determinabit in primo instanti, in quo simul vtraque existat. Si enim in primo instanti non determinaret intellectum, neque illum determinaret in sequentibus, cum in omnibus eadem sit ratio. Poterit autem ex accidenti v. g. ex distractione animi vtraque præmissa esse in aliqua mensura temporis, in qua non sit conclusio, quæ ablato distractionis impedimento incipiet tempore posteriori præmissis.

Difficilius est, an conclusionis assensus poterit existere sine præmissarum assensu, vel quia elicitur postquam iam præmissæ transierint, vel quia elicitur præmissis existentibus, & postea deficientibus conservatur. Secundam sententiam, quam sum amplexus asserentem assensum conclusionis ferri in obiectum præmissarum, prius propositum per formales præmissas, non potest assensum conclusionis produci, neque conservari præmissis non existentibus, quia supponit obiectum formale applicatum per præmissas, quæ applicatione deficiente deficit conclusio actus, sicuti deficit actus voluntatis cognitione non existente. Censeo tamen supernaturaliter posse produci, & conservari conclusionis assensum sine præmissis. Moueor quia secundum hanc sententiam assensus conclusionis tantum dependet à præmissis formalibus tanquam à conditione applicante motuum, seu formale obiectum, eâ ratione, quia dependet volitio à cognitione. Sed hoc conditionis genus potest suppleri à Deo, & potest supernaturaliter dari volitio sine cognitione: ergo potest dari supernaturaliter assensus præmissarum sine conclusionis assensu. Tota difficultas huius rei in minori consistit, quam probabo Controu. 7. de anima, Punct. 3.

In sententia quæ asserit assensum conclusionis non attingere præmissarum obiectum, neque efficienter à præmissis formalibus pendere facile defenditur posse assensum conclusionis primò produci sine præmissis, & cum his productum sine eisdem postea conservari, quia intellectus, qui elicit hunc assensum propter veritatem formalem, quam in se habet consequens determinatur præmissarum assensu, poterit sine hac determinatione illum elicere, & conservare, sicuti voluntas, quæ elicit actum imperatum propter motuum intrinsicum proprium talis actus determinata actu imperante, poterit eandem elicere absque imperio, & iam hunc elicatum postea sine illo imperio conservare. Neque necesse est loco præmissarum influentium in conclusionem aliam substitui causam, si ipsæ deficient, quia cum causa physice non influit, neque per se ad effectum requiritur, necesse non est ipsâ deficiente aliam substitui, vt conferretur effectus, qui ab illa dependebat, vt videre est in actu imperato respectu imperantis.

Nota tamen tunc solum assensum consequentis dici conclusionem formalem, & illius obiectum consequens dici, quando actu dependet à præmissis, quia secundum hanc sententiam extrinsecum est assensui esse conclusionem, sicuti illi extrinsecum est ab his præmissis dependere, & ita assensus iste, *Petrus est animal*, conclusio dicitur quando ab his præmissis procedat, *Omnis homo est animal; Petrus est homo*. Idem verò si ab his non dependeat sicuti de facto potest non dependere, non dicitur conclusio, quia conclusio formaliter in ratione talis constituitur per hanc dependentiam extrinsecam actui, qui denominatur conclusio. Ex hoc inferes conclusionem formaliter vt conclusionem adhuc in hac sententia non posse existere sine præmissis, licet sine ipsis possit existere actus, qui accidentaliter, & extrinsecè conclusio denominatur.



In sententia quæ assertit præmissas efficienter influere in conclusionem: conclusio non poterit sine illis subsistere, quia assensus conclusionis involuit actionem, ex vi cuius producit, quæ per se ipsam est connexa essentialiter cum principio, à quo procedit, & adhuc supernaturaliter non potest ab illo separari.

Præmissas non concurrere effectivè ad assensum conclusionis, sed tantum directivè dixi Punct. 3. num. 6. ubi tetigi huius conclusionis fundamenta, quæ aliis locis ibi citatis latius expendo. Quomodo autem præmissæ assensum conclusionis dirigant explicui eodem Punct. 3. ubi dixi præmissas influere in conclusionem proponendo formale obiectum propter quod intellectus consequenti assentit, & elicit conclusionis assensum.

Contra prædictam conclusionem obijciunt nonnulli, ut probent præmissas efficienter in conclusionem influere. Id præstant præmissæ respectu conclusionis, quod species impressæ respectu præmissarum. Sed species impressæ concurrunt effectivè: ergo præmissæ eodem modo concurrunt. Confirmatur: si præmissæ non præcederent conclusionem necessarius esset specierum influxus ad illam eliciendam: ergo præmissæ suppleant defectum specierum. Sed species concurrerent activè: ergo præmissæ debent activè concurrere. Ob hanc rationem asserunt nonnulli assensum conclusionis non solum dependere à præmissis, sed etiam à speciebus impressis activè concurrentibus, quia intellectus indiget alio principio activo ad suos actus producendos, & cum præmissæ tale non sint, etiam illis positis species impressæ necessariae sunt. Respondent alij intellectum duo habere genera actuum, unum eorum ad quos exposcit principium actuum, quia ex se non habet sufficientem virtutem ad illos producendos, & huiusmodi esse præmissarum assensum ad quem species effectivè concurrunt, aliud eorum ad quos tantum indiget aliâ cognitione applicante motuum formale ipsum, ad quos producendos virtutem habet adequatam, & huiusmodi esse conclusionis actum, quem sine principio activo adequatè potest intellectus producere. Hac ratione præmissæ non subrogantur loco principij activi distincti ab intellectu, quod necessarium non est ad conclusionem producendam, sed in alio genere concurrunt ad conclusionem producendam, quæ non indiget principio ab intellectu distincto, sed tantum conditione applicante motuum formale, ex vi cuius intellectus dicitur illuminatus ad conclusionem eliciendam. Nec refert conclusionem nobiliorem esse præmissis, quia non præcisè ex eo quod effectus perfectior sit plura principia activa requirit, sed ex modo quo producit, volitio enim perfectior est specie impressa producta à phantasmate in intellectu, quam communis sententia admittit, & volitio supponit tantum animam ut principium actuum, & species impressa animam & phantasma. Adde in multorum sententia iudicium non dependere activè à speciebus impressis, sed tantum ab apprehensione tanquam à conditione, ex vi cuius obiectum proponitur, sed apprehensionem tantum à speciebus impressis produci. Ex quo duo inferes primum præmissas formales, quæ sunt actus iudicij non dependere efficienter ab speciebus impressis. Secundum, apprehensiones, quæ sunt actus imperfectiores iudicij dependere ab anima, à qua in genere efficienter adquatè iudicia dependent, & insuper dependere ab speciebus impressis, à quibus iudicia non dependent, quia eliciuntur non prævi applicatione motui, sicut eliciuntur iudicia, quorum obiectum per simplices apprehensiones intellectui applicantur prius naturâ, quam eliciantur iudicia. Concludo quamcumque ex supradictis solutionibus probabiliter defendi posse.

PUNCTUM VI.

*De præcognitis ante totum syllogismum, & in ipso progressu syllogismi ante conclusionem.*

Difficultatē hanc multi specialiter in demonstratione disputant, nescio quâ ratione cum communis sit in syllogismo probabilis & demonstrativus. Omnis demonstratio tribus terminis constat, subiecto de quo demonstratur, prædicato, quod demonstratur, & medio, per quod fit demonstratio. Ex his terminis inter se connexis

*Franc. de Guideo, Philosoph. Tom. I.*

principia resultant, ex quibus inferitur conclusio. Circa quamlibet rem duo possunt cognosci, nomen, & res. Deinde cognitio rei duplex esse potest. Una quoad esse rei, quâ cognoscitur hanc existere, vel esse possibilem, & cognitio rei quoad *quid est*, quâ saltem confusè cognoscitur quidditas rei in ordine ad aliquas proprietates, vel connotata extrinseca. His positis:

Dico primò: Ad inferendum per discursum aliquid de re, non sufficit cognitio nominis alicuius, aut omnium terminorum, quia si ego ignorem quid nomen significet, nihil potero prædicare de illius significato, de quo agitur, quia nomina, cuius significationem ignoro perinde se habent respectu mei in ordine ad rem significatam, ac se habent nomina aliarum rerum, & voces significationes expertus. Dixi ad demonstrandum aliquid de re, quia si demonstratio sit tantum de voce, vel de nomine, quæ ego intendam demonstrare vocem hanc *homo* esse aerem dearticulatum, vel esse nomen, quod per casum inflectitur distinctum à verbo, certum est necessariam non esse cognitionem rei significatæ, quia tunc illa demonstratione nomen ipsum est verbum.

Dico secundò: Per se loquendo cognitio nominis non requiritur ad inferendum aliquid de substantia rei, quia Angelus immediatè potest tendere circa res ipsas sine aliquo nomine. Er homo metaphysicè loquendo posset iudicium ferre de rebus ipsis, quas cognoscit in se ipsis seu independenter ab ipsarum nomine, & ex iudicio huiusmodi aliud etiam rei, nomine non interveniente: illarum inducere, in quo nulla apparet repugnantia.

Dico tertio: Ad illationem humanam moraliter necessaria est cognitio nominis, & rarò aut nunquam vincitur difficultas, quæ est in syllogismo faciendo nullo rerum nomine interveniente, quam metaphysicè fieri posse supra dixi. Ratio desumitur ex communi modo concipiendi res, quas semper concipimus per nomina imposita, vel per aliquod signum, quod nos constituimus ad illas significandas in ordine ad nos, quia intellectus noster ob suam imbecillitatem sine his adminiculis vix potest intellectiōnem aliquam elicere, maxime supposita iam nominis impositione, ex cuius præexistente notitiâ naturaliter fertur in nomen concepta re, ad quam significandam impositum esse prænotuit. Quisque enim apud se experietur nunquam concipere hominis substantiam sine hac voce *homo*, neque rem lapidis sine hac voce *lapis*.

Dico quarto: Requiritur cognitio quoad *quid* rei ante ingressum syllogismi. Ratio est, quia implicat me elicere hunc assensum, *homo est animal*, quin aliquo modo prænotuerim, quid sit *homo*, & quid sit *animal*, quia iudicium de identitate duorum extremorum fundatur in cognitione de utriusque cognitione, convenientia enim unius extremi cum alio supponit quidditatem utriusque in qua fundatur: ergo non possum ego cognoscere convenientiam, quin prius saltem confusè præcognoverim quidditatem extremorum inter quæ convenientia versatur.

Dico quinto: Non semper prærequiritur cognitio extremitatum, quoad existentiam, aut possibilitatem illarum. Ratio est, quia aliquando syllogismus abstrahit ab existentia, & possibilitate subiecti, ut in hac demonstratione, *Omnis homo est animal: Omne rationale est homo: ergo omne rationale est animal*: in qua tantum agitur de connexione prædicatorum inter se, hæc enim propositio, *Omnis homo est animal*, etiam si homo repugnaret, vera esset, sicuti vera est hæc propositio, *Omnis bivoceus dicit formaliter essentiam Hirci, & Cerui*. Secundò, cum demonstramus rem esse possibilem, illiusque possibilitatem in conclusione inferimus, non requiritur ante ipsam conclusionem iudicium de possibilitate rei, hoc enim intendimus acquirere vi præmissarum, & de facto acquirimus in conclusione. Idem dico de demonstratione, qua rei existentia euincitur.

Dico sexto: Quando inquiritur de subiecto seu de illo intenditur ostendi aliquid accedens, præcognosci debet subiecti existentia, quia accedens supponit subiectum, & qui inquit an Petrus sit albus supponit esse Petrum in rerum natura, cui possit albedo contingere. Hoc intellige de accidenti quinto prædicabili, & de passione, quando inquiritur an actu subiectum afficiant. Non verò absolute cum passio inquiritur de subiecto, quia tunc convenientia de qua disputatur non supponit subiecti existentiam, tantum enim inquiritur an essentia ex se connexionem habeat cum accidenti, quod verificari potest essentia

L. 2. non



non existente, nullo enim homine existente verum est dicere, *Homo est admiratus*, & nullo igne producto verum est dicere *ignis est calidus* &c. *ut ostendit*, quia ex vi harum propositionum tantum affirmamus subiecta talis esse naturae, ut ex se petant habere talia accidentia, eo ipso quod existant.

**S** Dico septimo: Ad assensum conclusionis tantum prærequiritur præmissarum assensus. Hanc conclusionem probavi Controv. 9. Punct. 2. propugnavi per præmissas formales proponi intellectui sufficiens obiectum formale motuum ad assensum conclusioni, quo proposito rapitur ad hunc assensum præstandum, & ex professo impugnavi asserentes prærequiri cognitionem illationis, ex vi cuius inferitur conclusio ex præmissis. Neque ad conclusionem requiritur cognitio principij vniuersalis, quæ sunt eadem vni tertio & cetera, sed sufficit in hac demonstrationis materia in actu exercito cogitatio, eo modo quo dixi Controv. 9. Punct. 2. cogitatio identitatem obiecti conclusionis cum obiecto præmissarum.

## CONTROVERSIA X.

### De demonstratione.

**A**RTISTOTELIS LIBRIS DE POSTER. resolution. de demonstratione, cuius naturam hæc Controversia suscipit explicandam.

Pramoneo autem in hac quæm plures involui quæstiones de nomine, postquam enim certum est syllogismum certum esse & evidentem, & postquam conclusionis, & præmissarum natura clarè comperta est, & nihil circa hanc, neque circa illius proprietates dubitatur, quæstio vertitur an talis syllogismus dicendus sit demonstratio necne. Cuius dubitandi, & decidendi ratio non ex alio capite desumitur, nisi ex eo quod Aristoteles syllogismum, in quo expressis certis, & evidentibus deducitur conclusio voluit his vel illis conditionibus affici ut demonstratio diceretur. Exempla non pauca occurrunt in huius Controversiæ progressu.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### Quid sit demonstratio.

**I** VAS definitiones demonstrationis tradidit Philosophus lib. 1. Post. cap. 2. Altera est quod sit syllogismus faciens scire: altera est quod sit syllogismus ex veris, primis, immediatis, & notioribus, & prioribus, causisque conclusionis. Circa primam definitionem dubitari solet, quomodo intelligenda sit particula illa *faciens scire*: potest enim intelligi efficienter, quia producit habitum scientificum, vel formaliter, quia conclusio demonstrationis formaliter est scientia, & intellectum formaliter scientem constituit. Potest etiam intelligi particula illa *faciens scire*, de præmissis, quia faciunt conclusionem, cuius sunt causa, saltem directiva. Si attenderemus præcisè ad verba definitionis facile esset quemlibet ex his modis defendere; verum tamen tantum secundus est ad Arist. mentem, quam ipse explicuit ibidem his verbis, *scientiam syllogismum dico, secundum quem, eo quod ipsum habemus scimus*. Quibus verbis clarè ostendit scientiam esse effectum formalem demonstrationis. Propriissime etiam in hunc sensum verba definitionis explicantur. Neque hæc definitio potest alij sciendi instrumento convenire, quia etiam cognitio per definitionem Angelum faciat scire, syllogismus non est, per quem Philosophus demonstrationem definiuit. De proprietatibus, quas secunda definitio in demonstratione exposcit, postea dicemus.

**2** Definitio demonstrationis frequenter in scholis adducta hæc est: *syllogismus constans præmissis certis, & evidentibus*. Definitio hæc nulli syllogismo non demonstratiuo potest convenire, probabilis enim constat utraque, vel saltem altera præmissa probabilij, falsigræphus verò neque

constat præmissis evidentibus, neque propriè est syllogismus, cum conclusio ex præmissis legitime non inferatur, ob defectum aliquem in præmissis repertum. Quid sit certitudo, accuratè tractabo Controv. 6. de Anima, Punct. 7. ubi de veritate propositionis, cuius natura præcognoscenda est, ut possit certitudinis natura cognosci. De natura evidentis dicam Punct. 2. Ideo syllogismus theologicus cuius conclusio innitur præmissis de fide demonstratiuis non est, ut cum communi sententia docet P. Vazq. Reclamant nonnulli Thomistæ asserentes, syllogismum theologicum esse demonstratiuum, quia ad demonstrationem non requiritur evidentia, sed tantum certitudo præmissarum in conclusionem derivata. En iam incidimus in quæstionem purè de nomine. Certum est syllogismum legitimum in quo consequens deducitur vi illationis ex principijs fidei cognitis certissimum esse, nulloque modo falsitatem posse conclusioni accidere. Certum est etiam conclusionem huius syllogismi non esse evidentem, quia licet illatio evidens sit, consequens ex vi huius non potest habere evidentiam, quam non habent præmissæ, quæ cum sint obscuræ obsecram generant conclusionem. Insuper est certum syllogismum, in quo conclusio deducitur ex præmissis certis, & evidentibus naturæ luminæ cognitis, vndique esse certum & evidentem. Hæc de re, in quibus utrinque syllogismi differentia apertè noscitur. An verò uterque syllogismus sit dicendus demonstratiuus, vel tantum ille, in quo præmissæ non tantum sunt certæ, sed etiam evidentes, quæstio est de nomine, in quo fto communi sententia, quæ cum Aristotele tantum vocat demonstrationem syllogismum certum, & evidentem.

**3** Diuidi solet demonstratio, in demonstrationem *propter quid*, & demonstrationem *quia*. Propter quid dicitur illa, in qua effectus demonstratur per causam. Demonstratio *quia* appellatur illa, in qua causa deducitur ex effectu. Ob id demonstratio *propter quid* à priori, hoc est ab illo quod est prius, & demonstratio *quia* à posteriori, hoc est ab illo, quod est posterius dici solet. Contra hanc diuisionem plures solent obijci demonstrationes, in quibus conclusio neque ex causa, neque ex effectu deducitur. Huiusmodi sunt demonstrationes, in quibus inferimus prædicatum animalis ex prædicato hominis, & prædicatum hominis ex animali rationali, & duo esse æqualia inter se, quia sunt æqualia vni tertio. Plures reducant harum demonstrationum media ad causas, vel effectus, asseruntque animal rationale esse quasi causam formalem hominis, & hominem esse quasi effectum animalis, quia valet consequentia, *est homo: ergo est animal*, & non tenet, *est animal: ergo est homo*. Alij defendunt dari aliam demonstrationem mediam inter demonstrationem *propter quid*, & *quia*. Alij asserunt demonstrationem *propter quid* esse illam, quæ traditur per causas, & demonstrationem *quia* dici quæcumque, quæ per causas non traditur, siue tradatur per effectus, siue per aliud medium cum extremitatibus connexum. Quidquid dixeris facile defendes, est enim res parui momenti, quam tetigi Controv. 1. n. 7. pergo ad alia.

**4** Utraque demonstratio diuidi solet in perfectam & imperfectissimam. Perfectissima dici solet illa, in qua demonstratur effectus ex causa immediata, vel causa ex effectu immediato, veluti cum ex rationali admiratiuum inferitur, vel rationale ex admiratiuo, nihil enim mediat inter rationale, & admiratiuum. Demonstratio perfecta appellatur, in qua demonstratur effectus ex causa mediata, veluti risibile ex rationali, vel causa ex mediato effectu veluti rationale ex risibili, mediat enim admiratiuum inter utrumque extremum. Frequentius tamen tantum perfectissima demonstratio dicitur illa, ex vi cuius prima passio per essentiam de subiecto adequato demonstratur.

**5** Dubitari solet, an demonstratio per causam inadequatam sit vera demonstratio, an verò requiratur demonstrationem fieri per causam adequatam. Respondeo sufficere ad veram demonstrationem dari per causam inadequatam, quando cum effectu connexionem habet. Quia ex causa inadequata cum effectu connexa potest certò, & evidenter inferri effectus: ergo potest demonstrari. Quod si oppositum videatur docuisse Aristoteles, intelligendus est de causa inadequata non connexa cum effectu.

**6** Dicendum est contra Sotum demonstrationem *propter quid*, & *quia* esse specie distinctas, quia medium est diuersum, & ratio formalis assentiendi conclusioni specie distincta.

Obijciens:



Obiicies: Ex eisdem propositionibus potest fieri utraque demonstratio: ergo non differunt specie. Respondeo iuxta meam sententiam, quæ conclusionem constituit per aliquod intrinsecum assensum, qui dicitur conclusio falsum esse antecedens, quia assensus præmissæ non deductus ex præmissis implicat ex illis deduci, cum per se ipsum habeat hoc, quod est deduci, & non deduci ex aliis. Et ob eandem rationem assensus conclusionis deductus ex præmissis implicat ex eisdem non deduci. In sententia, quæ asserit rationem conclusionis & præmissæ extrinsecam esse propositionem, dicendum est posse esse easdem numero propositiones in utraque demonstratione, & has secundum se non distinguendi: tamen formaliter in ratione præmissarum, & conclusionis, quia conclusio ut conclusio in omnium sententiâ dicit dependentiam à præmissis, & præmissæ ut præmissæ dicunt formaliter influxum actuum, aut directiui in conclusionem dependentem ab illis.

PUNCTUM II.

*Quid sit euidencia in actu intellectus.*

- 1 **D**iximus assensum conclusionis in demonstratione procedere ex præmissis certis & euidentibus. Oportet modò scire, quid sit certitudo, & euidencia. Certitudinis natura difficilè explicari poterit antequam definatur in quo consistat formalis ratio veritatis propositionis, ideo illius naturam explicandam remitto Controu. 6. de anima Punct. 7. ubi fusi de hac re agam. Sufficiat modò dicere certitudinem supra veritatem addere necessitatem antecedentis ipsius veritatis: ad euidentiæ naturam exponendam pergo.
- 2 Euidenciam non esse formaliter idem cum certitudine constat ex separatione harum proprietatum, quæ in fidei actibus reperitur, actus enim fidei est summè certus, & tamen non est euidens sed obscurus. Euidencia definiri solet *determinatio ad assentiendum*. Quæ definitio explicatione indiget, quia non potest intelligi de determinatione in actu secundo, omnis enim assensus est determinatio in actu secundo ad assentiendum. Debet ergo intelligi de determinatione in actu primo, & de hac nonnulla supersunt difficultates, quia hæc determinatio consistit in principiis productiuis actus, quæ ab actu distinguuntur, euidencia autem ab actu non distinguitur. Insuper si Deus prædeterminaret ad actum fidei, actus esset obscurus, & non euidens: ergo euidencia non consistit in quacunque prædeterminatione. Rursus conclusio syllogismi probabilis procedit ex principiis determinantibus intellectum ad illius assensum, supposito enim assensu præmissarum etiam probabili non potest intellectus conclusioni non assentiri: ergo non quæcumque prædeterminatio principij inducit euidenciam actus.
- 3 Euidencia, est quasi videntia, seu visio obiecti, quæ dicit expressionem quandam & representationem talis obiecti, ex vi cuius intellectus ita fertur in illud, ut expellat totam formidinem, nullamque relinquat occasionem dubitandi. Ita P. Hurt. tom. 1. de fide disp. 35. sect. 1. Expressio ista, seu hic representandi modus ab actu non distinguitur, quia hic representandi modus non est quid superadditum ipsi representationi, actus enim qui est representatio per se ipsum habet hoc vel illo modo obiectum representare. Ex hoc inferitur euidenciam intrinsecam esse actui. Quia tamen hæc euidencia oritur ex principiis determinantibus intellectum ad talem assensum, quæ nunquam illum indifferenter relinquunt ad assentiendum, vel non assentiendum, ideo solet euidencia quæ formaliter consistit in respectu ad talia principia: per illa definiri, tanquam per aliquod extrinsecum, quod licet non nimis propriè, nonnulli euidenciam in actu primo appellant. Dicerentur proprius talia principia actus primus euidentiæ, seu actus primus ad euidenciam, quæ veluti expressio obiecti semper sonat actum secundum.
- 4 Ex hoc inferes conclusionem probabilem non habere euidenciam ex principio prædeterminante ad illam, quia præmissæ probabiles non prædeterminant intellectum ad assentiendum, ita ut omnem formidinem expellant, sicut enim intellectus potest habere formidinem circa probabiles præmissas, ita circa conclusionem, quæ ab illis dependet. Actus fidei euidens non est, quia dependet à

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

principiis intellectum non prædeterminantibus, indiget enim pio voluntatis affectu saltem determinante intellectum ad assentiendum reuelationi. Quod si Deus ad actum fidei intellectum prædeterminaret, neque ideo esset actus fidei euidens, quia determinaret ad actum, qui haberet eundem modum tendendi in obiectum, ac haberent alij actus, qui non procederent à principiis prædeterminantibus intellectum. Vnde ex modo tendendi talis actus non supponeret principium prædeterminans, sed ex aliqua ratione, quæ in obiectum ut cognitum non refunderetur. Prædeterminatio ergo, quæ inducit actum euidenciam in intellectu, est illa ex vi cuius ita obiectum proponitur intellectui, ut non possit cum principiis obiectum proponentibus, non assentiri obiecto nullo loco formidini relicto. Erit autem formidini locus, quoties hæc possit dari circa principia obiectum proponentibus. Erit ergo actus euidens ille, qui dicit ordinem ad principia supra dicta, & euidencia consistit in respectu ad huiusmodi principia.

Ex hoc inferes expressionem non consistere in claritate actus, ex vi cuius penetrantur omnes formalitates obiecti cum ordine ad connotata propria vniuersalisque, qualis est expressio, quæ est in definitionis conceptu. Sed in expressione ex vi cuius ita obiectum intellectui proponitur, ac si illud præ oculis haberet, quæ expressio opponitur formidini, & omni rationi dubitandi, omnique indifferentiæ ad assentiendum, vel non assentiendum circa tale obiectum.

Euidencia est triplex, Moralis, Physica, & Metaphysica. Euidencia moralis est illa, quæ licet physicè possit admittere formidinem oppositi, prudenter tamen hæc haberi non potest, quia non sine temeritate oppositum indicaretur: Exempli gratiâ, affirmant iuramento sex octo viri prudentes, religiosi, & probate virtutis vidisse aliquam rem, illam faciunt moraliter euidenciam, quia sine temeritate iudicari non potest illos homines ad peierandum conuenisse. Euidencia physica est illa, ex vi cuius ita obiectum proponitur, ut naturaliter non possit non ita se habere, licet supernaturaliter alio modo contingere non repugnet. Huiusmodi est actus, quo ego iudico substantiam existeri, quia video accidentia, quæ sine subiecto naturaliter nequeunt conseruari, licet supernaturaliter absque illo existeri valeant. Euidencia Metaphysica est, illa in qua obiectum ita concludit, ut de potentia Dei absoluta non possit aliter se habere, ac per cognitionem representantur. Huiusmodi euidenciam habent hæc principia: *Totum est maius sua parte. Quodlibet est vel non est, & omnes illuminationes, quæ ex his principiis sumuntur, sicuti Omne totum est maius sua parte. Homo est totum respectu capitis: ergo homo est maius capite.*

Euidencia metaphysica est omnium maxima, quia absolute nunquam potest illi falsum subesse. Euidencia moralis est omnium minima, quia sine miraculo obiectum moraliter euidens, potest esse falsum, aliquando enim deprehendimus falsum esse id, de quo nullus posset prudenter dubitare. Euidencia physica est media inter utramque, quia non potest illi falsitas naturaliter subesse, supernaturaliter verò illi accidere non repugnat. Quia seclusa fide homini principiis naturalibus tantum innitenti æquè euidens est esse substantiam panis sub illius accidentibus ante consecrationem, & post consecrationem, nihilominus tale iudicium euidens verum erat ante consecrationem, & post consecrationem est falsum. Est etiam euidencia physica media inter euidenciam, & moralem, quia minorem relinquit occasionem dubitandi, quàm moralis, quisque enim non raro expertus est falsitatem deprehendi in his quæ naturaliter erant euidencia, & raro aut nunquam id agnouit in his, quæ physicè sunt euidencia, cum miracula non nisi raro contingant. Relinquit etiam euidencia physica maiorem occasionem dubitandi, quàm metaphysica, quia hæc nullam admittit, cum de potentia Dei absoluta obiectum aliter contingere non possit; illa verò nonnullam potest admittere, licet enim non prudenter, saltem physicè potest Philosophus visâ albedine dicere, forsan Deus hanc albedinem conseruat sine subiecto, sicuti conseruat accidentia Eucharistica.

Obiicies sequi ex dictis actum fidei esse euidenciam, quia nullam relinquit occasionem dubitandi. Respondeo negando sequelam, quia licet nullus possit prudenter dubitare de obiecto reuelato, nec sine graui peccato, & fidei iniuriâ physicè locum relinquit dubitationi; potest enim quis

L 3 per



per summam imprudentiam, & impudentiam dubitare de obiecto reuelato, & de reuelatione sufficienter proposita, imò relicto actu fidei in heresim prolabi, nullus autem potest dissentire ab hoc obiecto, *quodlibet est vel non est*, neque oppositum iudicare.

9 In talibus sequi ex hac solutione euidentialiam physicam non esse euidentialiam, quia potest quis visâ parietis albedinis, licet imprudenter, & sine fundamento iudicare Deum conseruare albedinem absque subiecto. Respondeo difficile esse sine fundamento ab intellectu iudicari Deum fecisse tale miraculum. Demus tamen id iudicasse, nihilominus talis euidentialia esset simpliciter euidentialia naturalis, quia sistendo intra naturæ terminos nullus potest iudicare albedinem existere sine subiecto, quod si iudicet id miraculosè contingere, iam non se continet intra naturæ terminos, sed confugit ad miracula, quæ non nisi supernaturaliter contingunt. Eodem modo euidentialia moralis dicitur euidentialia in genere moris, quia intra illud genus, & iuxta prudentiæ regulas de obiecto moraliter euidenti dubitari non potest.

10 Affirmant aliqui euidentialiam, quæ credimus Romam esse non solum esse moralem, sed physicam, quia certius, clariùsque est dari Romam, quam ignem esse calefactiuium, & quia implicat tot homines diuersarum nationum, religionum, ac morum conspirasse ad congingendum dari Romam. Censeo tamen hanc euidentialiam moralem esse, & non physicam, quia stricte loquendo nihil accidisset contra physicam rerum naturam, si omnia testimonia creata, quæ mihi persuadent Romam existere, falsa essent, quia sicuti non est contra naturam rerum hunc hominem mentiri, ita neque est contra eandem naturam omnes homines mentiri. Existimo tamen hanc euidentialiam in suo genere adeò magnam esse, ut licet ex genere suo sit minus efficax quàm physica, fortius conuincat intellectum, quàm plures euidentialiæ physicae, & facilius quisque sibi persuasurum Deum miraculum aliquod fecisse, quàm falsa esse tot argumenta, & testimonia creata, quæ Romam existere persuadent.

11 Ex his constat euidentialiam intrinsecam esse actui, quomodo verò à veritate distinguatur definiendum est ex distinctione veritatis ab actibus, cum quibus euidentialia identificatur, de qua distinctione, seu indistinctione disputabo Controu. 6. de anima.

### PUNCTUM III.

*An certitudo, & euidentialia præmissarum sit maior vel minor certitudine & euidentialia conclusionis.*

1 **T**Ria reperiuntur in conclusionis præmissis, veritas, certitudo, & euidentialia. Veritatem non posse suscipere magis nec minus probabo Controu. 6. de Anima Punct. 3. Certitudo autem cum consistat in necessitate veritatis, ut constabit ex dicendis eadem Contr. de Anima Punct. 7. & cum una veritas sit magis necessaria quàm alia, certum est posse dari unam propositionem certiorē aliā. Neque negabit aliquis posse esse euidentialiorem aliā, quia euidentialia est expressio, quæ potest esse maior, vel minor ex diuerso modo, quo actus tendunt in obiecta. Constat hoc ex dictis Controu. 10. Punct. 2. ubi de euidentialia disputationem institui.

2 Excessus cuiusvis qualitatis potest esse in maiori perfectione entitativa, vel in maiori intensione, quæ vocatur perfectio gradualis, & consistit in additione gradus ad gradum, quæ est quasi perfectio quantitatis. Exempli gratia, calor ut unum perfectior est secundum substantiam seu essentiam frigiditate ut octo; frigiditas verò ut octo secundum perfectionem gradualem, & intensiuam perfectionem exuperat calorem ut unum. Cum verò cognitio certa secundum omnes suos gradus habeat certitudinem, & euidens secundum eosdem euidentialiam habeat, potest excessus in euidentialia, & certitudine inter præmissas & conclusionem secundum intensiorem, seu perfectionem gradualem, & secundum perfectionem entitativam, & essentialem comparari. Nos in presenti non agimus de excessu secundum perfectionem gradualem, sed de excessu secundum entitatem, seu perfectionem quidditativam, & essentialem.

3 Dico primò. Potest altera præmissa esse certa, & euidens, & conclusio nullam habere certitudinem, aut eui-

dentialiam. Probo facile: potest una conclusio esse certa, & euidens, & conclusio tantum probabilis, si altera præmissa tantum sit probabilis: ergo potest una præmissa habere certitudinem, & euidentialiam, quæ careat conclusio. Consequentia est legitima. Antecedens probatur: Conclusio non tantum infertur ex altera præmissa, sed ex utraque: ergo si utraque præmissa non sit certa, & euidens, conclusio non poterit habere certitudinem, & euidentialiam. Confirmatur: non potest inferri certò, & euidenter extremitates conclusionis identificari inter se, nisi certò, & euidenter cognoscamus easdem extremitates identificari vni tertio, tota enim certitudo & euidentialia identitatis harum extremitatum inter se sumitur ex certitudine, & euidentialia identitatis utriusque extremitatis vni tertio: Sed quando una præmissa non est certa, & euidens, non est certum & euidens utramque præmissam identificari vni tertio: ergo non est certum & euidens identificari inter se. Explicatur eadem ratio. Conclusio essentialiter dependet ab utraque præmissa, ita ut qualibet illarum deficiente etiam si altera perseveret, consequens legitime non inferatur, neque dari possit vera conclusio: ergo habet totam defectibilitatem, quæ reperitur in quacunque ex præmissis: ergo non potest habere certitudinem defectibilitati oppositam, quam non habet altera præmissa, neque potest habere euidentialiam, quæ in altera præmissa desideratur. Antecedens omnes admittunt. Prior consequentia probatur. Entitas essentialiter dependens à duabus extremis, eo ipso quod deficit alterum, debet deficere: ergo eo ipso quod sit contingens defectus alicuius extremi, seu principij, contingens est defectus entitatis, quæ essentialiter supponit tale principium, implicat enim deficere aliquo principio, seu extremo non deficere totum illud, quod cum tali principio essentialiter est connexum, sicuti implicat deficere principio effectiuo actionem non deficere: ergo deficiente certitudine in principio, non potest hæc dari in illo, quod cum tali principio connexum est: ergo deficiente certitudine in altera præmissa, implicat certitudinem in conclusione reperiri. Idem dico de euidentialia, ideo enim mihi euidens est ex vi assensus conclusionis extremitates identificari vni tertio, quia mihi euidens per actus præmissarum, non solum alteram extremitatem, sed utramque identificari cum vno tertio: ergo si euidens mihi non est utramque extremitatem identificari cum vno tertio, non potest mihi euidens esse identificari inter se: ergo si utraque præmissa mihi non est euidens, conclusio non poterit esse euidens, quia ex vi vnius tantum præmissæ euidens, tantum mihi est euidens unam præmissam identificari cum medio, quod sufficiens non est ad conclusionis euidentialiam, imò neque ad ipsam conclusionem inferendam.

4 Ob eandem rationem in demonstratione, quæ constat ex duabus præmissis non æquæ certis, & euidentialibus conclusio non potest certitudine, aut euidentialia superare minus certam, & euidentialiorem. Quia certitudo, & euidentialia conclusionis pender à certitudine, & euidentialia utriusque præmissæ indiuisibiliter sumpta, unde non potest habere certitudinem, & euidentialiam, quam non habet utraque indiuisibiliter sumpta. Sed utraque indiuisibiliter sumpta non potest habere certitudinem, & euidentialiam, quæ caret illarum altera, quia utraque præmissa sumpta per modum vnius essentialiter dependet à quacunque illarum, sicuti totum essentialiter dependet à partibus, quibus essentialiter componitur: ergo conclusio non potest habere certitudinem aut euidentialiam, quæ careat altera præmissa: ergo neutram potest certitudine, aut euidentialia superare. A priori eadem conclusio probatur: Obiectum conclusionis identificatur cum obiecto utriusque præmissæ, quia identificatur cum extremitate utriusque: ergo identificatur cum obiecto præmissæ minus certæ: ergo obiectum conclusionis non potest esse magis necessarium, quàm obiectum præmissæ minus certæ: ergo neque conclusio magis certa, quia certitudo conclusionis sumitur ex necessitate quam inducit obiectum præmissarum in conclusionis obiectum.

5 Obiicies: Obiectum conclusionis etiam identificatur cum obiecto magis certæ: ergo obiectum conclusionis habet eandem necessitatem, ac habet obiectum præmissæ magis certæ. Respondeo negando consequentiam, quia conclusio identificatur inadæquatè cum obiecto præmissæ magis certæ. Certitudo autem conclusionis non sumitur ex identificatione inadæquata, sed ex adæquata: Secus incertitudo



incertitudo quæ ex idéntificatione inadæquata sumi potest, quia ex eo quod homo idéntificetur inadæquate cum materia, licet arguere; Incertum est esse materiam: ergo incertum est esse hominem. Non tamen licet inferre, certum est esse materiam: ergo certum est esse hominem. Quia ut certum sit esse hominem necessum est certum esse dari omnia, cum quibus idéntificatur homo, videlicet materiam formam, & unionem.

6 Ceterum notari oportet in syllogismo, cuius maior propositio vniuersalis est certa, & euidens, etiam si minor tantum sit probabilis, refundi ex certitudine & euidencia maioris quamdam certitudinem, & euidenciam in conclusionem non simpliciter, sed secundum quid. Quia maior certa & euidens applicata per minorem, eo modo quo applicatur communicat conclusioni suam certitudinem, & euidenciam. Quæ euidencia & certitudo non est absoluta, sed ex suppositione minoris. Exemplum accipe in hoc syllogismo: Omnis homo est rationalis: Omne indiuiduum quod est in foro est homo, ergo omne indiuiduum quod est in foro est rationale. Maior certa, & euidens præstat conclusioni certam esse, & euidenciam ex suppositione minoris. Ex suppositione enim quod omne indiuiduum quod sit in foro sit homo, euidens est esse rationale, ut in præfati syllogismo deducitur, admissa enim minori nequit consequentia negari. Certitudinem autem, & euidenciam absolutam non habet prædicta conclusio, quia quando minor certò, & euidenter non applicat maiorem, conclusio non euadit absolutè certa, sed ex suppositione: Neque hæc certitudo ex suppositione reperitur quando maior vniuersalis certa non est, ut patet in hoc syllogismo: Omnis mater diligit filium suum: hæc mulier est mater: ergo hæc mulier diligit filium suum. Cuius conclusio adhuc ex suppositione minoris certa non est.

7 Ex hoc inferes quomodo actus fidei innitens reuelationi diuinæ sit omnino certus, etiam si applicatio reuelationis diuinæ fiat per actum fidei humanæ tantum moraliter certum, quia hic actus applicat motum ex se certum quod ex suppositione, quod vera sit applicatio, & ipsū existat non potest non terminare actum omnino certum. Ex quo habemus actum fidei saltem habere certitudinem ex suppositione quod motui applicatio vera sit, & reuelatio existat. Insuper habet per se ipsum supponere veritatem applicationis, & reuelationis existentiam, quia actus fidei diuinæ ferri non potest in reuelationem falsò applicatam seu in reuelationem non existentem: ergo habet certitudinem absolutam, quidquid enim est certum sub conditione, quam essentialiter per se ipsum supponit, absolutè est certum, certitudo enim conditionata, sicut & veritas conditionata purificata conditione transit in absolutam.

8 Quod si diceres, actum fidei diuinæ non supponere veritatem propositionis circa reuelationem, neque huius existentiam, sed posse ferri in reuelationem falsò existentiam & non existentem: Inde inferrem ego actum fidei non esse intrinsecè certum, neque verum, quia tota illius veritas & certitudo innititur reuelationi diuinæ existentem, seu testimonio diuino, quod si Deus non præstisset, nulla certa veritas actui fidei inesset. Quomodo autem actus fidei ex se habeat supponere applicationem reuelationis, hoc est, existentiam reuelationis, & cur non possit ferri in reuelationem falsò existentiam, explicatu facile non est, de quo agam Contr. 6. de Anima Punct. 1. §. 4.

9 Certitudo hæc absoluta quam in actibus fidei explicabimus non potest reperiri in syllogismo, cuius maior vniuersalis certa applicatur per minorem incertam, quia ex vi maioris conclusio tantum euadit certa ex suppositione minoris, & conclusio ex se non habet supponere veritatem minoris, seu existentiam illius obiecti, quia etiam si intellectus per errorem falsò assentiatur minori, eliciet assensum conclusionis. Ex quo fit necessitas conclusionis manere purè conditionatam, & ex suppositione, quod applicatio minoris vera sit, quod conclusionis assensus per se non supponit, sicuti actus fidei per se supponit veritatem applicationis circa reuelationem, & huius veram, & non fictam existentiam.

10 Doctrinam hanc quam de actu fidei adhibuimus tradit N. Tannerus 1. part. disp. 1. quæst. 3. dub. 2. à num. 5. q. 4. dub. 4. à numero etiam 5. Docet enim assensum conclusionis Theologicæ non respicere tanquam rationem forma-

lem assentiendi principia, seu media, ex quibus consequens per discursum potest inferri, sed obiectum reuelatum ut reuelatum. Iuxta quam doctrinam asserit dub. 2. citato num. 6. præmissam euidenciam, si quæ foret in discursu Theologico non esse rationem formalem assentiendi, sed applicationem alterius præmissæ reuelatæ, quæ tantum est obiectum formare assensus Theologici. Exemplum accipe in hoc syllogismo: Omnis homo descendens ex Adamo contraxit peccatum originale. Omne rationale est homo descendens ex Adamo: ergo omne rationale contraxit peccatum originale. In hoc discursu Theologico tota formalis ratio assentiendi iuxta Tannerii sententiam est maior propositio, in qua continetur conclusio, & sicuti reuelatum est obiectum maioris, ita obiectum conclusionis in illo contentum. Hanc autem reuelationem vniuersalem in maiori contentam applicat minor propositio ad obiectum conclusionis, & ita procedit conclusio à maiori tanquam ab obiecto formali, & à minori tanquam ab obiectum applicante. Ex hoc inferit conclusionem Theologicam procedentem ex vna præmissa de fide tanquam ex formali obiecto, ex eo altera certa naturali, seu morali certitudine, certitudine sperari præmissam naturalem, quam non respicit tanquam formale obiectum, sed tanquam conditionem applicantem obiectum formale, in qua tantum desideratur moralis certitudo, ut conclusionis assensus innitens tanquam formali obiecto tantum præmissæ de fide certitudine fidei certus euadat, sicuti ut actus fidei euadat certus omni certitudine, ita ut secundum hanc exuperet quemlibet naturalem assensum de re etiam per se notā, tantum requiritur in actu, ex vi cuius reuelatio applicatur moralis certitudo.

Hæc est doctrina N. Tannerii fideliter relata, qui nunquam docuit intellectum semper tam certò assentiri conclusioni, quam assentitur certissimæ præmissæ, ut refert nonnullus, qui non benè Tannerii sententiam exponit, quam ut à se expositam benè postea impugnatur, sed abs re cum longè abest Tannerus à sententia, quam ex illo refert. tantum enim id docuit in syllogismo Theologicæ supernaturalis, in quo tota assentiendi ratio est vna præmissa de fide, & altera præmissa naturalis tantum conditio applicans obiectum ad conclusionem de fide supernaturalem. An verò in conclusione Theologica res ita se habeat, hic definiendum non est, sed ubi agatur de obiecto formali Theologicæ. Vnum nobis tenendum est, quod in præfati defendimus, & Tannerus non negat, conclusionem innitentem duplici præmissæ tanquam formali obiecto adæquato non posse superare certitudine præmissam minus certam, quam respicit ut obiectum formale inadæquatum.

12 Dico secundò: Conclusio est æquè certa & euidens ac est vtræque præmissa. Ratio est facilis: obiectum conclusionis idéntificatur cum obiecto vtriusque præmissæ: ergo æquè necessarium est obiectum conclusionis, ac est obiectum vtriusque præmissæ, & æquè certa propositio quæ versatur circa obiectum conclusionis, ac vtræque tendens in obiectum præmissarum. Dices possum certò scire hoc indiuiduum esse leonem, non certò scire esse rugibile, quia incertus sum an omnis leo sit rugibilis: ergo de eodem obiecto possum habere certitudinem, ex vi huius actus, & incertitudinem ex vi illius: ergo malè inferimus conclusionem esse æquè certam cum præmissis, quia respiciunt idem obiectum. Respondeo circa idem obiectum posse dari certitudinem per hunc actum, & incertitudinem subiectiuam per alium, quia ex vi diuersorum actuum possunt representari ut diuersa, non posse tamen dari certitudinem, & incertitudinem, obiectiuam, non enim potest esse magis necessaria hæc veritas, homo est animal, ac ista homo est viuens sensibile. Conclusio autem procedit de certitudine obiectiuæ. Addo neque hanc posse esse maiorem in conclusione, quam in vtræque præmissa, quia quando obiectum non solum est idem, sed cognoscitur ut idem per diuersos actus, vtræque eandem certitudinem subiectiuam habet, si enim scio hominem, & animal rationale esse idem, non possum non æquè formaliter adhaerere his propositionibus *Petrus est homo*, & *Petrus est animal rationale*: Sed per actum conclusionis cognoscitur illius obiectum ut idem cum obiecto præmissarum: ergo intellectus æquè formaliter vtrique adhaeret.

Probat etiam ratio modo immediatè adducta æqualem

L 4 euidenciam



evidentiam habere intellectum de obiecto conclusionis, ex vi conclusionis formalis, ac de obiecto præmissarum, ex vi præmissarum formalium, quia eo ipso quod intellectus agnoscat duo obiecta non distingui inter se, æquè determinatus est ad assentiendum huic, & illi. Confirmatur: per se notum est certò, & evidenter esse eadem inter se, quæ sunt eadem vni tertio: ergo æquè evidens est intellectui, hæc extrema esse eadem inter se, ac est esse eadem vni tertio: ergo ex eo quod per præmissas agnoscat certò, & evidenter extrema esse eadem vni tertio, cognoscit certò & evidenter esse eadem inter se. Rursus eo ipso quod quis assentitur præmissis, debet assentiri conclusioni; ergo eadem determinatione, quæ assentitur præmissis est determinatus ad assentiendum obiecto conclusionis, vel saltem ad non dissentiendum ab illo: ergo eandem evidentiam habent præmissarum assensus & assensus conclusionis, evidentia enim nascitur ex determinatione principiorum per modum actus primi ad assensum præstandum.

14 Obiicies: præmissæ sunt proximiores luminis rationis naturalis, quam conclusio: ergo sunt clariiores: ergo evidentiiores nobis. Confirmatur: quidquid cognoscitur in alio minus clarè cognoscitur, quam id quod in se cognoscitur: Sed obiectum conclusionis cognoscitur in obiecto præmissarum, & obiectum præmissarum in se ipso: ergo clariùs cognoscitur obiectum præmissarum per formales præmissas, quam obiectum conclusionis per conclusionem formalem: ergo præmissæ sunt clariiores conclusioni: ergo evidentiiores: ergo non potest habere conclusio æqualem evidentiam cum vtrique præmissa. Respondeo quod etiam si admittatur præmissas esse clariiores conclusioni, hoc est, repræsentare suum obiectum cum maiori partium distinctione, & formalitatum explicatione, ex hoc tamen non inferri præmissas esse evidentiiores, quia evidentia non consistit in hac expressione seu distinctione partium, potest enim dari duplex conclusio, vna, in qua inferatur ex principiis certis & evidentiibus hominem esse animal, quæ conclusio erit evidens; & alia, in qua inferatur ex principiis tantum probabilibus animal rationale esse principium sentiendi, quæ tantum erit probabilis, & nihilominus hæc probabilis clariùs & expressius suum repræsentat obiectum, quam illa evidens, quod enim in conclusione evidenti repræsentatur per hunc conceptum *homo* repræsentatur in probabili per hunc conceptum *animal rationale*, & quod repræsentatur in conclusione evidenti per hunc conceptum *animal* repræsentatur in probabili per hunc conceptum *vivens sensibile*.

15 Obiicies secundo: Conclusio cognoscitur propter præmissas: ergo clariùs, & evidentiùs cognoscuntur præmissæ, quam conclusio, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad axioma adductum respondeo intelligendum esse de causa finali respectu mediorum, quia non habent tantam amabilitatem, quantum habent media, non verò absolute de omnibus rebus. Quia Deus amat hominem iustum propter gratiam sanctificantem, non tamen magis amat gratiam, quam hominem. Similiter credimus mysteria reuelata propter reuelationem, non tamen magis credimus reuelationem, quam mysteria ipsa. Deinde Petrus est existens propter causam quæ eum produxit, non tamen causa est magis existens, quam effectus.

16 Inquires an si præmissæ sint æquè certæ inter se, conclusio possit esse æquè certa cum altera illarum. Pro negatiua parte sic arguit Arriaga. Per assensum conclusionis attingitur obiectum conclusionis & præmissarum: Sed certior est semper intellectus de vna præmissa, quam de vtrique simul & de conclusione: ergo conclusio non potest esse æquè certa cum altera præmissa. Minorem probat Arriaga: firmitus quis adhæret simplici obiecto, quam duplici, firmitus enim quis credit Petrum currere, quam currere Petrum & Ioannem, quia ad falsitatem huius secundi, sufficit Petrum non currere, & adhuc eo currente Ioannem non currere: ad falsitatem verò primi requiritur Petrum non currere. Vnde prima veritas habet minorem fallibilitatem, quam secunda, quæ habet eandem cum prima, & aliam novam. Respondeo in duabus propositionibus quæ ex se sunt, incertæ & fallibiles maiorem fallibilitatem reperiri, quam in vna propter rationem factæ, non verò in duabus propositionibus, quarum qualibet ex se est certa, & infallibilis, quia cum illa-

rum qualibet seorsim sumpta nullam habeat incertitudinem, neque vtrique simul illam habebit, nihil enim est in vtraque propositione, quod non reperiatur in illarum altera. Vnde respectu harum propositionum negandum est suppositum, si dicatur vtraque propositio simul sumpta habet fallibilitatem quam habet vna, & aliam novam, quæ ratione alterius illi conuenit. Ratio est quia certitudo sumitur ex necessitate veritatis propositionis, quando autem duplex veritas est necessaria absolute, & simpliciter, nihil habet contingentie, & quando necessitas est æqualis, non est minor necessitas veritatis vtriusque propositionis, quam alterius, imò extensiuè maior, non enim minus necessarium est hominem esse rationalem, & equum esse hinnibilem, quam hominem esse rationale, quia contradictoriū vtriusque obiecti, & alterius seorsim sumpti sunt omnino repugnantia, ita vt illorum impossibilitas non suscipiat magis nec minus. Illud quod dicitur intellectus facilius adhærere vni obiecto, quam vni & alteri, ad rem non attinet, quia certitudo non consistit in hac intellectus adhesionem. Neque vniuersaliter verum est, quia nulla ratione potero ego dimoueri ab his assensibus, *Quodlibet est vel non est. Omne totum est maius sua parte*, vnde non facilius ab altero quam ab vtroque dimouear, cum à neutro possum dimoueri. Ex quo inferitur æquiformiter vtrique, & alteri illorum adhærere.

## PUNCTUM IV.

An demonstratio constet principis per se & propriis.

1 Prædicationes quædam dicuntur per se, aliæ per accidens, oportet autem scire, quid sit prædicari per se, vel quod duplex sit modus prædicandi per se vtilis ad demonstrationem contruendendam.

Philosophus quatuor designauit modos prædicandi per se. Primus, prædicandi quidditatiuè & essentialiter, veluti, *Petrus est homo, Petrus est rationalis*, in quibus prædicationibus prædicatum est de ratione quidditatiua subiecti. Hic modus necessarius est ad perfectissimam demonstrationem, quia cum ex vi huius demonstretur prima passio per essentiam, necessum est essentiam, prædicari de subiecto, de quo per essentiam passio demonstratur. ad hunc modum reduci solent omnes prædicationes de extremis realiter identificatis, veluti, *rationale est animal*.

2 Secundus modus est per se inhærendi ad quem pertinet prædicatio propriæ passionis de subiecto, v.g. risibile de homine in hac prædicatione *homo est risibile*. Ab hoc modo excluduntur omnes prædicationes accidentium communium, veluti *homo est albus*. Hic modus aptus est ad perfectissimam demonstrationem in qua demonstratur passio per essentiam, quia talis demonstratio debet habere vnam præmissam in qua passio demonstranda de subiecto prædicetur de medio. Possunt etiam reliquæ passionis per illum demonstrari, vt cum risibile demonstratur per admiratum. Est etiam aptus ad demonstrationem à posteriori, in qua essentia per passionem demonstratur.

Tertius modus per se conuenit substantiis, quæ per se existunt sine subiectis, aliquandoque conuenit etiam accidentibus vt contingit in Eucharisticis, quæ sine subiecto conseruantur. Latuit tamen Philosophum hic modus per se in accidentibus. Dicuntur etiam accidentia in abstracto per se significari, vt albedo & quantitas. Hic modus aptus est ad demonstrationem à priori, in qua sæpe per substantiam illius passionis demonstramus. Deseruire etiam potest ad demonstrationem à posteriori, in qua demonstramus substantiam increatam ex creatura.

3 Quartus modus est per se causandi, in quo effectus ponitur cum causa, veluti *edificator edificat, risibile ridet*. Hic modus differt à secundo, quia secundus respicit semper effectum intrinsecum, hic autem aliquando effectum intrinsecum, aliquando extrinsecum, habet, vt patet in duobus exemplis adductis. Deinde secundus modus semper respicit effectum ex se permanentem causæ coæquum, secundus verò respicit actum quandam citò transiuntem. Hic modus est aptus ad demonstrationem à posteriori valeat enim, *ridet: ergo potest ridere*. Est etiam aptus ad demonstrationem à priori causis omnino necessariis existentibus cum omnibus requisitis ad operandum. Hæc est enim legitima consequentia: *Ignis est cū omnibus requisitis ad calefaciendum:*



calefaciendum: ergo calefacit. Non verò tenet in causis liberis, quia voluntas cum omnibus prærequisitis ad amandum potest non amare.

6 Vltimò circa hos modos per se, dicendum est non omnem demonstrationem constare principiis per se, ut patet in hac demonstratione: *Omne progressivum est vivens: omnis homo est progressivus: ergo omnis homo est vivens.* In qua minor non prædicatur per se de subiecto, quia progressivum non est propria passio hominis, sed animalis. Dicendum est etiam demonstrationem perfectissimam constare principiis per se primo, & secundo modo, quia vno principio prædicatur passio de subiecto, quæ illi convenit per se secundo modo; & in altero essentia, quæ primo modo per se convenit, ut patet in hac demonstratione: *Omne animal rationale est admirativum: Omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est admirativus.*

7 Circa aliud quod inquitur, an videlicet demonstratio debeat constare propriis principiis. Respondeo proprium posse lumi vt oppositum alieno, & oppositum communi. In priori sensu Patriam propriam vocamus; & ita in posteriori dicimus proprium esse passum. Hoc posito dicendum est non omnem demonstrationem constare principiis propriis, quatenus proprium communi opponitur. Quia sunt plura principia communia, quæ omnibus demonstrationibus deseruiunt, ex quibus inferuntur conclusiones specialis scientiæ. Deinde addo non omnem demonstrationem constare principiis propriis propterea proprium alieno opponitur, aliquando enim conclusio huius peculiaris scientiæ inferitur ex principiis aliis specialis scientiæ, ut videre est in hac demonstratione. *Definitio & definitum convertuntur. Homo & animal rationale sunt definitio, & definitum: ergo homo & animal rationale convertuntur*, hoc est, sunt idem. In qua demonstratione conclusio pertinet ad Philosophum, & prima præmissa ad Dialecticum. Verum est hæc principia aliquo modo posse dici non aliena, quia sunt propria scientiæ subalternantis, quæ cognitionem habet cum subalternata, propter quam possunt dici principia propria huius, quæ illius sunt propria.

8 Vltimò dicendum est demonstrationem perfectissimam, in qua prima passio demonstratur per essentiam, constare principiis propriis propterea proprium communi opponitur, & alieno. Quia ad eandem scientiam ad quam pertinet cognoscere passionem subiecti, pertinet cognoscere prædicatam essentialia illius: Sed in demonstratione perfectissima principia constant prædicatis essentialibus subiecti, & passione, quæ de eodem subiecto in conclusione prædicatur: ergo conclusio & principia pertinent ad eandem scientiam.

PUNCTUM V.

*Quæ sint propositiones per se notæ, & an demonstratio ex illis necessario constet.*

1 Propositionis per se nota dicitur illa, quæ caret medio, quo probetur, hoc est cuius obiecto non per aliud, sed per se ipsum intellectus præbet assensum, ut docet P. Valsq. 1. part. quest. 2. art. 2.

2 Propositionis dupliciter potest cognosci per aliud vel à priori, vel à posteriori, & ita dupliciter potest esse per se nota à priori, cum nulla superfit causa per quam demonstraretur. Sic rerum essentia sunt à priori per se notæ. A posteriori, cum non potest per alium effectum demonstrari. Sic vltima passio per se nota à posteriori appellatur.

3 Propositionis per se nota tam à priori, quam à posteriori potest diuidi in per se notam quoad nos, non verò quoad se; & in per se notam quoad se, & quoad nos. Propositionis per se nota quoad nos, & non quoad se, dicitur illa, cuius obiectum in re habet aliquam causam, ex qua possit inferri, nos verò illam ignoramus, ac proinde non possumus obiectum illud ex principio nobis ignoto deducere. Huiusmodi forsitan est hæc propositio, *equus est hinnibilis*, quæ quoad nos est per se nota à priori, quia id quod prius in equo concipimus est hinnibilitas, & forsitan latet nos aliquod prædicatum, ex quo oriatur ratio hinnienti, sicuti in homine risibilitas ex rationalitate nascitur. Propositionis per se nota quoad se, & quoad nos est illa, cuius obiectum non cognoscitur à nobis per aliud medium, neque in re aliquid supponit, per quod possit cognosci.

Huiusmodi est hæc propositio, *Quodlibet est vel non est*. Addit Arriaga aliam esse propositionem per se notam quoad se, non verò quoad nos, illam videlicet, quæ non habet medium in se, quo prædicatum connectatur cum subiecto, ut existentia Dei cum ipso Deo, quæ à parte rei sine vlllo medio connectuntur, nos tamen non cognoscimus illam nisi mediante creaturarum cognitione. Non acquiesco, quia si prædicatum non habet medium per quod cognoscatur, non possumus nos illud confingere. Neque exemplum est ad rem, quia existentia Dei quoad se, & quoad nos est per se nota à priori, & ita non possumus illam à priori demonstrare. A posteriori verò neque quoad se, neque quoad nos est per se nota, quia realiter habet effectus, ex quibus nos à posteriori existentiam diuinam demonstramus.

4 Alij absolute hanc diuisionem impugnant, quia cognosci est quoad nos, & ita propositio, quæ quoad nos est per se nota, absolute & simpliciter dicitur per se nota, etiam si habeat causam occultam, quia donec talis causa nobis innoteat per illam cognoscibilis non est. Hæc questio tota est de modo loquendi, ideo in ea non immoror neque hunc, neque illum improbo.

5 Propositio per se nota alia est evidens, probabilis alia; quia sicuti syllogismus evidens reducitur ad principia per se euidencia, ita syllogismus probabilis, reducitur ad principia per se probabilia, hoc est, quibus per se ipsa probabiliter assentimus. Sic hæc propositio probabilis *Omnis mater diligit filium suum*, reducitur ad hoc principium probabile, *Omnis homo amat quod sibi aliquo modo est proprium*, quod non amplius à priori poterit ostendi.

6 Ex propositionibus per se notis, quædam dicuntur dignitates, alie non dignitates. Dignitates dicuntur principia per se nota, euidencia, & generalissima, quæ pluribus facultatibus deseruiunt, veluti *Quodlibet est vel non est: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Principia non dignitates sunt, quæ carent conditionibus supra dictis.

7 Explicatis iam propositionibus per se notis assero demonstrationem perfectissimam, in qua prima passio de essentia demonstratur constare præmissis per se notis à priori, non verò à posteriori, quia essentia non potest à priori demonstrari de subiecto potest tamen à posteriori. Reliquæ demonstrationes non debent constare principiis per se notis, cum enim demonstratur secunda passio per primam, principia non sunt per se nota, cum prima possit à priori probari per essentiam, & à posteriori per secundam passionem. Potest autem dici omnis syllogismus siue probabilis, siue evidens constare principiis per se notis, quia vltimò in talia principia resoluendus est, si negentur principia non per se nota, quibus immediatè innittitur conclusio.

PUNCTUM VI.

*An omnes demonstrationes debeant esse vniuersales, necessariæ, constantes prædicato de omni secundum quod ipsum.*

1 Non omnem demonstrationem debere esse vniuersalem, probo ex syllogismo expositorio, qui verè demonstratiuus est, & non constar propositionibus vniuersalibus. Deinde hic syllogismus: *Omne quod currit mouetur. Petrus currit: ergo Petrus mouetur*, demonstratiuus est, si minor euidenter cognoscatur, quomodo potest sensum euidentiæ cognosci, & tamen constar propositionibus vniuersalibus. Deinde à posteriori causam per effectum singularem demonstramus.

2 Dicendum tamen est demonstrationem perfectissimam, in qua passio naturæ multiplicabilis demonstratur per essentiam debere constare præmissis vniuersalibus. Ratio est, quia demonstratio perfectissima est, in qua demonstratur prima passio de subiecto adequato. Sed passio naturæ multiplicabilis habet pro subiecto naturam vniuersalem: ergo de illa debet demonstrari: ergo debet demonstrari de subiecto vniuersali: ergo conclusio vniuersalis esse debet: ergo & præmissæ, quia conclusio vniuersalis, non nisi ex vtraque præmissa vniuersali deducitur.

3 Dixi perfectissimam demonstrationem, in qua demonstratur passio naturæ multiplicabilis, quia si passio seu attributum, quod demonstratur sit naturæ immultiplicabilis

v. g.



v.g. Dei, seu Angeli, in opinione, quæ asserit omnia indiuidua naturæ Angelicæ necessariò specie distingui, tunc demonstratio perfectissima non debet constare præmissis vniuersalibus, quia passio respicit subiectum singulare, de quo demonstratur, ac proinde conclusio, in qua passio de proprio subiecto prædicatur, subiectum singulare habet, idemque reperitur in minori, quia in syllogismo legitimo & directo idem est subiectum Minoris & conclusionis.

4 Assero insuper non omnes demonstrationes debere constare præmissis necessariis, incorruptibilibus, & æternæ veritatis. Quia veritas contingens potest euidenter cognosci & ex illa inferri necessarium consequens, quod necessariò sit coniunctum cum existentia antecedentis. Exemplum accipe in hac demonstratione, *Omne quod currit mouetur. Petrus currit: ergo Petrus mouetur.* Minor contingens est, & potuit non esse illius obiectum, nihilominus ex suppositione, quod sit essentialiter coniungitur cum consequenti, ac proinde si euidenter cognoscatur, prædictus syllogismus erit demonstratiuus, quia dispositio terminorum perfectam syllogismi figuram conficit, & utraque præmissa euidenter est. Confirmatur ex communi Theologorum sententia, quæ asserit existentiam Dei demonstrari ex creaturarum existentia, etiam si creaturarum existentia antecederet potuerit non esse.

5 Demonstratio perfectissima à priori constat præmissis necessariis & æternæ veritatis, quia prima passio, & essentia ita necessariò prædicantur, ut de potentia Dei absoluta prædicatio non possit non esse vera.

6 Obiicies, Deus potest auferre potentiam admiratiuam ab homine: ergo potest hæc propositio *Homo est admiratiuus* esse falsa. Respondeo Deum posse tollere passionem

formalem ab homine, si hæc ab essentia distinguatur, nihilominus adhuc ablata hac potentia, propositio ista *Homo est admiratiuus* vera erit, illius enim sensus est: *Homo ex se petit potentiam admiratiuam, quam non potest naturaliter non habere, ad quod per accidens est, quod potentia superaddita de facto ab aliquo subiecto supernaturaliter fuerit ablata.*

7 Principia secundum quod ipsum, dicuntur illa, quorum prædicatum conuenit subiecto secundum quod tale est & cum illo conuertitur, sicuti risibile conuenit homini, quia est homo, & rationale, quia est constitutum illius, & utrumque cum homine conuertitur. Principia non secundum quod ipsum, sunt illa, quorum prædicatum non conuenit subiecto, secundum quod tale est, veluti cum dicimus, *homo est quantus.* Sentio non omnem demonstrationem constare principiis secundum quod ipsum, quia hæc est vera demonstratio: *Omne sensitiuum est viuens: Omnis homo est sensitiuus: ergo omnis homo est viuens,* & nihilominus minor propositio non est principium secundum quod ipsum, quia sensitiuum non conuenit homini, quatenus est talis species, seu quatenus formaliter constituitur homo, sed quatenus est animal.

8 Demonstrationem perfectissimam constare principiis secundum quod ipsum facile probatur. Quia cum in hac demonstratione ostendatur passio per essentiam, una ex præmissis habet pro prædicato essentialia prædicata subiecti, & altera passionem ipsam, quæ demonstratur, ut videre est in hac demonstratione, *Omne animal rationale est admiratiuum. Omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est admiratiuus.* Principium autem in quo prædicatum est differentia speciei constitutiva, aut passio, quæ ex differentia dimanat, principium secundum quod ipsum debet appellari.

